

The Dibner Library
of the History of
Science and Technology

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES



DE PLANTIS LIBRI XVI.

ANDREAE CAESALPINI
ARETINI,

Medici clariſsimi, doctiſsimiq; atque
Philoſophi celeberrimi, ac
ſubtiliſsimi.

*AD SERENISSIMUM FRANCISCUM
Medicem, Magnum Aetruriæ Ducem.*

FLORENTIAE,
Apud Georgium Mareſcottum.
MDLXXXIII.

SERENISSIMO FRANCISCO MEDICI MAGNO AETRVRIAE DVCI.

Andreas Cæsalpinus S. P. D.

ADMIRABILIS ſapientia, Sereniſſime Dux Magne, qua vniuerſi natura gubernatur ac regitur, incredibili rerum varietate, ac pulchritudine ludit in orbe terrarum: ſiue enim animalium differentias, partes, ac mores ſpectemus: ſiue ſtirpium genera, formas, ac vires intueamur: ſiue tandem corpora in viſceribus terrę latitantia perſcrutemur: in omnibus immenſum quid, quod inexhauſtam ſapientiæ profunditatem in rebus condendis indicet, comperiemus. Id ego ipſe in perſequenda plantarum hiſtoria animaduerti. Cum enim permultos annos & publicè docendo in Academia Piſana, & loca multa perluſtrando, in quibus diuerſa herbarum, aut fruticum, aut arborum genera pro-

ueniant, in earum indagatione versatus sim, adiutus & multorum amicorum opera, atque hortorum copia, qui ad publicam vtilitatem consiti peregrinas plantas vndique vel ex remotissimis regionibus aduectas conseruant: nequaquam adhuc potui metam attingere: nam in dies, vt in prouerbio est, aliquid noui affert Aphrica: non quod natura nouas edat formas, aut nouas rerum pulchritudines effingat, sed quod ob numerum immensum nobis in dies nouæ ostendantur. Idque non solum mihi contigisse video, sed & cæteris omnibus, quos hactenus de hisce rebus scripsisse accepimus. Et si enim permulti sint tum inter antiquos authores, tum inter recentiores, qui partim iucunditate illecti, partim ob incredibilem vtilitatem, quæ in morbis sanandis, atque optima valetudine conseruanda, aliisque permultis, atque egregiis operibus præstandis, ex stirpium natura habetur, earum scientiam maximo studio excoluerunt, atque illustrarunt: adhuc tamen eadem non solum imperfecta, sed & multa caligine suffusa deprehenditur: imperfecta quidem, nam & plantarum numerus quasi in immensum nouis in dies repertis augeri videtur: & earumdem facultates nouis experimẽtis assiduè & Medicinam remediis, & alias artes operum efficacia ditant: obscura autem, nam, quę apud antiquos comperta, & ad posteriorum eruditionem literis mandata sunt, plerumque ob linguarum varietatem nominis appellatione immutata, aut permultas transcribentium manus vitiatis voluminibus, perplexa valdè & ambigua nobis relinquuntur. Id verò est, quod maximè omnium huius scientię studiosos excruciat: Cum enim prę oculis turbam ingentem

gentem plantarum habeamus, ac multis numeris superantem eas, quę ab antiquis, aut descriptæ sunt, aut solo nomine indicatæ, & in Medicinis, aut alio vsu celebratę: difficile tamen est iudicare, quibus ex nostris singulę conueniant. Nam quæ solo nomine indicatæ sunt, in temporis diuturnitate nomine immutato, omnino periit earum coniectura: quæ autem descriptæ sunt, nisi euidentes admodum nothas habeant, eodem modo delitescunt inter multas similes. Hinc autem sequitur non mediocris iactura eorum, quę maximo studio ab antiquis comperta sunt, & nobis tradita: vt meritò verendum sit, ne in hac temporum vicissitudine rerum nouarum inuentio longè superetur à veterum interitu. Quasi hoc sit humani generis fatũ, vt assiduè occupari oporteat in eorum, quæ pereunt, instauratione: & scientiæ velut aquæ fluentes in continua renouatione versentur. Cęterum stirpium cognitio, quæ & à Græcis authoribus, & à Latinis, Arabibusque tradita est, ob barbarorum iniuriam periclitabatur, ne deleretur omnino: nisi nuper eandem suscitassent Ruellius, Hermolaus, Brasauolus, aliique exteri: & nostris temporibus locupletasset Mattiolus Senensis: hic enim opera Lucę Ghini præceptoris mei in ea facultate principis, qui dum in Academia Pisana Simpliciaprofiteretur, pulcherrima quæque & notatu digna sibi communicabat, aliorumque studiosorum diligentia opus egregium in Dioscoridem commentus est, vt ferè nihil amplius desiderari posse videatur. Sunt & Aloysij Anguillaræ placita compendiosè quidem in hoc genere, sed summo cum iudicio conscripta. Ac de iis, quæ India Orientalis fert, oculata fide Garzias Lusi-

tanus

tanus tractat, quę apud antiquos erant propemodum obscura. Tandem his omnibus accessit eorum notitia, quę in India Occidentali proueniunt nouo orbe ab Hispanis reperto: historiam hanc texit eruditissimus Monardes Medicus Castiliensis: vt meritò hęc scientia non solum reuixisse videatur, sed adeo aucta, vt longè clarius quam vmquam antea nostris temporibus florere censenda sit. In hac tamen immensa plantarum multitudine illud desiderari video, quod in alio quocumque agmine incomposito maximè expeti solet. Nisi enim in ordines redigantur, & veluti castrorum acies distribuantur in suas classes, tumultu & fluctuatione omnia perturbari necesse est. Id etiam num maxime in plantarum examine contingere videmus: cum enim inordinata multitudine obruatur intellectus, errores inextricabiles, & morosæ altercationes, vtplurimum exoriuntur: ignorato enim proprio genere nulla descriptio quamuis accuratè tradita certam demonstrat, sed plerumque fallit: nam confusis generibus omnia confundi necesse est. Cum igitur scientia omnis in similium collectione & dissimilium distinctione consistat, hæc autem distributio est in genera & species veluti classes secundum differentias rei naturam indicantes, conatus sum id prestare in vniuersa plantarum historia: vt si quid, pro ingenij mei tenuitate in huiusmodi studio profecerim, ad communem vtilitatem proferam. Hanc verò tractandi rationem Theophrastus inter antiquos indicauit, sed in paucis est persecutus: Apud nostros autem Ruellius tentauit quidem, sed præter ea, quæ à Theophrasto excerpsit circa rationem communem, vlterius nequaquam est progressus.

At

At Dioſcorides tamquam Medicus ſolum communionem circa facultates Medicas accepit, quo ordine ſuccos, lachrymas, radices, ſemina, & alias plantarum partes perſecutus eſt. Aliis, quò facilius memoriæ mandarentur, placuit eo ordine digerere, qui ſecundum nominis incipientes literas datus eſt: ſed hic tamquam maximè fallax, & longiſſimè à rei natura diſcedens à grauioribus huius ſcientiæ authoribus reprobatus eſt. Qui autem ſecundum naturarum ſocietatem aſſignatur, omnium facillimus reperitur, tutiſſimus, vtiliſſimuſque tum ad memoriam, tum ad facultates contemplandas: facillimus quidem, quoniam differentię ex ipſamet natura prodeuntes maximè ſenſibiles ſunt, & vnicuique manifeſtæ: neque fallunt, vt aduentitiæ conditiones, quę non ſunt perpetuæ: Ad memoriam autem pollet, quoniam in compendio ſub generibus ordinatis clauditur penè immenſus plantarum numerus, adeo vt, & quæ antea numquam viſæ ſunt, vnicuique liceat in ſuam claſſem redigere, &, ſi innominata ſit, nomine ſui generis appellare: Tandem & facultates, quas Medici maximè quærunt, tamquam proprietates innoteſcunt ex naturarum cognitione: quæ enim generis ſocietate iunguntur, plerumque & ſimiles poſſident facultates. In perſequenda autem ſecũdum hunc ordinem plantarum hiſtoria fit, vt breuior deſcriptio ſatisfaciat, non enim cogimur in ſingulis ea repetere, quę communiter generibus conueniunt: atque adeo certa ex hac breui deſcriptione paratur notitia, vt pictura certiorem efficere non poſſit: Non enim omnes differentias pictura exprimit, vt oratio. Interim verò ſingulas, quantum coniectura

aſſequi

assequi licet, ad appellationes antiquas, quibus probatissimi authores vsi sunt, reducere conatus sum, non abhorrens maioris intelligentiæ gratia & vulgares nomenclaturas, quibus in Italia & præsertim in AEtruria vtimur: Cogimur autem ad fidem confirmandam singulis more nostro descriptis adiungere nothas ab antiquis traditas, vt iis collatis vnusquisque intueri possit, quam aptè congruant. Interim explicantur multa ambigua ac difficilia antiquorum dicta: & colliguntur, quę sparsim præcipuè à Theophrasto scripta sunt, & aliquando variè interpretata. In qua re nequaquam errores eorum, qui aliter sentiunt, redarguendos existimaui: nam præterquam quòd morosum id est, ac modesto homine indignum: superfluum quoque putaui argumentis confirmantibus ex historia in medium allatis, negantium ineptias persequi: Opiniones autem, quæ probabilem habent rationem, refellendæ non sunt, licet aliæ magis probabiles videantur, at nequaquam necessariæ. Facultates quoque addere superfluum duxi: Cum enim hæ apud multos authores præcipuè Dioscoridem & Galenum admodum copiosè legantur: satis superque visum est, si plantas, quarum vires illi prædicarunt, ostenderemus. Obiter tamen quarumdam meminimus, vel quia ad fidem faciendam aliquid præstent, vel quia apud antiquos non reperiantur. Ingressus autem sum gurgitem hunc vastum sperans à probis viris, sicubi fortè hæsitare contigerit, patrocinium, ne inuidorum maledictis obruar: Nam in studiosorum gratiam, atque vtilitatem malui periculum detrectantium subire, quam fructu, si quis est à DEO Optimo Maximo per meos labores paratus,

ratus, illos defraudare. Neque verò in tanto ſtirpium numero fieri poteſt, quin aliqua fortè nos fugiat: & inſtar militum aliquando ad alienas claſſes tranſmigrantium, in alieno genere collocetur: Quod maximè contingat peregrinis medicamentis, quorum aut ſola radix, aut ſuccus, aut lignum, aut pars alia aſportetur, tota autem planta viſa nobis non ſit. Tibi autem Sereniſſime FRANCISCE munuſculum hoc, quodcumque ſit, nuncupo: tibi enim iure debetur, apud quem extat eius rudimentum ex plantis libro agglutinatis Vtcumque à me multo antea iuſſu COSMI Patris tui compoſitum cum pollicitatione, vt DEO fauente aliquando abſolutum traderem. Eiuſdem alterum extat exemplum apud clariſſimã familiam Tornabonam Reuerendiſs. Alphonſo Antiſtiti Burgenſi per me ſimiliter paratum: quę & ſi ob materiæ fugacem naturam nequaquam peremnia futura ſint, adhuc tamen vigere ſcio in teſtimonium eorum, quæ in hoc volumine à me dicuntur: puriſſimam ſcilicet ſtirpium hiſtoriam continere, nullis figmentis adulteratam, qualem ſæpe in impreſsis picturis inſpicimus. At verò fideliſsimum eorumdem teſtimonium præbere poſsint & imagines, quæ apud te ſunt ea induſtria depictæ, vt minutiſsimas quaſque differentias exprimant, & tantum non vegetent: quas ſi aliquando liceret typis mandare, non ſolum egregium, ſed & Regium opus meritò exiſtimaretur. Quod igitur in me erat, id offero: DEVS autem Optimus Maximus longeuam fęlicitatem concedat. Vale: Ex Piſana Academia.

CHRISTOPHORI PAGANELLI CASTROCARENSIS

In Libris de Plantis Andreæ Cæſalpini ſui Clariſsimi Præceptoris Epigrammata.

HOC opus egregium poſtquam Natura relegit
Vidit & admirans, quod ſuperatur, ait,
Quid iuuat obſcuris Plantas genuiſſe Cauernis?
Gramina & incultis excoluiſſe locis?
Quidue tot innumeris herbas ornaſſe figuris
Profuit, & variis implicuiſſe comis?
Ne ſolers hominum genus vlla, dum inuidet, arte
Mox poſſet Vires æquiparare meas:
Si iam Cæſalpinus adeſt, ignotaque priſcis
Monſtrat, & à multis explicat implicita;
Qui ſic ante oculos rerum diſcrimina ponit,
Vt mihi par viuat, proximus vtque Deo.

EIVSDEM.

RVRSVS ad æthereas redeat ſi Plinius auras
Siue Dioſcorides, ſeu Macer ille Vetus
Seu quicumque alius Plantarum nomina ſcripſit
Hactenus, herbarum compoſuitque notas;
Qui ſint ac flores, docuit, quæ ſemina, fructus,
Quæ folia, & radix, qualis & vſus eis:
Quiſquis hic extiterit, primos concedet honores
Cæſalpine tibi, primaque ſerta dabit;

Quan-

Quandoquidem in terris Naturæ abſcondita quæque
Cernere, & ad lucem tot reuocare potes:
Quæ dum mente ſagax intacta hucuſque requiris
Immortale decus, nomen & inde paras.

EIVSDEM.

HORTVM ſi libet ingredi viator
Securus potes: aſpice, vt recluſi
Cunctis ſint aditus, patenſque limen.
Non eſt qui vetet huc iter, Priapus
Turpis, falce minax, & impudicus:
Non latrans Canis, aut Puella cuſtos,
Iratus neque Villicus, neque Agger
Obſtat ſæpibus, horridiſque ſpinis.
Miraris, loca quid vides aperta:
Non vllæ timor imminet rapinæ;
Totum nam licet hunc vores ocellis,
Intactus tamen vſquequàque fiet:
Qui tot muneribus ſcatet frequenter,
Vt ipſi Aonidum queant ſororum
Formoſi merito inuidere colles,
Nec non quicquid habet ſuauioris
Agri diues Arabs odore multo.
Quod ſi tu ſemel hic vaces parumper,
Siue poma legens virentis horti,
Seu herbas, ſeu bene floſculos olentes,
Nil eſt, quod cupias minus, quàm abire.

ANTONII PELLICINI EMPORIENSIS

In de Plantis Grauissimos Libros Andreę Cæsalpini Aretini Doctissimi, ac Excellentissimi Pręceptoris sui Epigramma.

QUAS texi formas consultò scire profundas
Plantarum terris obsecro quis potuit?
En qui te præstat, saltem Natura vel æquat,
Hic author solus sat bene monstrat eas.
Fælix Cæsalpine quidem, fælicior orbis
Te splendens. Currant hæc bona fata diu.

INDEX LOCVPLETISSIMVS PLANTARVM NOMINVM,

Quorum in hoc opere fit mentio: cuius quidem indicis primus numerus libros, cæteri vero capita indicant, nisi tamen copulatiua dictio fuerit adiuncta; tunc siquidem ille etiam numerus libros, reliqui vero capita significant.

Al-

An-

Astrios

B.

Bor-

C.

Crassula

D.

Desi-

E.

Erui-

F.

G.

H.

I.

L.

Latifo-

M.

Melica

NAPEL-

N.

O.

Or-

P.

Per-

Phry-

Sa-

Sola-

Sym-

Tri-

V.

Vitis

FINIS.

ANDREAE CAESALPINI ARETINI

DE PLANTIS LIBER PRIMVS

CAP. PRIMVM.

VM natura plantarum illud ſolum genus animæ ſortita ſit, quo alantur, creſcant, & gignant ſibi ſimilia; careant autem vi ſentiendi, mouendiq; in quibus animalium natura conſiſtit: iure optimo plantæ longe minori inſtrumentorum apparatu indiguerunt quàm animalia. Multæ enim ſunt partes in animalibus ad ſenſum facientes, quæ multiplici forma & numero ſunt conſtitutę: plures adhuc in eiſdem reperiuntur ad motus pręſtandos: nam huius gratia vniuerſa ferè oſſium ſubſtantia articulis diſtincta eſt, & caro in muſculos eſt digeſta neruis in omnes partes diſcurrentibus; ſi præterea viſcera contemplemur, quæ altricis animæ ſunt inſtrumenta, ob ſimilem animæ facultatem, modicam quidem ſimilitudinem cum plantarum partibus intuebimur; ſed in pleriſq; maximam diſſimilitudinem. Natura enim venarum, quæ alimentum ex ventre hauriunt, vt illud in vniuerſum corpus diſtribuant; aliqua ex parte reſpondere videtur cum plantarum radicibus; nam ſimiliter hæ ex terra tanquam ex ventre cui implantantur, trahunt alimentum. Cum autem animalia exquiſitiori ciborum genere indigerent, & multa eorumdem præparatione coctioneq; eorũ radicibus ventres ſunt appoſiti, aliiq; multi ductus ad alimenti excrementa ſeparanda. Quæ omnia plantis negata ſunt. Quo fit, vt corpora plantarum valde ſimplici ſubſtantia conſtare videantur, & maxime accedere ad naturam ſimilarium, diſcedere autem ab operoſa organicarum compoſitione. Quoniam autem altricis animæ opus eſt gignere quale ipſum, ſiue id ex alimento fiat ad conſeruationem ſingulorum, ſiue ex ſemine ad ſpecierum æternitatem: duæ ad ſummum partes perfectioribus datæ ſunt, maxime neceſſariæ: Vna, per quam ſumant alimentum, quæ radix appellatur. Altera qua fructum tanquam fętum ad ſpeciem propagandam ferant, qui caulis vocatur in humili materia, caudex autem in genere arboreo. illa quidem ſuperior, quia principalior licet intra terram condita ſit; viuunt enim multæ plan

tæ sola radice, postquam caulis exaruerit perfecto semine, vt Cyclaminus, Aristolochia, & pleraque inter Acanacea, & Ferulacea; hæc vero inferior quamuis supra terram attollatur; excrementa enim, si quæ sunt, per hanc partem excernuntur: quomodo in animalibus pars superior & inferior accipitur. Verum si nutritionis modum inspexerimus, alio modo partem superiorem inferioremq; statuemus. Cum enim tam in animalibus quam in plantis nutrimentũ sursum feratur; leue enim est, quod nutrit, vtpote quod à caliditate sursum ducitur: radices in inferiori parte implantari necesse fuit, caulem autem recta sursum attolli: nam & in animalibus venarum radicatio in inferiori ventre est, caudex autem sursum petit ad cor & caput. Vtrum autem aliqua pars in plantis statuenda sit, in qua sit animæ principatus, vt cor in animalibus, considerandum est; Esse igitur in illis oportere aliquam huiusmodi partem ex eo coniectari licet. Cum enim anima sit actus corporis organici, neque tota in toto esse potest, neque tota in singulis partibus, sed tota in aliqua parte principali, vnde cæteris ab ea pendentibus vita communicetur, vt vniuersaliter à nobis ostẽsum est in Quęstionibus Peripateticis: ex propriis autem, quæ circa plantas contingunt, hoc modo ostendi possit; si enim radicis opus est alimentum ex terra trahere: caulis autem semen ferre: neque commutantur vnquam, vt radix semen ferat, & germen intra terram condatur; aut duæ erunt animæ specie distinctæ & loco separatę, vt altera in radice sit, altera in germine: aut vna erit vtrique propriam facultatem impartiens: Non esse quidem duas animas specie diuersas, & loco separatas in vna planta illud argumento est: quod sępe videmus radicem abscissam germen emittere, & ramum abscissum radicem intra terram egerere: quasi indiuisibilis specie anima sit in vtrisque partibus. Hoc autem videretur ostendere totam animam in vtrisque partibus esse, & totam in tota planta, nisi illud obstaret, quod similiter in multis videmus, diuisas esse omnino facultates in vtrisque partibus, vt germen, quo modocunque fodiatur, radices nunquam emittat, & si abscindatur, pereat: vt in Pinu & Abiete, radices quoque auulsæ in eisdem pereunt: quasi principium quoddam sit vitale, à quo vtrisque vita impartiatur, quamdiu adnatę illi fuerint. Verum enimuero difficile fuerit in plantis huiusmodi partem inuenire, in qua sit animæ principatus. Si enim illas plantas inspexerimus, quæ multum temporis viuunt sola radice, postquam caulem cum semine abiecerint, videbitur principium in radice esse, si vero rursus illas intuebimur, quæ ex ramo, aut surculo propagantur, vt Olea, Vitis, & Punica, principium in germine esse fatebimur; Erumpit enim ex illis radix, si serantur. Si præterea partium differentias contemplemur, tum in radice, tum in germine, in radice quidem omni duas partes inspiciemus, corticem scilicet, & corpus, quod intra corti-

cem

cem continetur;in aliis quidem durum lignosumque; in aliis autem mol le carnosumque: in caule autem tria partium genera ipsum constituentia, corticem scilicet externum, medullam internam, & medium corpus inter corticem & medullam,quod in arboribus lignum vocatur. Si igitur in omnibus natura in intimis recondere solet vitalia principia vt viscera in animalibus: rationi quoque consonum fuerit in plantis non statim intra corticem, sed intimius principium condidisse, scilicet in medulla interna,quæ tantum in caule est non in radice. Hanc autem fuisse antiquorum sententiam ex nomine coniectari possumus: hanc enim partem in plantis cor appellabant, alij Cerebrum, alij matricem, quasi hinc fœtificationis principium ducatur; Quoniam autem in medio esse maxime oportuit id quod exteris partibus vitam distribuit. duæ autem sunt partes plantarum maxime conspicuæ radix scilicet,& id totũ, quod sursum attollitur, meritò in intermedio, qua scilicet radix germini coniungitur, locus videatur cordi plantarum opportunissimus. Apparet autem in hoc loco substantia quædam, tum à germine, tum à radice distincta, mollior enim & carnosior est vtrisque, vnde cerebrum appellari solet, in multis cibo accomodata antequam senescat; nam per ætatem dura & lignosa redditur,vt cæteræ quoque partes, pulcherrime autem huic parti conuenire videtur cerebri nomen,quemadmodum enim in animalibus cerebri medulla in capite est, vnde spinalis medulla exoritur in totam spinæ longitudinem diducta, sic in plantis cerebrum in radice tamquam in capite sedens per totum caulem quasi per spinam dorsi medullam deducit ad vitalem humorem ramis & extremis surculis distribuendum.

CAP. II.

QVA autem ratione fiat alimenti attractio,& nutritio in plantis, consideremus. Nam in animalibus videmus alimentum per venas duci ad cor tanquam ad officinam caloris insiti,& adepta inibi vltima perfectione per arterias in vniuersum corpus distribui agente spiritu, qui ex eodem alimento in corde gignitur. In plantis autem neque venas,neque alios ductus manifestos conspicimus,neque calorem vllum sentimus, vt mirum videatur, qua ratione in tantam magnitudinem arbores adolescant, cum lõge minus calidi innati habere videantur quam animalia. An animalibus ob sensum & motum, plurimum calidi innati datum est; & recta ratione minus adolescunt,quia multum nutrimenti absumitur in obeundis sensuum & motuum operationibus; plurimum enim eius conuertitur in spiritus: huius igitur gratia venas habent latas,vt multum alimenti continere possint. Plantæ autem cum

soli officio nutritionis indulgeant, possunt pauciori calido innato, & magis adolescere & fructus multos edere. Quamuis autem sensui immanifestus sit calor, non ob id negandus est: quæ enim minus calida sunt quam tactus noster, frigida indicantur. Venas quoque datas esse plantis licet exiguas argumento sunt illæ, quæ lacte manant vt Tithymalorum genus, & Ficus, nam si abscindantur, manat multus humor, vt incisa carne animalium sanguis: quod & in Vite maxime contingit, sed propter meatuum exiguitatem conspici nequaquam possunt; apparent autem in omni caule & radice quædam vel instar neruorum fissilia secundum longitudinem, quos neruos vocant vt in Abiete: vel crassiora quædam in ramos deducta, quas venas vocant in foliis plerisque manifestissima: hoc igitur esse alimenti meatus putandum est, & proportione respondere cum venis animalium. Non est autem in plantis vnus venarum caudex vt vena caua in animalibus, sed multæ & tenues ex radice in cor, & ex corde in caulem ascendentes: non enim in ventre aliquo communi contineri opportuit alimentum, vt in corde animalium fuit necesse ad spirituum generationem: nam feruente humore multo simul in vase spiritus fit multus: sed satis fuit alterari humorem tactu medullę cordis, vt in animalibus cerebri medulla, aut iecoris caro facit: nam & in his non magnæ aut paruæ, sed frequentes & valde tenues sparguntur venæ. Fit autem per has alimenti attractio non motu aliquo fibrarum attrahentium, quod familiare est, & expellentium, quod fuerit contrarium: nam sine aliquo sensu alimenti hæc non fiunt: huius enim gratia gustus & tactus datus est animalibus. Cum igitur plantæ omni sensu careant, genus alimenti non seligunt: sed humorem in terra mixtum alia ratione trahunt: quæ autem ista fuerit, difficile est videre: neque enim ratione similitudinis dicere possumus, vt magnes ferrum trahit: nam in his, quod maius est, ad se trahit id, quod minus: quod si id fieret in plantis, cur potius humor terræ non traheret humorem plantarum? neque ratione vacui: cum enim in terra non solum humor contineatur: sed etiam aer, hic autem insequatur facilius vim attrahentis ob vacuum, quam humor, vt patet in cucurbitulis terræ admotis: plantę aere potius replerentur quam humore. An quædam sicca secundum naturam humorem trahunt? vt lintea, spongiæ, pulueres: quædam respuunt, vt auium quarundam plumæ, Adiantum hęrba, hæc enim & si in aqua degant, non tamen madefiunt aqua ipsis non hęrente: illa autem multum sorbent; quia cum aqua conueniunt magis, quam cum aere. Ex huiusmodi igitur natura partes illas in plantis constare putandum est, quibus vtitur anima altrix ad trahendum alimentum: Idcirco eæ non ad venarum similitudinem meatu quodam continuo peruiæ sunt: sed potius instar neruorum ex villosa constant substantia: sic enim bibula earum natura continuè humorem

ad

ad principiũ caloris innati ducit, vt in lucernarum luminibus videmus; funiculo enim quodam vtuntur, quo oleum continue ad flammam ducatur. Adiuuat autem hunc motum caliditas innata humorem affluentem absumens in germina & fructus: necesse est enim alium subinde consequi absumpto priori ob easdem causas, vt hi faciunt, qui penicillo in humore imposito, vt altera eius pars extra vas propendeat, humorem à feculentia secernunt: Distillante enim per penicillum exterius pendentem humore, alius continuè subsequitur ascendens ex vase, donec vniuersus exeat clarus: sic radices plantarum ex terra, humorem puriorem continue bibunt, donec humor suppetat, & calor distribuat: quod enim ibi grauitas humoris facit, vt scilicet deorsum distillando prolabatur: hic leuitas præstat; calor enim hoc modo sursum ducit. Ob id plantæ pleręque Vere & ęstate germinant magis, & fructus edunt: quia à calore externo augetur humoris attractio: Hyeme latitat in profundo exilis flamma modico egens nutrimento, contra quam in animalibus natura calidioribus; viget enim in his calor innatus hyeme magis quam æstate. Deficiente igitur aut diminuta humoris absumptione deficit, aut minuitur attractio: contingit autem id, vt summatim dicatur, vel defectu caloris insiti, vt in congelatione facta à frigore, & in æstu pabulum absummente citius, quam possit alter humor accedere: vtroque enim modo extinguitur calor innatus, quo extinto humor non digeritur; eo autem non distributo alius non attrahitur, vel ob uitium instrumenti, quo fit attractio. si enim hoc aut durius reddatur, quam oportet, vt in senectute fit, aut morbos alios patiatur: ad humoris trasmissionem ineptum redditur: vnde plantas contabescere aut interire necesse est. Quo igitur ingenio natura vtatur ad alimenti attractionem in plantis dictum est.

CAP. III.

QVOMODO autem germinatio fiat, & cuius gratia, dicamus; sic enim cæteræ quoque partes fient manifestæ. Videtur autem propria esse plantarum germinatio, non enim in animalibus vllis huiusmodi affectionem perspicimus: illorum enim partes omnes factæ sunt, antequam in lucem exeant. Plantæ autem, quamdiu viuunt, nouellas edunt partes, quæ germinatio vocatur. Forte autem in animalibus, pilorum, & dentium, & cornuum generatio germinationi similis videatur, cum posterius erumpant. Verum partes hæ cum facultatem nullam habeant ab anima; sed vsum tantum præstent, merito non constituunt animalium substantiam: at plantarum germina tamquam animata vires eius animæ & opera pulcherrima ostendunt, solum in vtero gerentibus videtur vera germinatio. Fętus enim, qui adnascitur, tam

quam

quam germen eius partis viuit nutrimento ex eadem affluente. Differt autem; quoniam in his principium extrinsecus ducitur, scilicet ex semine maris, alimentum ex vtero trahente; in plantis autem tum materia, tum principium intrinsecus prouenit: in Ouiparis tamen crescunt oua, & ea, quibus propendent sine semine maris, at infœcunda; sensualem enim animam, qua animal est, non habent sine maris coniunctione: hoc autem principio nequaquam eget ipsum vegetatiuum, quasi huius solius sit ex se germen emittere. Ex his autem colligere illud quoque possumus: edendi fructus gratia germinationem datam esse; si enim in animalibus conceptus non fit sine aliqua germinatione, necessarium quoddam videatur ad eam propagationem, quæ ex semine fit: sunt enim plantarum semina tamquam fętus animalium. Magis autem manifesta est in plantis germinatio, quia eæ præter radicem & cor, reliquas omnes partes ferendi fructus gratia habent: animalia autem solum vterum. Amplius quæ gignuntur, in vtero latent ad partum vsque: quia foueri proprio calore fętum oportet: plantarum autem fructus, cum solis calore egeant ad perfectionem, non intro semper concludi oportuit: sed pro oppertunitate explicari & ad lucem emergere fuit necessarium. Hoc autem facit ipsa germinatio; erumpit enim tamquam ex vtero omne germen & fructus, & paulatim in apertum exit: omnibus autem explicatis & in lucem editis, id totum, quod fructus gestat, videatur vterus inuersa, cui fętus multi sint appensi. Ea autem pars, vnde germen erupturum est, oculus vocatur, quam solent accipere, qui inserendis arboribus student: turgente enim arbore vt cortex ob humorem subiectum facile abiungi possit à surculo, circumciso circa oculum cortice, auferunt, & alteri inserunt, in sedem eius plantæ oculi iuste aptantes: quam inoculationem vocant; sic enim erumpit germen pro natura oculi insiti, extuberante autem iam germinis principio non dum autem explicato: partem hanc gemmam vocant, germinis autē explicatio fit dehiscentibus foliis: quanto enim magis erumpit germen, eò magis folia ipsum circumplectentia, tamquam manibus inuicem superpositis explicantur, solo pediculo adnexa: quasi huius gratia folia data sint, vt tenerum germen tueantur vel etiam fructū, vbi fructus erumpit cum germine: postquam verò eadem explicata sunt, alium vsum præstare videntur vmbram scilicet, ne à sole nimis vrantur tum fructus, tum nouella germina: moderatos enim solis radios vtraq; desiderant, quod foliorum positione, & forma præstatur illos partim transmittentium, partim retinentium. Ideo plurimis in autumno decidunt folia perfectis fructibus, & germinibus induratis. Si quæ autem diutius seruant fructus, diutius quoq; retinent folia: adeo vt quædam vsque ad alteram germinationem & vlterius asseruent, vt Pinus, Arbutus, Laurus. Ferunt autem in regione feruente, vbi perpetui fe-

rè

rè sunt æstus, nullis arboribus folia decidere: quod recta ratione fit: regent enim plantę perpetua inibi foliorum opera ad vmbram faciendam. cum igitur folia ad tegendum data sint, merito ex cortice tantum ortum ducunt, quasi eius appendices quædam, cortex enim conuestiendi gratia datus est. Cum autem cortex ex duplici corpore constet, scilicet ex interno duriori robustiorique, qui in arboribus liber appellatur, & externo molliori quidem tenuiorique in iunioribus germinibus, in vetustis autem ob siccitatem asper redditur, & sæpe dehiscit in arborum genere: folium in plerisque ex externi corticis substantia magis constat; vnde eius tenuitas & mollities oritur, & facile per siccitatem decidit secundum naturā quidem in autumno, præter naturam autem in æstate. Quibus autem perpetuum est folium, his ex interni corticis substantia multum retineri in folio putandum est, sunt enim duriora & crassiora eorum folia, tam in arboribus, quam in humili materia. Venæ autem, tum quæ per medium dorsum, tum quæ in latera sparguntur, ex interiori cortice oriuntur; hic enim solus venosus est; quod autem ex cortice constent folia, illud argumento est, quod in quibusdam videmus totum corticem in folia transire, vt nullus relinquatur germen conuestiens præter folium: vt in Harundine, Tritico, Ferula: sed in his magis folij pediculus quam folium caulem circum amplectitur substantia crassior existens, quam folium. Cuius igitur gratia data sunt folia germinantibus, & qui sit eorum ortus, ex dictis contemplari licet. Germinis autem substantia interius principium ducit; non enim sine medulla est, neque sine eo corpore, quod medullę circumponitur; si quis enim virgam germinantem denudare à cortice studeat, auferet quidem cum cortice folia, vtpote quæ illi soli sint appensa, germina autem non auferet; continua enim sunt cum interni corporis substantia: idque recta ratione; Cum enim germen ferendi fructus gratia datus sit, vis autem prolifica in medulla tamquam in corde contineatur: hanc per tota germina deductam esse oportuit: quod si hanc, & lignum quoque circumpositum medullę, aut aliud corpus huiusmodi & extremum corticem. Videntur autem quædam sine medulla viuere, vt Calami, & quę caulem cōcauum ferunt: sunt & arbores, quarum caudices excauati viuunt, vt Salix, Olea. An medullæ natura in his non seiuncta est à circumposito corpore seu ligno, & forte in nullis? oportet enim venas alimentum trahentes tangi à medulla, eæ autem per totam caudicis substantiam feruntur: quantum igitur medullæ in medio est venas non tangens, crescente caule, aut caudice euanescit, locum cōcauum relinquens: in nouellis enim germinibus, seu à radice, seu ex ramis nulla reperiuntur concaua. Dubitabit quoque quis non in medulla; sed in cortice magis vim prolificam esse: inoculatio enim fit solo cortice insito; germinat autem secundum naturam corticis, non secundum naturā

ligni

ligni subiecti. Præterea pleręque arbores circumciso in orbem solo cortice emoriuntur in totum, non emoriuntur autem excauata medulla. Dicimus corticem insitum ideo germinare; quia prorumpit ex subiecto ligno germen, cui cortex agglutinatur ob affinitatem; nisi enim corticis oculus, oculo ligni accomodetur, non germinat; producuntur autem & folia & fructus secundum naturam corticis: quia hæc in omnibus ex cortice ortum ducunt: semina autem interna non secundum naturam corticis, sed ligni subiecti fiunt; nam si serantur, nascuntur, non pro natura insiti corticis, sed vt plurimum sylueſtre genus: ortum enim ducunt ex medulla, non cortice; quod autem corticis in orbem circūcisio in plerisque arborem enecet, fit; quia germinatio non fit sine cortice, vt superius est explicatum, qui autem derelinquitur supra circumcisum locum, emoritur; quia ablatus est alimenti ductus ex infernis; si quis autem ex ligno subiecto ali possit, viuit, vt contigit Suberi, & aliis quibusdam, quibus pertinaciter cortex ligno inhęret.

CAP. IIII.

PRIMA autem plantarum germinatio est à radice, quod enim primo nascitur siue ex semine, siue per putredinem radix est. Cum autem in eius capite sit ea pars, quæ cordi animalium respondet, vnde germinis principium ducitur, aliquando vno caule, aliquando pluribus; cor enim in quibusdam indiuiduum est, vnde vnicus caulis assurgit, vt in plerisque arboribus: in quibusdam quodam modo diuisionem patitur, vnde ab eadem radice multi caules erumpunt, vt in Tritico. Numquam autem vnum & idem cor author est plurium caulium: patet autem in iis, quę amisso priori caule alterum fundunt, vt in ferulaceo genere; numquam enim ex eadem parte, sed à latere germinant; Vt autem vnum cor vnius est caulis, sic videretur vnius quoque radicis vnum cor esse, quod si hoc esset, nullæ essent, quę plures caules ferrent. An radix vna vnum quoq; germen initio profert; postquam autem eadem magnitudinem adepta est conspicuam, diuiditur in quibusdam in plura principia vel simul, vt in Tritico, vel successiuè, vt vno extincto alterum subnascatur vt in Ferula. Plantarum enim plurimarum natura est, vt diuisæ viuant: quia earum principium licet actu vnum sit, est tamen potentia plura: nihil autem refert, siue à nobis plantæ diuisio fiat, siue sponte diuidatur principium solum: diuisæ enim radices quædam, licet in paruas partes cōcisæ sint, germinant vt Graminis, Raphani Montani: nam vbiq; erat cor potentia, & hæc radice seri possunt: sponte autem multitudo germinum fit, vel eadem subiacente radice communi, vt in Fęniculo: vel singulis germinum principiis noua suborta radicula, vt in Cipero,

Iride

Iride & tandem geniculatis ferè omnibus: quasi sponte natura ipsa radicum diuisionem in geniculis moliatur. Inter has quędam sunt, in quibus noua orta radice & germine, altera tamquam senio confecta emoritur, vt in Satyrio, & Gladiolo contingit; diuidit autem natura ex toto cum germinum principiis etiam nouas radiculas, in Allio & cęteris Bulbaceis: Allij enim spicæ appellatæ principia sunt germinum omnia ab eadem radice orta, qua exsiccata propriæ singulis suboriuntur radiculæ, qui propagandi modus per sobolem appellatur. Germinatio igitur ex radice hoc modo habet; exoritur autem in hac germinatione caulis quidem in humili materia, caudex autem in arborea; cùm autem omne germen fructus ferendi gratia datum sit, quod à radice est, aut statim fructus gestat, vt in Bulbaceis, & frumentorum generibus, & in Palma, aut aliis intercedentibus germinibus, idque vel per vnum vel per plura media, secunda igitur germinatio in caule fit ramos constituens, tertia in ramis ramusculos producens: & sic deinceps. Appellant autem extremas germinationes in arboribus surculos, quos ad inserendum assumunt. In genere igitur humili, quæ caulem ammittunt, nullæ ferè transeunt tertiam germinationem: in genere autem arboreo, ad minus tertia germinatio fructificat, vt in Vite, idque non ex semine, sed si seratur ramo, singulis annis nouo germine prodeunte, non omnibus vno anno erumpentibus, vt in genere herbaceo. Germinis autem eruptio, non ex omni parte caulis fit: sed maiori ex parte ex alis foliorum, qua scilicet parte folij pediculus nectitur cauli, inibi enim oculus est futuri germinis, quasi folium eius custodiendi gratia sit appositum, sinu quodam in cortice relicto, qua ab eodem exoriens abscedit. Fit enim in hac parte veluti alterum cor erumpente in eam sedem ex interna medulla principio. Quapropter nodus quidam caulis apparet, qui si totum caulem cingat, geniculus vocatur, vt in Tritico & Calamo, coeuntibus & veluti implicatis in hac parte neruis, partim ad robur, in quibus caulis est inanis, vt in Tritico, partim ad noui germinis productionem, quibus germinatio in caule data est. Ordo autem quidam germinum spectatur vt foliorum, nam vel singula in singulis nodis, siue geniculis nascuntur, idque vel in duobus lateribus tantum, hæc quidem in dextris, hæc vero in sinistris alternatim, vt in Arundine, vel pluribus, in quibus ordo minus perspicitur, vel in singulis geniculis bina, aut etiam plura ferunt folia, ac germina; quæ autem bina ferunt, alternatim disposita sunt, vt hæc quidem ante & retro spectent, hæc vero in dextra & sinistra: ob quam foliorum & germinum positionem in pluribus caulis redditur quadratus, vt in Marrubio. Horum igitur omnium à latere germinatio fit; sic enim disposita sunt folia, ex quorum alis erumpunt germina; vnde & rami alę vocantur; sparguntur enim à

latere instar alarum: Quædam autem sunt, quarum germinatio non in omni foliorum exortu; sed in summo tantum fit veluti fisso in ea parte caule, vt Tithymalorum genus, Linum, Lithospermon, & inter arbores Abies, Pinus: omnibus enim his folia vndique densè vestiunt caules, vt non pateat germinis exortus nisi in summo: ideo in his rami ex certo interuallo & numero conditi pulchre spectantur, quod in cęteris non videtur: licet enim geniculi, vel nodi certo interuallo distent, non tamen in omnibus germina proueniunt, vel non paria. Germinationes igitur ordine dispositæ à radice vsque ad extremos surculos fructus ferentes huiusmodi sunt.

CAP. V.

QVONIAM vero plantarum principium, quod cor appellatur, non quemadmodum in animalibus in vno quodam loco seiunctum permanet: sed veluti in omnes partes distributum est, fit, vt multæ diuisæ non solum viuant, vt quædam animalia inter insecta faciunt: sed per diuisionem propagentur, quod nullis animalibus contingit: vbicunque enim est cordis natura, ibidem est & germinis & radicis principium: ante diuisionem quidem potentia, postea vero etiam actu, idcirco radices quædam abscissæ germen emittunt, & è contra caules quidam abscissi, si intra terram condantur, radices egerunt, & alimentum trahunt: quamquam non similis in omnibus sit propensio: quædam enim radice diuisa melius proueniunt, vt Helenium. Raphanus montanus, quędam caudice, aut ramis maioribus seri postulant, vt Olea, quædam surculis, vt Punica & multa in genere suffructicum: Magis autem radices ex vetustioribus ramis erumpunt: germina autem ex iunioribus: idcirco, qui serunt, surculo aliquid annotini rami relinquunt, vt in Vitium malleolis. Quod autem ob iniuriam diuisionis multæ faciunt, idem sine diuisione quædam moliuntur: nam si contingat ramos terram attingere, radices in contactu dimittunt intra terram, & nouam prolem germinant, quas viuiradices vocant, vt in Vite & ferè omnibus, quæ ramo, aut surculo proueniunt. Maxime autem id fit in herbaceis quibusdam, quorum caules humi serpunt, vt in Hedera terrestri, Ranuculo quodam, Pentafillo, & Humirubo: nam in his, duo genera caulium natura moliri videtur, vnum, qui attollitur ad fructum ferendum: alterum qui serpit ad sobolem in singulis geniculis procreãdam: idem quædam intra terram faciunt, vt Gramen, & Ciperus; nam & hæ in singulis geniculis & radicant, & germen emittunt. Illud autem peculiare adnotauimus in minori Dentaria: cum enim hæc caulem rectum ferat; radiculas tamen geniculatas in singulis foliorum alis fert, quibus deci-

decidentibus in terram noua erumpit planta, cum tamen in ſummis caulibus eadem ſiliquas ferat, in quibus ſemina continentur, vt ſimul in eodem caule vtrumque moliatur ſemen & ſobolem. Quamuis autem aliæ ſint, quarum caules radices edant ſupra terram, non tamen ad ſobolem gigniendam: ſed auiditate nutrimenti illas egerunt, vt Hedera, quæ ſuo amplexu arbores, vel parietes numeroſis radiculis exugit, & Melica, ac Semperuiui quoddam genus arboreſcens: hæ namque radiculas ex caule longas dimittunt, donec terram attingant. Peculiare quoque in Allio & Porro videatur: cum enim hæc ſobolem ad radices ferant, gigniunt etiam in ſummis caulibus loco ſeminis. Quæ enim ſeruntur, radicum capita ſunt non ſemina, ſimilem ſobolem etiam in ſummis foliorum vidimus in quodam Bulbo, quem Moli vocant: Differt autem ſoboles à ſemine, vt fœtus viuens ab ouo: ſemen enim tamquam ouum eſt, in quo eſt principium vitale; at vita nequaquam. ſoboles autē viuit primo quidē iuxta parentē, vt eius germen. poſtea verò per ſe ipſam propriis radicibus ex terra humorem trahens. Præterea ſoboles, vel radix eſt incoata, vel germen, vel vtrumq; conſpicuam magnitudinem habens: ſemen eorum principium gerit incluſum in cortice: idcirco nutrire multam ſobolem plantæ nequeunt, ſemina autem valde numeroſa ferre poſſunt, vt in animalibus Vipera & Ouipera ſe habent: ſobolis autem generatio ſimplicior eſt tamquam ex particulæ auulſione propagatio. Seminis conſtitutio multiplices partes requirit. Poſtquam igitur & radicum, & germinum ortum & conſtitutionem explicauimus, deinceps ſeminum apparatum aggrediamur.

CAP. VI.

CVM in ea propagatione, quæ fit ex ſemine, plantarum finis conſiſtat, quæ enim ex ſobole fit imperfectiorem naturam ſequitur, qua ſcilicet plantæ diuiſæ viuunt, merito plantarum pulchritudo in ſeminis productione maxime oſtēditur: Nam & numero partium, & figuris, & conceptaculorum differentiis fructificatio longe maiorem ornatum præſefert quam germinatio: adde florum admirabilem venuſtatem, qui genitricis naturæ delitias in ſeminibus condendis præmonſtrant. Quemadmodum igitur in animalibus ſemen excrementum eſt vltimi alimenti in corde, cuius calore vitali cum ſpiritu apprehenſo fœcundum redditur: ſic in plantis neceſſe eſt ſeminum ſubſtantiam ex ea parte ſecedere, in qua principium eſt caloris innati, quam medullam eſſe ſuperius comprobauimus. Hinc igitur ex humidiori purioriq; parte alimenti ſeminis medulla exoritur, ex craſſiori autem eiuſdem putamina ad tutelam circumpoſita. Non fuit autem neceſſe in plantis genituram ali-

quam distinctam à materia secerni, vt in animalibns, quæ mare & fœmina distinguuntur: maris enim genitura materiam in fęmina efformat sua vtens corpulentia tamquam instrumento, vt in Quęstionibus Peripateticis explicauimus. At plantæ cum non multa egeant organorum distinctione, pauciorique spiritu vtantur, materiam simul cum spiritu formante secernunt, qui conceptus est tamquam ouum: idcirco maris & fœminæ distinctione non indiguerunt, quamquam secundum aliquam similitudinem quædam mares appellentur, quædam fœminæ. Inest igitur in omni semine quædam plantæ incoatio. Quemadmodum enim in ouo quædam particula continetur, in qua est animalis futuri veluti delineatio, reliquum autem corpulentiæ pro alimento est: sic in plantarum seminibus pars illa principatum continet, vnde radix erumpit & germen; est enim quasi corculum quoddam reliqua parte seminis alimentum illi primum subministrante: patet autem id maxime in Tritico; pars enim quædam inest veluti oculus, quam si laceras, nequaquam nascitur: ob id eam particulam formicę erodere solent, antequam recondant intra terrã. Si autem reliqua pars seminis vulneretur, aut à vermiculis perforetur, integro seruato corde nihilominus prouenit. Est autem seminis medulla in plurimis candida, sicut & animalium genitura: principia enim corporum naturalium vt plurimum candida sunt, vt elementa, siquæ tamen flaua sunt vt multorum leguminum semina, ad albedinem aliquo pacto vergunt. Pinguedinem præterea plurima præseferunt: adeo vt ex quibusdam oleum extrahatur, vt ex Nucibus, Amigdalis, Sinapi: Humidum enim vitale, in quo spiritus cõtinetur, calidum est & aereum, non aqueũ: Non tamen humida sunt, vt animalium genitura; longe enim siccior est plantarum natura quàm animalium; at molliciem cum ea siccitate quandam habent, cum præcipuè fuerint humectata: nam circa exortum omnia humidiora sunt, per ætates autem continue exsiccantur. Quamuis autem quædam semina ossea ex toto videantur, vt Palmæ, vel cartilaginea, vt Rusci, Gladioli, & aliorum quorundam: latet tamen seminis medulla mollior in exiguo quodam meatu, vnde erumpit in exortu plantula integro osse derelicto. Sicca igitur cum propria mollicie semina esse oportet, cum perfecta sunt, exempta scilicet à sole omni aquea humiditate non aerea: sic enim sata humorem facilius trahunt è terra, quo ante omnia intumescunt: Deinde excitato ignis principio in ipsis latente, vt Calci contingit, in humoris occursu, idem humor cum lactea seminis substantia permixtus & concoctus, tamquam familiare alimentum auget conceptum antea incoatum; Tunc autem radix primo emergit peciolo quodam ex corde seminis prodeunte, qua corticem dehiscere & egressum semini concedere necesse est: postquam autem radicem in terram egerit, reliqua seminis corpulentia in plurimis ex suo cortice

tam-

tamquam ex ouó in lucem prodit, quæ in duo foliola pulposa explicata particulam ostendit, vnde germen erupturum est: Qua enim hæc duo folia exortum ducunt, cor est, quippe radicis caput, & germinis principium, sunt autem hæc alterius generis folia, quàm quę in germinatione exoriuntur: illa enim tantum ad tutelam data sunt tenuia ex solo cortice orta, hæc partes sunt seminis ad alimentum primum cordi ministrandum: ideo crassa existunt; tota enim fermè seminum pulpa in his consistit: ob id magna pars seminum in duas partes dissecta est corde tantum coniungente; si quæ autem sunt, in quibus diuisio nulla sit, vt in grano Tritici: seminis pulpa in exortu minime egreditur è cortice, germen vero è latere erumpit integra seminis corpulentia cordi hærente, idem quoque fit in multis leguminibus, quamuis eorum semina bifida sint: cum enim germen ex latere erumpat non ex medio, seminis partes non explicantur in folia, ob id neque exeunt è cortice: manent autem iuxta nouellas plantas huiusmodi seminis appendices donec totus humor lacteus cum sua pinguedine in partium nutrimentum transierit, quo tempore exsiccatæ decidunt. De ortu igitur seminum & natura, ac substantia dictum est, de ceteris autem partibus seminis gratia datis deinceps dicamus.

CAP. VII.

QVEMADMODVM in animalibus circumuolui fœtum membranis oportuit ad tutelam, sic seminibus plantarum multiplicia data sunt inuolucra ob eandem causam: sed eorum quædam abscedunt incoato semine nondum perfecto, vt flores, quædam postquam semen absolutum est, vt pleraquę vascula & siliquæ; dehiscunt enim sponte exsiccato semine; quædam perpetuo hęrent quousque semen germinare incipiat; tunc enim intumescente medulla cortex abstrumpitur. Flores igitur partim ex necessitate, partim ad tuendos fructus incipientes dati sunt; ex necessitate quidem, quoniam turgente planta, vt in Venere solent animalia, efflari necesse est aliquem spiritum; non enim sine spiritu fit seminis eruptio: quod autem ex huiusmodi substantia flores orti sint, manifestum est: id enim indicat & substantiæ tenuitas, ex qua constant, & odores, quos vt plurimum spirant: indicat & mellea dulcedo, quæ in plerisque reperitur, quamquè apes seligentes in suos alueolos recondunt: vt enim mel aereum ex percocta à sole exhalatione nascitur roris modo ex aere decidens, sic ex plantæ halitu percocto, qua parte egressum habet, veluti sublimatum, floris concamerationi & staminibus hæret, alterum genus mellis, quod apes colligunt, & fauis reponunt. Quod autem interim ad tegendos

fructus

fructus flores dati sint, patet: priusquam enim explicentur, aut insident ipsis fructibus, vt in Rosa, Malo, Piro, aut illos vndique circumplectuntur, vt in Amigdala, Pruno, Olea: crescente autem fructu, iam flores aperiuntur, ac paulo post tamquam in futurum inutiles decidunt arefacti. cum enim non ex qualibet materia nutriantur: sed alituosa, quæ vnà cum semine erumpit, necesse est ea deficiente marcescere, cum præsertim à sole citissime huiusmodi substantia resoluatur. Quem igitur vsum folia tenellis germinibus præstant, eumdem flores nascentibus fructibus opitulantur; plurimi enim foliati sunt. Differunt autem, quia folia explicata alium vsum præbent, quem superius diximus: Flores explicati omnino inutiles redduntur. retinentur igitur folia diuturno tempore, & propter vsum: & quia continue affluit nutrimentum ex cortice, flores cito decidunt ob causas contrarias; color quoque foliorum herbaceus est: humor enim plantarum soli expositus hunc colorem contrahit, vt in aquis stagnantibus apparet, cum exsiccantur à sole: Flores autem nulli, aut paucissimi herbacei sunt, omnino virides certè nulli: cum tamen cæteri colores omnes excepto nigro in floribus spectentur, iique venustissimi, modo simplices, modo omni varietate commixti quasi natura de industria pingente. hoc enim est spirituum sublimatorum opus, vt in subterraneis apparet, nam tingente exhalatione & lapides & puluerés omni colorum varietate spectantur; natura enim spiritus ob materię puritatem sinceros recipit colores, ob tenuitatem verò eosdem facile cõmutabiles: Vnde vel puncta vel tenuissimæ lineæ versicolores oriuntur. Merito autem virides nulli visuntur flores, quia eorum materia non humor est, sed potius spiritus: neq; nigri ex toto; nigredo enim aut humorem sequitur semiustum, aut cuiusque corruptionem; neutrum autem in florum generatione inest: constant autem flores plerique ex folio, & stamine & floccis; folium in circuitu magis ambit, modo vnicum & indiuisum, concauum, vel patulum, vt in Smilace, Anchusa, modo in plura folia dissectum, vt in Papauere, Rosa, stamina in medio tantum foliorum sunt ex summa parte fructus egredientia, quippe quæ ex sede seminum vlterius producta nascantur, vt in Croco & Lilio terna; quia seminum sedes in vasculo tripartita est: Flocci in ambitu magis sunt iuxta folia, pendent autem corpuscula quædam ex tenuissimis filamentis, quorum ortus similis videtur fungis, qui in lucernarum luminibus ex fuligine oriuntur: hinc enim multum spirant flores, numerosa autem sunt huiusmodi corpuscula, in quibus semina numerosa sunt, vt in Papauere, quasi hæc sint singulorum seminum propagines: patet id in Chamæmelo, & Ranunculo: nam præter folia ambientia singulis seminibus proprij insident flocci potius quam flosculi. Non sunt autem in omnibus manifesta vel folia, vel flocci, vel stamina propter exiguitatem: quapropter

propter aliquando his carere putantur: in quibusdam folia adeo tenuia sunt, vt flocci videantur lanuginei, vt in Thaliethro, muscosos flores huiusmodi vocant. Transeunt in quibusdam flores in aliam substantiam, fructus ipsos præter lapsi, vt in Nuce Auellana, Castanea, & tãdem Amentiferis omnibus. Amentum enim pro flore est corpus oblongum, ex sede fructus productum: ideo fructus sine flore spectantur manifesto; stamina enim in Amenti longitudinem transeunt, folia autem & flocci in eius squamas degenerant. simile quid videatur quod in Milij Indici summis calamis effunditur spicarum modo; Flores enim, qui singulis seminum paniculis distribui debuissent, in huiusmodi Amenti genus abierunt. Nec absimilis fuerit Ricini flos; nam & hic sine fructu est, non multum tamen illum præter lapsus; quod & in herbis quibusdam notauimus. sunt etiam quædam, in quibus Amentaceum quid oritur sine vlla spe fructus; steriles enim omnino sunt; Quæ autem fructum ferunt, non florent, vt Oxycedrus, Taxus, & in genere herbaceo, Mercurialis, Vrtica, Cannabis; quorum omnium steriles mares vocant, fœminas autem fructiferas: Quod ideo fieri videtur; quia fœminę materia temperatior sit, maris autem calidior; quod enim in fructum transire debuisset, ob superfluam caliditatem euanuit in flores, in eo tamen genere fœminas melius prouenire & fœcundiores fieri aiunt, si iuxta mares serantur, vt in Palma est animaduersum, quasi halitus quidam ex mare efflans debilem fœminæ calorem expleat ad fructificandum. Omnis vero flos cum ex intimis partibus, vnde seminis materia erumpit, ortum ducat, exterius tegitur altero inuolucro, qui calyx vocatur in quibusdam vt Rosa & Papauere: oritur autem hic cum extimus sit ex caulis cortice, seu tunica, ideo herbacei coloris est, vt folia, dehiscit autem vnà cum flore; sed non decidit vt flos; nutritur enim ex cortice, & sæpe eo vtitur natura ad fructum continendum, vt in Ormino & Acanaceis: semina enim eorum in calyce floris continentur, postquam flos deciderit: peculiare in Vesicaria & Cicorio, quod eorum calyces dehiscunt quidem, dum flores panduntur: sed postquam deciderint, contrahuntur vndique fructum amplectentes, vt Cicorij semina eximi nequeant, nisi madefiant; sic enim conceptacula aperiuntur. Hæc vel continuo constant corpore, vt in Polemonia, Calamento: excepta ea parte, qua flos erumpit, vel in plures partes dissecta, vt in Rosa, Cicorio, Acanaceis, Frumentis; sunt enim in plerisque veluti squamæ inuicem amplexæ. Hęret autem huiusmodi floris tegmen in quibusdam adeo pertinaciter, vt disiungi nequeat à flore, vt in Ornithogalo; flos enim eius interius lacteus est, exterius herbaceus ob caulis tunicam: idem Elleboro contingit, quod in causa est, vt vniuersus flos quodammodo herbaceus sit, & non decidat; retinetur enim à tunica adiuncta: Hæret quoque similiter & ipsis fructibus, in quibus flos aut

nullus

nullus est manifestus, vt in Ficu, aut in summo fructu insidet, vt in Cucurbita, Punica; continuus enim est in his floris calyx, cum extimo fructus cortice: quibus autem huiusmodi cortex abiunctus est à fructu, flos in radice fructus exoritur; omnis enim flos intra caulis corticē continetur. De flore igitur, & de floris tegmine hęc in vniuersum dicta sint; de fructu autem, qui sub flore continetur, similiter dicamus.

CAP. VIII.

FRVCTVM vocamus, quod ex semine & semen continentibus corporibus constat: quamuis propriè secundum nominis appellationem ea pars significetur, qua fruimur in cibis expetentes: expetimus autem inter cibos aliquando nuda ipsa semina, vt Pini, Nucis, Castaneæ, & omnium frugum & leguminum. Aliquando carnem seminibus circumpositam, quam proprie Pericarpium vocant, vt Mali, Piri, Melopeponis. Cum igitur de semine superius dictum sit, relinquitur, vt de circūpositis corporibus dicamus: hinc sumpto initio. Seminibus omnibus inest humor quidā fœcundus, quo euanescēte, aut per ætatē, aut ab externa iniuria redduntur infœcunda: Huius igitur custodiendi gratia natura omnibus corticē quendam circumduxit, qui perpetuè hæret, donec germinare cœperint; Ob id enim plurima asseruari integra per annū possunt, quædam longe diuturnius, quod animalibus nequaquam contingit paucis exceptis. Traduntur enim piscium Oua maxime perdurare eo argumento, quod lacus exsiccati per æstatem, aduentante imbre pisciculos ferunt. Papilionum quoque oua per annum durant: minime autem omnium auium oua asseruantur. At plantarum quarundam semina, vel in quadragesimum annum fœcunda perdurare proditum est: magis autē perdurant, quæ osseo putamine muniuntur, quàm quæ membranaceo, ob eādem rationem: seminibus igitur mollioribus natura corticem duriorem crassioremq; tribuit, vt Nucleis, Pineis, Palmeis, Persicis, & tandem omnibus, quæ osseo cortice teguntur: omnium enim medullæ molles & pingues sunt, vt mirū videatur, quo pacto in seminis germinatione os adeo durum dehiscat in duas partes dissectū, cum vix ictu mallei rumpatur. Quibus autem duriora & sicciora insunt semina, iisdem cortex tenuior, & mollior datus est, scilicet cartilagineus, aut membranaceus, vt Castaneę, Glandi, leguminibus, frumentisque. Quemadmodum autem in ouo sub cortice testaceo membrana quædam mollis continetur, mollem fœtus materiam tangens, sic seminibus omnibus duplex cortex datus est, internus quidem tenuior, ac mollior, membranaceus medullam vndique tangens, qui tamen in quibusdam facile abscendat, vt in Pineis, in quibusdam pertinacius hęreat, vt in Tritico: externus

vero

vero durior & crassior, vt plurimum osseus, vel cartilagineus: qui facile seiungatur ab interna membrana in plurimis, in quibusdam tamen propter tenuitatem seiungi difficilius possunt, vt in leguminibus & frumentis: intra membranam internam vnam vnicum perpetuò semen continetur: sub cortice tamen externo casu aliquando bina continentur seiuncta per propriam membranam, vt in Amygdala: Nectitur semen cum cortice, qua parte cor est. Cum enim in ea parte sit radicis principium, per eandem quoque veluti per vmbilicum ex parente trahit alimentum: patet autem alimenti ductus ad eam partem tendens; perfecto enim iam semine, à cæteris quidem partibus seiungitur; hæret autem solum, qua cor est pendens aliquando medio quodam peciolo in corde seminis desinente, vt in seminibus Mali & Piri est manifestum. Verum non similiter externus cortex in omnibus secundum eamdem partem cum planta nectitur: Nam quædam eo modo sedent, vt seminis cor exterius vergat, vt in Castanea, & in plerisque arborum fructibus contingit. In herbaceis vero pluribus idem est nexus seminis & externi corticis, vt in leguminibus & frumentis; cum autem seminis substantia ex interna caulis medulla ortum ducat, necessarium fuit ex intimis germinum partibus neruulos egredi ad fructum vsque, per quos materia seminis ferretur: Hinc fit, vt non fructificent plantæ ex ramis crassioribus, paucis quibusdam exceptis, vt Siliqua & Ficus Aegyptia: sed ex surculis, vt plurimum annotinis, vt Amygdala, aut nouellis germinibus, vt Vitis. Nam seminis materia ex his magis erumpere potest, quàm ex crassiori ligno: iis igitur neruulis alimentũ ferentibus appensa sunt omnia semina cũ propriis corticibus: vt neruulorum substantia in corticem transeat, tenuius autem alimentum in semen: Est autem neruulorũ nexus cum cortice duriori aliquando in ea parte, cui subiacet seminis cor: aliquando in altera: in his autem necesse est intra duriorem corticem neruulum ad seminis cor ascendere, vt manifestum in Persicis est & in Amygdalis, & omnibus, quorum cor spectat extra. Corticis figura in plerisque pro figura seminis contenti habetur: Nam hoc vel rotundum, vel oblongum, vel depressum, vel recuruum, vel angulosum est. Aliquando tamen aliter se habet, vt in semine Rusci: medulla enim tenuis est, & oblonga vix conspicua ob exilitatem, cortex vero rotundus & crassus osseus vt totus ex osse constare videatur. In aliis appẽdices corticis datæ sunt, vnde variatio figuræ, vt in Tribulo. Color cuiuscumque generis reperitur perfectis seminibus viridi excepto: sicca enim est valde corticis substantia, herbaceus vero color sine humore non fit in plantis. Nigra & omnino atra multa sunt: corticis enim substantia excrementitia est, non pura, vt contenti seminis. Idcirco semina alba tantum sunt, vt interna plantarum non tacta ab aere ambiente: sic enim & folia alba redduntur, si obruantur, vt Intubi, Porri, Cardui,

& flores, quamdiu inclusi sunt suis calycibus, calidiores sunt, explicati, vt aere circumfuso fruantur, colores proprios assumunt. Seminum autem cortices ob impuritatem alimenti nigredinem assumere potuerunt, & cæteros colores licet non adeo sinceros, vt in floribus; Vergunt enim aliqua ex parte ad eosdem colores cum floribus, cum eorum materia simul erumpat; recedunt autem: quia purior materia secernitur in semina, tenuior in flores, crassior in cortices; pro diuersitate autem externi corticis denominantur ipsa semina alba, vel nigra, rufsa, punicea, aut alia huiusmodi; quoniam hic perpetuè hæret semini. Cortices igitur, qui semen custodiunt ad germinationem vsque, hi sunt in omnibus.

CAP. IX.

QVAMVIS autem inuolucra, quæ diximus, sufficere videantur ad perfectorum seminũ tutelam; non sufficiunt tamen ad eorum dem perfectionem: Nam antequam efficere possint talia, qualia ipsa sunt, egent concoctione quadam perficiente; quoniam autem concoctio à calore interno fit, humorem seminum incrassando: Initio enim semina omnia humida sunt, & fermè aquea: perfecta autem constant & sicciora sunt reddita, oportuit calorem innatum foueri in seminibus, ne exterius transpirando, ipsa euanida redderentur. Huius igitur gratia natura semina obduxit alio corpore, vt plurimum carnoso & humecto: quemadmodum Medici tuberculis concoquendis cathaplasma aliquod superponere solent, vt humiditas cum calore in parte conseruetur. Appellatur autem in fructibus hæc pars pericarpium; quia pulpa est exterius obducta, quæ in maturitate cibis expectitur in plerisq; vt in Vua, Cerasiis, Piris: Dum igitur maturatur pericarpium à calore interno, adiuuante tamen extrinsecus sole, semina interius recondita perficiuntur: simul enim ab eodem calore pericarpij humor post acerbitatem, aut aciditatẽ per maturationem acquirit dulcedinem, & semina ad perfectionem accedunt, vt sibi similia gignere possint. Non est autem eadẽ seminis materia & pericarpij; illa enim ex profundis partibus erumpit, vt superius comprobauimus: hęc autem ex exterioribus magis accedit, scilicet ex cortice. Rationi enim consonum est, vt quemadmodum pars neruea cum medulla cortice tegitur in germine, sic in fructu, quod ex internis oritur tegatur ab aliquo corpore, quod ab externis ortum ducat, & vt ibi tria sunt scilicet, Medulla, lignum, & cortex: sic in fructu, semen, cortex, & pericarpium, aut aliud quid, quod pericarpij vicẽ gerat. Indicio autem est, quod pericarpium materiam ex cortice sumat; nam inoculatio fructum parit pro natura corticis inoculati. Semen autem pro natura ligni, vt superius notauimus. Nec obstat, quod flos externus

sit,

ſit, qui tamen ex internis proueniat: quando enim flos circundat, pericarpium adhuc non eſt factum, ſed veſtigium tantum adeſt tum ſeminis tum reliquarum partium: poſtquam vero flos deciderit, iam incrementum omnia aſſumunt. Præterea nil mirum videatur, ſi floris materia ob tenuitatem erumpere extra pericarpium poſſit, cuius tamen materia non ex internis proueniat. Pericarpium omne ante maturitatem coloris herbacei eſt, vt germinum cortex: iis exceptis, quę altero cortice in teguntur, vt Punica: Nam quę aeri non ſunt expoſita, alba ſunt: poſtquam vero maturata ſunt, omnia proprios colores acquirunt, ſed exterius magis quam interius, & maxime quà ſolem ſpectant. Nam vel flaua redduntur, vel punicea, vel purpurea, vel nigricantia, vel alba quędam etiam cærulea, vt Lauri syluestris baccæ, dulciora quoque redduntur & odoratiora per maturationem. Conſtant quædam magis humore, vt Vua: quædam carne vt Ficus: Quędam duriori pulpa vt Poma: ineſt quibuſdam ſuccus aquoſus, qui facile putreſcit, vt Ceraſiis, Perſicis, & tandem fructibus æſtiuis, quos Orarios vocant: Quibuſdam melleus & hi exſiccati diutius conſeruantur, vt Ficus Vuæ. Quibuſdam pinguis, ex quibus oleum extrahitur, vt ex oliuis, quibuſdam exiguum ineſt pericarpium, vt Laurinis baccis, & tandem syluestribus omnibus: Contra multo abundant pericarpio, quę aquoſa ſunt, vt Cucumeres, & tandem fructus domeſtici: Aliis pericarpium ſingulis ſeminibus proprium datum eſt, vt Punicæ. Aliis commune pluribus, vt Melopoponi, ſemina in quibuſdam ſeiuncta à pericarpio mēbranis intercedentibus, ut in Pomis, & tandem iis, quorum ſemina cortice non oſſeo, ſed membranoſo conſtant; ut enim in fœtu humor excrementitius inter membranas continetur, vt fœtus in ſicco ſit non in humido; ſic ſemina maxime in ſicco eſſe volunt; in quibuſdam humor pericarpij vtriculis continetur, quibus ſtipantur ſemina vt in Limonibus, quibus & duplex genus pericarpij datum eſt unum ſuccoſum iuxta ſemina, alterum carnoſum exterius loco uaſculi. Syluestrium fructus ad maturationem minus perueniunt ob ſiccitatem: cum tamen eorum ſemina non minus perfecta ſint, fit enim in domeſticis aliquando tanta pericarpij acceſſio, ut ſemina reddantur uana, aliquando ſolum inſit ſeminis ueſtigium, ut in Punicis dulcibus ſæpe contingit. Quibus autem pericarpium eſt natura ſic ſiccius, non maturatur, vt in Amigdala, & Nuce, à quibus abſcedit, cum ſemen perfectum eſt, maturatio enim in humore fit, poſt maturationē autem pericarpium omne exſiccatur in membranoſam ſubſtantiam, & tabeſcit, ut patet in Cucurbita, & Mandragoræ fructu ſeminibus integris permanentibus; ſi uero putreſcat prius, periculum eſt ne ſemina contagio afficiantur, & pereant, putreſcunt autem imbribus ſuperfluis, uel ſi lædantur ictu, ideo in arbore melius exſiccantur à ſole, ſi cætera tempeſtiuè ſuccedant. Decerpti

autem fructus quidam magis, quidam minus putrescunt; idcirco qui semina colligunt, eximunt à pericarpio, antequam putrescat, & in sole siccant. De pericarpio igitur hæc satis.

CAP. X.

NON omnibus autem datum est pericarpium; nullis enim Frumentis, neque leguminibus, neq; vt summatim dicatur generi herbaceo, paucis quibusdam exceptis, vt Solano, Mandragora, Fragaria: arboribus autem & fructibus plerisque datum est. Eo autem carent Pinus, Abies, & reliquæ coniferæ, item Auellana Fraxinus, Glandiferæ omnes: quibus autem pericarpium negatum est, iis aliud corpus, quod eius vicem gerat, tributũ est, siccius quidem pericarpio, sed non durius seminis cortice; oritur enim, vt pericarpium ex extima parte germinis, & eandem præstat semini vtilitatem. Quoniam vero eorum natura siccior est, siccius quoque corpus seminibus fouendis concessum est: Nulla autem sunt, quæ aut pericarpio, aut proportionali tegmento careant vsque ad seminis perfectionem: nisi fortè pauca, quibus satisfaciat corticis crassities & durities, vt Tribulus, Lithospermon; in his enim videntur nuda omnino semina in caule ferri: extra corticem enim lapideum nullum est aliud inuolucrum; sunt tamen vmbilici quidam florem tegentes, in quibus multo tempore clauduntur semina, perfecto autem semine, resupinantur, & nudum id ostendunt, in fœniculo & cæteris ferulaceis, teguntur semina quadam cute caulis striata: nam in quibusdam eius generis manifestus est nucleus internus durus, vt in cãdido Rosmarino; creduntur tamen in omnibus huiusmodi nuda esse semina, quia externa cutis non abscedit à cortice ob exilitatem, & similitudinem substantiæ: extima enim caulis ferulacei nõ multum distant ab intimis, cum cortex abierit in folia, Hordei quoque granum, & Zeæ nudum videatur: quia vtriculis quibusdam clauditur florem tegentibus, qui difficilius abscedant. Quibusdam igitur sufficit tegmen floris superpositum, vt in Marrubio, Buglosso, Tritico, quo deficiente, abutitur quandoque natura ipsis foliis, vt in Milio Indico, nam paniculæ integræ foliis inuoluuntur, cum singulis seminibus neque flores, neque florum tegmina data sint. similiter autem in Tritico, & cæteris spicam ferentibus, aliquo tempore spica foliis est inuoluta, sed postea erumpit. Aliis autem natura præter floris tegmen proprium inuolucrum seminibus tradidit; idque aut singulis singula, vt in Auellana, Glande, Nuce Vnguẽtaria, aut vnum commune pluribus seminibus, quasi vasculum multis modis formatum; nam vel oblongum corniculi modo, quæ siliqua appellatur, vt in leguminibus, vel rotundum capitis modo, vt in Lichnide, vel alia qualibet figura,

gura, idque vel vnica communi cauitate, vt in Rosa, vel in plures loculos partita, vt in Papauere: aliisque variis modis. Quæ distinctio etiam in pericarpiis reperitur: sunt autem quædam, quę & vasculum habeant & floris tegmen vt Polemonia, Lichnis. Quædam præterdicta lanosam quandam substantiam habent, qua semina farciuntur & fouentur, vt Asclepias, Rhododaphne, Populus, Cicoracea, quibus Pappi seminibus insident, velut plumæ quędam: proportione autem respondent hæc iis, quæ in vasculo aliud genus pericarpij habent, vt Aurantia, Punica; differunt autem: quoniam pericarpium externum magis videtur, scilicet à tunica germinis ortum: Pappi autem, è cortice seminis efflorescere videntur, vel in summo tantum, qua etiam flosculi in Cicoraceis exoriuntur: vel vndique vt in Rosarum seminibus; est enim valde tenuis & sicca lanuginis substantia, & vt plurimum euolat cum semine relicto vasculo: feruntur enim in auram huiusmodi semina, & volitant ob lanuginem ad iunctam. sedent autem in vasculo semina suis neruiculis adnexa; vel in ambitu, vt in Ficu; vel in medio, vt in Lichnide; vel ab uno latere, ut in leguminum siliquis; uel in duobus lateribus, ut in Chelidonio; uel in inferiori parte, ut in iis, quorum uasculum est floris tegmen, uel in superiori, ut semina deorsum inclinentur superius appensa, quod in plerisq; reperitur. Sunt, quorum uascula resupinantur, ideo semina exterius uergunt, ut in Chamęmelo, idem uidetur contingere in fructu Mori, & tandem omnibus, quibus semina exterius acerbata sunt, ut Rubo, Fragaria, Ranunculo: Mori enim fructus est ueluti Ficus inuersa, ut pulpa in medio sit, in ambitu semina, similiter se habent inter se Rosæ fructus & Rubi uascula, ut plurimum duplici corpore constant, externa quidem cute molliori, interna uero duriori opposito modo, quàm in seminibus: quod recta ratione fit; cum enim hæc à cortice caulis oriantur, hic autem duplex sit in plerisque, & externus quidem mollior, internus uero durior, qui in arboribus liber appellatur. merito eadem ratio respondet in fructu: patet autem id in siliquis omnibus; tenera enim est pars externa, adeo vt in quibusdam mandatur cocta, vt in Pisis, & Phaseolis, in quibusdam etiam cruda, cum sponte maturetur in dulcem substantiam, vt in Siliqua arbore. interna autem pars membranosa est & dura: aliquando carthilaginea, ut cum dehiscit perfectis seminibus, ea longius proiiciat cum crepitu, ut Sparto contingit, sed maxime omnium Ricino. Oxys quoque longius expuit semina, & Catanance, ut difficile sit colligere. Cucumis syluestris alia ratione longius unà cum seminibus expuit humorem pericarpij: Quia uasculum quasi supra modum tensum abscedente fructus pediculo per ostiolum exprimit, quicquid intus est, ubi maturus est fructus: seiungitur autem pediculus eo tempore minimo tactu. Opposito autem modo se habent uascula, quæ pericarpio constant; du-

rior enim est pars externa, ut in Cucurbita, Punica, similiter se habent, quæ solitaria sunt, Persica, Pruna: iis enim cutis durior exterius circum posita est ad tutelam pericarpij mollioris, quibus superdatur floris tegmen, nisi constent pericarpio, uasculum, ut plurimum cartilagineum est totum, ut Lichnidis, Polemoniæ. Est autem unus fructus, qui uno tegmine continetur externo, quamuis interna diuisa sint; ut in Peonia, & Aconito, tres siliquę aut plures in eodem exortu sub eodem flore continentur; quæ enim sub eodem flore sunt, sunt etiam sub eodem floris tegmine, quod externum est. Plures uero qui nullo communi tegmine teguntur, licet ex eiusdem sedis diuisione oriantur, ut Vuarum acini; singuli enim sub singulis floribus sunt, licet racemus unus sit. Ambigunt quidam, vt partim vnus videantur, partim plures, vt Frumentorum spicę: cum enim vnum sit initio, totius spicæ tegmen ex caulis foliis vnus videatur fructus: cum vero in spica singulis seminibus singuli flosculi & membranulæ flosculos tegentes dati sint, plures videantur in vna spica fructus. An si tegmina ex foliis consideremus, omnia huiusmodi vnus essent fructus non plures? Nam omnes racemosi & spicosi fructus in exortu foliis teguntur: & tandem quæcunque in nouello germine fructificant, fructum sub foliis reconditum initio ferunt, sed quoniam folia alterius finis gratia data sunt, flores autem & florum tegmina solius fructus gratia: merito ex his non ex foliis vnitas & multitudo fructuum spectanda est. si qui autem flores sunt singulis seminibus distributi, sed sub vno communi florum tegmine, vt in Acanaceis spectatur, vnus est fructus dicendus non plures: si autem nullum sit commune tegmen, licet flores racematim cohęreant & fructus, vt in Ligustro & Vite, nō vnus est dicendus fructus: sed fructuum racemus. Est autem vnus racemus, qui vno principio ex caule finditur in plures fructuum sedes. Non tamen in omnibus id racemum vocant, sed in quibus fructus pericarpio constant, vt in Vite: in frumentorū genere spicam vocant, quæ erecta est; Iubam, quę sparsim propendet vt in Milio; Paniculam, quæ magis compacta, vt in Panico; in genere ferulaceo, Vmbellam, seu Vmbraculum vocant; quia erectum in latam quandam superficiem desinit ad eorum similitudinem, quibus vtimur in itinere ad arcendos solis radios. Fructificant aūt quædam in summis caulibus, vt Cæpa, & inter arbores Palma. Quædam in summis surculis, vt Verbenaca, & inter arbores Rhus. Quædam à latere, idque vel in ipsis foliorum alis, vt Ficus, vel in opposita foliorum parte, vt Vitis, vel in alis ramusculorum in ipsamet diuisione, vt Tithymalus: quæ non possunt simul florere: sed particulatim pro ramusculorum germinatione quædam in ipsis foliis fructificant, vt Ruscus, Chamędaphne; eorum enim folia neruosa sunt, parum differentia à caulis substantia; idcirco sedem seminibus impartiri potuerunt: sunt

etiam

etiam quorum folia adeo crassa, vt in ramos & caudicem transeant, vt Opontia, in cuius summis foliis tanquam in surculis fructus nascuntur. Quædam in radice fructificant fructuum pediculos potius quam cauliculos ferentes, vt Viola, Ciclaminus, Mãdragoras, Chamęleon. Quædam florent priusquã folia edant & germina, vt Amygdala: fructificant enim in annotino surculo. idẽ contingit iis, quæ in ramis grandioribus & caudice fructificant, & inter herbas quædam ex iis, quæ in radice fructificant, vt Cholchicum, Narcissi quoddam genus, Ciclaminus. Quæcunque autem in caulibus fructificant, & inter arbores, quæ in nouellis germinibus, omnia germinant prius, & folia edunt quàm flores, sunt quædam, quæ vtroque modo fructificant vt Ficus: quidam enim in annotinis surculis proueniunt, quos grossos vocant, quidam in germinibus nouellis, qui & posterius maturantur; Tempora autẽ fructificationis sunt pro germinationis tempore, cum ad perfectam ætatem prouenerint, in qua gignere possint sibi similia. Vere autem plurima tum germinãt, tum fructificant inter arbores, sed de fructificatione & partibus ad fructus constitutionem datis hæc sufficiant in vniuersum; nam singillatim in singulis differentias contemplabimur.

CAP. XI.

SVNT porro aliæ quædam partes in plantis nonnullis, vt in animalibus, cornua, pili, & vngues, partim alicuius gratia, partim ex necessitate; Alicuius quidem gratia plantis, quarum caules infirmiores sunt, quam vt se ipsas aut fructus sustinere possint, natura addidit capreolos, seu clauiculos, quibus tanquam manibus vicinas plantas apprehendant, & veluti funiculo circumducto amplexentur, vt earum adminiculo sustentari possint, vt Viti, Cucurbitæ, Piso. Oriuntur autem capreoli, vel in ipsis foliorum alis, vel à latere, vel ex aduerso, vel etiam in summis foliis, vt leguminibus quibusdam contingit; Quædam foliorum pediculis pro capreolis vtuntur, vt Clematis: Hedera aliud genus capreoli sortita est; nam veluti vngues per totum caulem frequentes, aut veluti Centipedum, pedes disponuntur, quibus pertinaciter affigitur arboribus & parietibus. Quod autem capreoloruu instrumento quædam faciunt, aliæ suismet germinibus præstant serpentis modo se circumuoluentibus: Nam hoc modo vicina amplexantes scandunt, vt Periploca, & inter herbas Helxine, quasi sensus quidam adiacentis corporis illis videatur inesse, cum repant, donec inueniant, & inuentum apprehendant. Aliis ad arcendas iniurias, aut etiam inferendas tributi sunt aculei; nunc in caulibus, vt Rubo; nunc in foliis, vt Agrifolio; nunc in fructu, vt Tribulo; nunc sub foliis tantum, vt Ononi: nunc vbique, vt plu-

rimis

rimis Acanaceis: Quibusdam surculi ipsi in pungẽtes aculeos desinunt, vt Iuncus acutus, & Nepa, aliis ipsamet folia aculei sunt, vt Asparagus. Partes autem ob solam necessitatem additæ videntur, quæ in vetustis arborum caudicibus & ramis innascuntur, vt villi quidam conuestientes pilorum modo, aut ad similitudinem Iubæ propendentes, quem Mogeum vocant; Peculiaria etiam quædam sunt, vt in Robore Galla, in Ilice granum puniceum, in Vlmo vesicæ quædam, in Rubo Canino villosi quidam tuberculi, quæ spongiolæ vocantur, & in aliis multis diuersa, quæ tanquam excrementa sunt iudicanda, cum nullius gratia data esse videantur, licet hominibus vsum aliquem præstent. His autem explicatis sequitur, vt plantas in genera distribuamus.

CAP. XII.

SVNT quidem omnibus recepta quatuor genera plantarum ex totius habitu & vita distincta: Arbor, Frutex, Suffrutex, Herba; ex totius igitur habitu Arbor & Frutex à reliquis differunt: nam corpulentia illorũ longe durior grauiorq; spectatur, quod lignum vocatur. Reliquorum autem mollior substantia, & laxior est, ideo & diutius viuunt Arbores, Fruticesque, & vt plurimũ magnitudine quoque vincunt. Arbor autem à Frutice differt simplicitate; vnico enim caudice apta nata est arbor assurgere, nisi impediatur, eoque habitiori, quàm Frutex; Hic aut pluribus, iisque gracilioribus, nisi arte coerceantur; affinis enim eorum natura est: Suffrutex autem & herba inuicem ex viuendi tempore distinguuntur. Suffrutex enim perplures annos viuit, aut radice tantum, vt Ferulacea, & Acanacea, quorum caules singulis annis pereunt, aut etiam caule, vt Ruta, Sampsucus: ideo sæpius semen ferunt: ex vitę igitur diuturnitate videntur accedere ad Fruticum naturam magis, minus; recedunt autem ex mollioris substantię natura. Si quæ autem in eo genere, aut etiam in genere herbaceo solidiori corpore constent, & habitiori, arborescentia cognominari solent, vt in genere Maluæ, & Tithymalorum, & Ferularum reperiuntur. Aliter autem Suffrutex quoque accipitur, qui surculosus assurgit similitudine quadam Fruticis, quod & inter herbas reperitur, qui & Fruticulus appellari solet. Herbę autem proprie appellantur, quæ postquam semen perfecerunt, moriuntur ex toto, vt Fruges & Olera plurima, quamuis alio modo Herbarij accipiant, herbas appellantes, quæ in foliis insitas habent vires, vt etiam rustici appellare solent, quarum folia ad iumentorum pabulum veniunt, & ex quibus fœnum parant. Alij herbas vocant, quæ à radice foliatæ exeunt, vt caule non caudice semen ferunt: quasi herbis vnicus caulis insit, vt arboribus vnicus caudex; sic enim à Suffruticibus, & Fruticibus distinguuntur; quę exeunt

surcu-

ſurculoſa, nec à radice foliata. Sunt autem ſecundum primam ſignificationem herbarum, quædam annuæ, quæ intra annum ſemen abſoluunt & vitam, vt Fruges: Quædam Bienniæ, quæ non niſi anno ſecundo ſemen ferunt, vt Apium; Triennias etiam quaſdam nouimus: quo autem modo ſingula hæc genera in ſpecies diſtribuenda ſint, difficile eſt videre; cum enim innumerabilis pene ſit plãtarum multitudo; neceſſe eſt, & alia genera multa eſſe intermedia, ſub quibus vltimę ſpecies continentur, ſed pauca adhuc nota ſunt; nam prętеr frumenta & legumina, quæ communi nomine Fruges vocantur, & præter Olera vix alia reperiemus manifeſta, & hęc ab uſu potius aſſumpta, quàm à formæ ſimilitudine, quam quęrimus: inter Fruges enim Seſamum numerant, & Irionem; quia eorum ſeminibus veſcimur, formis maxime à cæteris diuerſa. In Oleribus autẽ longe plura reperiemus formis diſtantiſſima, vt Aſparagum, Braſſicam, Portulacam, Cicoriũ, Bulbos, aliaq; multa, quę in nulla re alia conueniũt præter quam in vſu cibario, vel tenera germina, vel folia, vel radices, vel totas plantas nobis aſſumentibus. Inter ſuffrutices quoque pauca quædam genera notantur, vt Coronarium, quod eorum flores, vel folia ob quandam coloris venuſtatem, vel ſuauitatem odoris in coronas aſſumi ſoleant: cum tamen in cęteris inter ſe valde diſtent. Idem in genere aculeato reperiemus, & ferulaceo: præterquamquod hæc à quarundam partium ſimilitudine aſſumpta ſunt; Ferulaceum enim genus ponitur, quod caulem ſimilem Ferulæ gerit: aculeatum vero, cuius vel folia, vel fructus, vel caulis aculeis armatur: quamuis huiuſmodi inter frutices quoque, & inter arbores, & inter herbas reperiantur. In iis præterea, quæ vires habent medicatas, vnum genus herbarum ſtatuunt, cum tamen & multitudine differentiarum, & totis formis maxime omnium vagum ſit. Ex his igitur, quæ hucuſque tradita ſunt, difficilis valde eſt plantarum cognitio: indiſtinctis enim generibus, ſpecies multis modis confundi neceſſe eſt; orta autem eſt difficultas, quia incertum eſt, vnde ſimilitudo generum colligenda ſit. cum enim duæ maxime conſpicuæ ſint plantarum partes radix & germen, ex neutrorum ſimilitudine, & diſſimilitudine genera, & ſpecies colligi poſſe videntur; nam ſi vnum genus earum ſtatuamus, quæ radice conſtant rotunda, vt Rapum, Ariſtolochia, Cyclaminus, Aron, ab eo genere ſeparabimus, quæ maxime conueniunt, vt Napum & Raphanum, quæ cum Rapo, & longam Ariſtolochiam, quæ cum rotunda; coniungemus autem diſtantiſſima. Cyclamini enim & Rapi diſtantiſſima eſt natura in cæteris omnibus. Similiter autem ſi vnũ genus ſtatuamus eorum, quæ radice cõſtat fibroſa, vt Tritici, Ranunculi, Ellebori, in eaſdem difficultates incidemus: quod & in cæteris differentiis contingit. Si vero caulium differentias contemplemur, vt unum genus eorum ponamus, quorum caules nudi ſunt, ut Iunci, Cæpe, Aphacæ

inter Cicoracea, Violæ: similiter connectemus diuersissima, & disiungemus maxime affinia. Positum est genus Ferulaceum ob caulis similitudinem, qui propter leuitatem baculis expetitur pręcipue pueris cedendis, ferulam comprehendens Asphodolum, Elleborum candidum Papyrum, & alia huiusmodi in cæteris distantissima. Quod si foliorum caulem uestientium differentias notemus, aut etiam florum, in easdem difficultates incidimus; multa enim sunt genere distantissima, quorum folia maxime similia existunt, ut Polygoni, & Hyperici Erucę, & Sesamoidis, Apij, & Ranunculi, & quæ eiusdem generis aliquando foliorum differentia ualde differunt, ut Ranunculorum species, & Lactucarum. Tanto minus florum colores aut figuræ, aut alia huiusmodi similitudinem genericam plantarum constituent. Quid enim commune habet Vitis cum Oenanthe, præter floris similitudinem? Quod si omnium partium similitudinē quæramus in generibus constituendis, non magis species ultimas quàm genera constituemus. Nam quæ similia in omnibus sunt, ut plurimum specie non differunt. Modica enim earumdem differentia non semper speciei diuersitatem facit, cum sæpe ob locorum diuersitatem, & culturam, multum immutentur tum folia, tum flores, tum reliquæ partes, ut præcipue patet in arboribus. Si enim domesticæ serantur semine, ut plurimum sylueſtres nascuntur, quasi indifferentes specie sint, quæ cultu, aut alia ratione fuerint alterata: nam simile ubique simile gignit, secundum naturam, & eiusdem speciei; si uero plurimarum partium similitudo sufficiat generi, multa effugient genus proprium, ut Elleborus niger non fuerit eiusdem generis cum albo; tota enim facie differt: similiter se habet Lactuca sylueſtris cum domestica, præterquam quod eo modo inuestigantibus plantarum genera non erit manifestum, quo pacto superiora genera sint constituenda; quæ enim in plurimis partibus similia sunt, proxima sunt speciebus ultimis. Quæ igitur difficultates contingunt in plantarum tractatione huiusmodi sunt. Idcirco Dioscorides secundum uirium similitudines in medicinis coniunxit, & distribuit. Theofrastus genera assumpsit uulgo nota, quæ ab usu magna ex parte accepta sunt, alia à loco ut Aquatilia, Montana, & huiusmodi.

CAP. XIII.

CVM autem formarum similitudines, & dissimilitudines quęramus, ex quibus constat Plantarum substantia, non autem eorum, quę accidunt ipsis: accidētia enim posterius innotescunt cognita substātia. Idcirco neq; ex facultatibus medicatis, neq; ex alia vtendi ratione, neq; ex locis, in quibus proueniāt, aut aliis huiusmodi genera eorum, & species sunt constituendæ: Hæc enim omnia accidentia sunt. sed substantiæ

ſtantiæ ratio forte incognita eſt, incognitis differentiis vltimis, vt multi putant, idcirco oportere per accidentia circumſcribere. At contra hanc ſententiam diſputatum eſt abunde in quæſtionibus Peripateticis. Alij differentias ſecundum formam ex anima tantum colligi oportere putantes, coguntur fateri omnes plantas vnius ſpeciei eſſe, cum vnicam animæ partem, quæ vegetatiua appellatur, ſorbitæ ſint omnes. At oſtenſum illud quoque eſt, differentias formam conſtituentes etiam ex materia, quæ illius gratia data eſt, colligi oportere, ſi igitur in plantis indifferentes eſſent partes ad operationes ſecundum illam animæ partem præſtandas, vna eſſet omnium plantarum ſpecies. Quoniam vero videmus multis modis differre, idcirco in multas ſpecies, & genera diſtribui neceſſe eſt. Cum igitur omnis ſubſtantiæ ratio à fine petatur; propter illum enim ſubſtantiæ quoque ſunt, quæ illius gratia habentur, videndum eſt in plantis, que ſimilitudo & diſſimilitudo in iis fuerit, quę primi animæ operis gratia data ſunt, deinde quæ ſecundi, & ſiquæ alia ſequantur deinceps. Eſt autem primum uegetatiui opus, quod omnibus viuentibus ineſt alimenti attractio, quo nutriantur & creſcant. Partes autem huius gratia datæ ſunt radix & germen: ex horum igitur differentiis prima genera conſtituenda ſunt: vt quorum radices & germina habitiori ſubſtantia, & duriori conſtant, quod lignum vocatur, arbores ſunt & frutices. Quorum vero tenuior & mollior ſubſtantia eſt ſuffrutices ſunt & herbæ: Petitur enim hæc differentia ex natura ſimilarium partium totas plantas conſtituentium. Similiter altera diuiſione addita vtraq; genera ſubdiuidi poſſunt: vt quorum ſimplex germen aſſurgit, arbores ſunt, vt herbæ, quorum vero multiplex, Frutices ſunt & Suffrutices: ſumptis ex numero differentiis. ſed quoniam Suffruticis & herbæ nomen vario modo accipitur, vt ſuperius notauimus, clarius agemus, ſi altera diuiſione neglecta, duo tãtum genera conſtituamus cum arboribus coniungentes Frutices, & cum Suffruticibus herbas. Præterea ex propriis radicum differentiis, & caulium ſingula genera ſummam diuiſionem patiuntur. Vt ſi radix erecta vnica vel plures, vel obliqua, vel geniculata, vel fibroſa, vel rotunda, alba, ruffa, crocea & cætera huiuſmodi; ſimiliter ſi caulis rectus, aut obliquus, humi ſtratus, aliena ſcandens, concauus, geniculatus, aculeatus, aſper, leuis, rotundus, quadratus, ex quibus omnibus & huiuſmodi, abditis etiam foliorum differentiis ſuprema genera diſtinguuntur: quatenus plantarum partes ad primi operis functionem datæ ſunt: ſed ex his nequaquam alia genera colliguntur, cum hoc ad partes ſecundi operis ſpectet. Secundum autem vegetatiui opus eſt generare ſibi ſimile, quod & perfectione prius eſt, cuius gratia dati ſunt fructus & partes ad fructificationem facientes; cum igitur id non omnibus inſit, ſed perfectioribus, pro fructificationis ſimilitudine, & diſſimilitudine poſte-

riora genera, tum in genere arboreo, tum in humiliori materia constituenda erunt: Nihil autem refert siue nominata sint genera siue innominata; non enim omnibus nomina sunt imposita, sed iis magis, quæ vtilitatem aliquam conspicuam hominibus afferunt, vt frumenta, legumina; quod si tertium aliquod esset vegetatiui opus, ex illo similiter, & ex partibus illi destinatis, tertia colligenda esset partitio, qua superiora genera in alia diuiderentur. Sed quoniam duobus prædictis absoluitur plantarum operatio, idcirco in illis tantum versabitur generum collectio & partitio. Et merito ex modo fructificandi multa emerserunt plantarum genera: in nullis enim aliis partibus tantam organorum multitudinem & distinctionem natura molita est, quanta in fructibus condendis spectatur. Quemadmodum enim animalia ex sensuum, aut motuum instrumentis plerasque & præcipuas differentias sortita sunt: vltra enim sensum & motum alias operationes non habent: sic plantæ in fructificatione, tãquam ultima perfectione admirabilem uarietatem ostendunt. Si similiter animæ pars intellectiua instrumentis uteretur: hominum genus ex illorum differentiis in multas species distributum esset. Quoniam uero intellectus, per quem homo est, nullo corporeo utitur instrumento, idcirco natura unicam speciem condidit humanam; & si enim quidam Aethyopes sint, quidam Gigantes, quidam monstruosa aliqua forma, omnia accidentia sunt; non enim qua homines sunt differunt, secundum partem scilicet intellectui seruientem: idem in quibusdam plantis inspicere licet, quæ specie differre videntur, quarum tamen differentiæ accidentia sunt. sed quo pacto distinguenda hæc sint, ab his quæ substantiam constituunt, inferius patebit. Enitamur igitur ex propriis, quæ fructificationis gratia data sunt, plantarum genera inuestigare, tum in arboribus tum in fruticibus, & reliquis humilioribus.

CAP. XIIII.

PLANTARVM quædam nullum omnino semen ferunt, quippe quæ cum imperfectissimæ sint, ex putredine tãtum ortum ducant: idcirco eas nutriri tantum & augeri contingit: generare autem sibi simile nequeunt tanquam media inter plantas & inanimata, quemadmodum Zoophyta, inter animalia & plantas, ut Fungorum genus; Lenticula palustris, Lichenes, Frutices multi marini. Quædam moliri quidem semen uidentur, sed imperfectum efficiunt ob propriam naturam, ut inter animalia Mulus; sunt enim ueluti aliarum plantarum aborsus aut morbi, ut multa in genere frumentorum, quibus spica inanis & fere Iuncorum genera, & Testiculorum, Orobanchæ, Hypocistis: nam in his

pro

pro semine puluisculus, aut muccus conceptaculis continetur. Quamuis autem inter perfectiores, quædam sint steriles, non sunt in hoc genere ponendæ: quoniam imperfectio in illis non ex natura speciei contingit, sed indiuidui. Quædam aliquid ferunt, quod proportione respondet semini; nam per id uisæ sunt propagari; est autem lanugo quædam foliis insidens, caule autem & flore & semine carent, ut Filix, Adiantum Phillitis. Quædam tandem semen perfectum ferunt, quod genus cum multam habeat latitudinem, id primo loco partiamur; continet enim plantas perfectiores. Cum ad organorum constitutionem tria maxime faciant, scilicet, partium numerus, situs, & figura, (magnitudo enim non uidetur speciem organi immutare, nisi simul figuram immutet: Solutio autem continui, aut unio ad numerum pertinent: durities, mollities, color, & reliquæ qualitates ad similares partes referuntur) natura secundum illorum differentias in fructibus condendis multis modis lusit, ex quibus uaria plantarum genera constituta sunt. Nam primum, cum flos & floris tegmen extimum sit fructus inuolucrum, aut sub vno flore vnum semen condidit, vt Amygdala, vel vnum seminis receptaculum, vt Rosa, aut duo semina vt Ferulacea, vel duo seminum receptacula, vt Nasturtium, aut terna eadem vt Tithymalorum genus terna semina, Bulbacea terna conceptacula aut quaterna, vt Marrubium quaterna semina, Siler quaterna conceptacula, aut plura vt Cicoracea, & Acanacea plura semina, Pinus plura seminis conceptacula: Deinde seminis situs in suo conceptaculo, vel in sede, aut eo modo est, vt eius cor exterius spectet vel interius. Similiter de situ floris considerandum: nam aut exterius summis fructibus insidet, aut inferius circa sedem fructus exoritur. In omnibus autem dictis consideranda est vltimo figura tum seminum, tum conceptaculorum, tum florum: Amplius fructuum sedes, mollities, durities & cætera huiusmodi, ex quibus propinquiora subinde genera constituuntur. Hæc vero eadem secundum proportionē reperiūtur tum in genere arboreo, tum in humilioribus. Si quæ autem his differentiæ accedant, ex foliis caulibus, radicibus, aut aliis partibus, quæ ad fructus constitutionem non faciunt, quodammodo per accidens erunt, quodammodo autem per se, quatenus fructus gratia datæ sunt, vt folia ad vmbram præstandam, caules ad fructus ferendos, radices ad alimentum subministrandum; idcirco ex illis differentiæ, cum iis, quæ ex fructificatione sumuntur vsque ad species vltimas genera contrahunt. Quæcunque autem neque ad totius plantæ, neque ad fructus constitutionem faciunt, vt colores, odores, sapores, & alia huiusmodi, accidentia sunt; Ideo sæpe aut ex cultu, aut locorum, aut cœli diuersitate variantur. Quæ autem per se sunt, vbique eodem modo spectantur. Quædam tamen sequuntur naturam specificam, vt plantarum vires in

me-

medicinis, ſapores, & aliæ proprietates, quas Medici in primis conſiderant, quæ etſi aliquando per ſe inſint, non tamen differentiæ ſunt conſtituentes earum ſubſtantiam, quas hoc loco quęrimus. Incipiamus igitur ab arboribus cum quibus ob affinitatem Frutices quoq; coniungemus ſecundum rationem prędictam in genera & ſpecies partiendo; Deinde ad Suffrutices & herbas accedemus.

Finis Primi Libri.

AN-

ANDREAE CAESALPINI ARETINI

LIBER SECVNDVS DE ARBORIBVS.

CAP. PRIMVM.

VM in omni tractatione, ordo partim ad faciliorem doctrinam faciat, partim ad memoriam: in explicandis arboribus visum est à Simplicioribus incipere. Sunt autem simpliciores, quæ sub vno flore vnicum semen ferũt, aut vnum seminis conceptaculum, quàm quæ plura. Voco autem seminis conceptaculum, quod aptum est plura semina cum propriis corticibus continere, vt Castaneæ, Echinatus, Calyx; Quoniam vero hoc non vnum genus est, nisi forte secundum analogiam: ex aliis differentiis superius positis genera colligenda sunt. ex situ igitur seminis & floris, accipiamus primo ea, quorum semina eo modo sedent, vt cor exterius vergat, quod in plerisque arboribus contingit: similiter flos, si quis insit, in summo fructu insideat. Plurima autem in hoc genere flore carent, cum flos in plerisque abierit in amentum, vt in Glandiferis omnibus & Nucibus. Carent eadem pericarpio sola seminis medulla in cibis expetita. Differunt autem quoniam his quidem seminis cortex crustaceus est, vt in Glande, & Castanea: his vero osseus vt in Nuce. Incipiamus igitur à Crustaceis, horum semina in calyce solitaria sunt excepta Castanea, quæ terna ad summum continet. Calyx omnibus asper, in quibusdam etiam spinosus, vndique semen circumplectitur in Castanea & Fago, partem autem tantam in Glandibus. Nam acetabuli profundioris modo excipit glandis partem; Vnde glandis figura oblonga extra suum acetabulum prominet.

CAP. II.

GLANDIFERVM differentiæ partim ex glande, partim ex foliis, caudice, & materia colliguntur; Folia omnibus integra, modice oblonga; his quidem in ambitu sinuata magis minus: his vero absq; vlla sectione: cortex crassus, & scaber: lignum carnosum & graue; amant aprica. plura in hoc genere reperiuntur apud autores nomina, quàm species, aut quia in Italia non omnes proueniant, aut quia apud diuer-

diuersas gentes diuersa sint eiusdem nomina. Videamus igitur prius species, quas nouimus. Folio igitur sinuato, & deciduo tres notę sunt, quarum vna Quercus vocatur, frequens in collibus; caudice intorto, ramis in multam latitudinem sparsis; folio non valde sinuato; glande mediocri, licet quædam maiorem, quędam minorem ferat glandem optimam ad saginandos sues; folium similiter hæc latum, illa angustum fert. Altera erecto caudice in ingentem altitudinem folio maxime sinuato, glande in Echynato calyce insuaui, quæ Cerrus appellatur. Tertia erecto similiter caudice non adeo excelsa: folio latiore modice sinuato, glande maxima rotundiori: Appellant in Etruria Farniam, triremibus fabricandis expetitam: materia enim flexilis & enodis: Eadem in marittimis reperitur, sed operibus inutilis. Quæ autem folio constant non sinuato, dissimilia secundum ætatem folia ferunt, nam initio obrotunda sunt modice sinuata in angulos acutos: adulta autem arbore oblonga reddunturt & angustiora, quasi Oleæ similitudine, sed ampliora, inferne candicantia: glandem ferunt tenuem in acutum desinentem inutilem, perpetuo virent: Huius generis quinque nouimus species, scilicet Suberem, Suberellam, Ilicem duplicem, & Granum tinctorum Suber corticem habet, subalbidum, crassissimum, fungosum ad cadorum obturamenta vtilem, & crepidas; caudex magnus non multis ramis. Suberella in cęteris Suberi similis, cortice tenui, folio latiore, modice sinuato: vtraque in marittimis tractibus oritur. Ilex minor est Subere, cortice nigro, aspero; folia eadem: nascitur in asperis collibus: Alterum genus fructicosum rotundiori folio modice sinuato. Audio in Hyspania quoddam genus oriri, cuius glans dulcis commeditur, vt apud nos Castaneæ, Enzinas vocant patrio nomine. Granum Tinctorum in Hyspania prouenit, foliis pungentibus, quę præter glandem, granum quoddam leue & puniceum fert, quod Coccum antiquis appellatum est, à nostris Granum Tinctorium, in grano vermiculus nascitur, qui in aceruis parietes scandens linteis colligitur, ac vino irrorato congeritur, & contunditur: Chermesinum vocant sericis tingendis facit incomparabilem purpuram. Quę igitur apud nos sunt notæ, tot sunt inter glandiferas. At Theophrastus, quæ folio constant deciduo communi nomine Δρῦν: idest Robur siue Quercum vocat, cuius modo quatuor, modo quinque facit species: Nam qui Idam incolunt, Roboris quinque faciunt species, quarum prima Hemeris siue Placida vocatur, glande post Fagum dulcissima, non erecta, nec leuis, nec excelsa, sed corpore in orbem commoto, contorto, sinuosoque, ut nodosa, alosaque assurgat, materies robusta, uerum infirmior, quam Fago, ex quibus manifeste significatur ipsum intelligere nostram Quercum, tenuiori glande & folio; Secundo loco Cerrum numerat, qualis etiam superius à nobis descripta est. Tertio Latifoliam, rectitudine, &

excelsitate

excelſitate poſt Cerrum: glandis autem dulcedine poſt Placidam, quæ notę in noſtra Quercu Latifolia reperiuntur. Quarto loco Fagum ponit, non quam nos ex Plinio Fagum vocamus, quam poſt Caſtaneas commodius, vt puto, reponemus: non enim proprie glans vocata eſt Faginea, vt etiam notat Plinius. Fagus igitur apud Theophraſtum quarta inter ſpecies Roboris, germinat paulo ante Equinotium, auctu facillima: Robur ſylueſtre à quibuſdam vocatur; quia montoſis naſcitur, ligno ſcabro, ſed glande dulciſſima, licet quoddam eius genus amaram illam habeat: lapideſcunt eius partes poſtremæ vtrinque in genere maſculo, modo in putamine, modo in carne ipſa: caudice craſſiſſimo, materie robuſtiſſima, putredinique nulli obnoxia, & madefacta melior redditur; permanere etiam in aqua poſſe videtur incorrupta: arboris ſpecies in orbem carnoſa, minus torta quàm Quercus: Macedones ei glandem rotundam tribuunt. hæc nequaquam Vulgari Fago conueniunt, ſed potius Farnię in montibus altiſſimis ad naues quęſitę. Quinto loco Naliphlios, ſeu Salticortex additur, quæ etiam Recticortex cognominata eſt; glande poſt Latifoliam dulci, cuius poſtrema vtrinque lapideſcunt vel in putamine, vel in carne, quod maſculis tantum eius generis contingit, vt etiam Fago: craſſo caudice, ſed fungoſo, & magna ex parte cauato, ſi craſſus ſit: hæc ædificiis minus vtilis habetur: breui putreſcit, vnde concaua redditur. ideo ſunt qui hanc ſolam corde carere volunt, & fulmine ſolam iaci, quamuis non altitudine excellat. Ad cremandum quoque, & ad Carbonem faciendum vitiis obnoxia eſt ipſa & Latifolia: hanc putauerim apud nos illud genus Farniæ eſſe, quod in marittimis prouenit: facie quidem parum diſcrepans: ſed ligni aſperitate multum Macedones autem Roboris quaterna genera faciunt, aliis nominibus, ſcilicet Etymodrym, ſeu Veriquercum, quæ glandem dulcem producit. Hæc cum Placida eadem videtur eſſe, ſecundo loco Eſculum, quæ glandem amaram fert, Latifoliam uidentur intelligere. Tertio Fagum, quæ rotundam fert glandem, quæ Farnia eſt. Quarto Cerrum, quam quidam ſterilem putant, alij fructum adeo uitiatum ferre, ut eum nullum animalium mandere poſſit, præterquam Sues, & hos cum alium nullum habent, & caput magna ex parte tentari. materies quoque improba, & laborata quidem omnino inutilis, rumpitur enim & cadit; rudis autem melior, ob id ſic ea utuntur. carbo eius tranſilit & ſcintillat cōmodius in ærariis officinis: hæc autem Cerro ſuperius dicto ſatis conueniunt. Reliquarum autem glādiferarum, quæ perpetuo uirent, numerantur ab eodem Theophraſto ſpecies quinque ſcilicet. Ilex, Smilax, Phellodrys apud Arcades uocata: Suber, Aquifolia: De Ilice igitur inquit, folio Roboris eſt, uerum minori, aculeatoque: cortice lęuiori, quàm Robur: Arbor ipſa magna aſſurgit modo Roboris, ſi locum & ſolum adipiſca-

tur idoneum : materies ſpiſſa robuſtaque radix alta admodum & multiplex : fructus glandoſus, ſed glans puſilla ſero matureſcens, ideo ueterem nouus occupat, unde bifera à nonnullis exiſtimata eſt. Fert præter glandem granum quoddam puniceum, & uiſcum atque Hyphear : montibus propria, naſci in planis nequit, quædam fructifera, quædam ſterilis, ambæ tamen floreſcunt. Ex quibus ſignificatur eam deſcribere, quæ Coccum fert. De Smilace autem inquit apud Arcades vocari arborem Ilici ſimilem : folio tamen non aculeato : ſed molliori profundiorique, nec materie, vt illa ſolida, ſpiſſaque, ſed ſoluta mollique in opere. Hæc apud nos Ilex vocatur. De Phellodry quaſi Suberis Quercu inquit inter Ilicem, & Robur eſſe, quidam Ilicem fæminam putant, qua pro Ilice vtuntur ad plauſtra, vbi Ilex non prouenit : eſt mollior, & ſolutior Ilice, durior, & ſpiſſior Quercu : color ligni decorticati candidior Ilice, fuluior Quercu : folio ſimilis ambabus, maiori quàm Ilex, minori quàm Quercus, fructum maiorem Ilice habet, minorem Quercu : Acylum vocant huius, & Ilicis fructum, Roboris autem glandem, medulla manifeſtior, quàm Ilex. Videtur his deſcribere quam nos Suberellam vocamus. De Subere inquit arborem eſſe caudicoſam, parum ramigeram, admodum proceram, auctu inſignem, ligno robuſto, cortice vnice craſſo, quod diſrumpi ſolitum in fragmenta grandiora. Folia Fraxini craſſa oblongiora perpetua, fructum glandoſum aſſidue fert Aquifoliæ ſimilem : detracto in orbem cortice melioreſcit, triennio regignit, cortex ſcaber, carnoſus, qui etiam viridis leuis eſt, tardiſſimo tempore germinare. Suber tractatu facilis mollisque eſt, & leuis, ex quo ſimulachra quondam fiebant, ſed poſtea ex Palma : nam ſimiliter leuis, & mollis, at minus rigida ; Videtur autem intelligere non ligni materiam, ſed corticis, hic enim Suber proprie vocatur, vt etiam apud nos. De Aquifolia inquit montibus propriam eſſe, perpetue virentem, fructu Suberis grece Agrian vocat. Forte Ilicem fruticoſam intelligit. Plinius autem plures adhuc ſpecies afferre videtur glandiferarum, cum Robur & Quercum non pro vno genere, vt Drys apud Theophraſtum, ſed pro duabus ſpecie bus accipere videatur, quæ vbique vulgo naſcuntur. Glans optima in Quercu atque grandiſſima, dulciſſima, dulcior, & mollior fęminæ, maris ſpiſſior : lignum fortius habet & incorruptius ramoſa & ipſa procerior tamen, & craſſior caudice. Roboris autem glans parua eſt, fungoſam carnem in Sue facit. Fert præter glandem plurima. Eſculus non vbique naſcitur Ioui ſacra, Glans eius poſt Quercum cæteris præfertur, fungoſam parit carnem. Cerrus in Italia quidem maiore ex parte nota eſt : glans triſtis horrida echinato Calyce ceu Caſtaneę, ſolidiorē carnem facit : ſed duram. Latifoliæ ex argumento dictæ glandes maxime probantur proceritas magna, carbo vitioſus, ſolum ęrariis vtilis officinis, quia protinus extin-

extinguitur flatu desinente, plurimis scintillis. Gallam Hemeri similem sed leuiorem minus probatam; fert,& nigram. Hemeris maximam fert glandem breuior in orbem comosa alisque ramorum crebro cauata: Gallam optimam perficiendis coriis aptissimam fert. Aegilops excelsissima incultis amica, Haliphleos dicta, cui crassissimus cortex atque caudex,& plerunque cauus fungosusque & cætera ex Theophrasto: omnia vero hæc desumpta videntur ex variis earundem appellationibus: nam Robur,Quercus,Hemeris aut eandem arborem significant, aut parum differentes: Aegilops,& Cerrus similiter conueniunt,sic Latifolia, & Esculus:Haliphleos autē apud eundem cū Cerro Arcadum eadem putatur. Circa reliquas autem glandiferas idem Plinius numerat, Ilicem, & Suber. Ilicis duo genera, quæ in Italia folio non multum distant ab Oleis. Smilaces à quibusdam Græcis dictæ in prouincijs Aquifoliæ. Vtriusque glans breuior, & gracilior, quam Homerus Acylon appellat, eoque nomine à glande distinguit. Masculas Ilices negant ferre. Ilex multas Roboris dotes solo prouocat Cocco; granum hoc primoque ceu spectes frutices paruos Aquifoliæ Ilicis, Quisquilium vocant: pensionem alteram tributi Pauperibus Hispaniæ donati: gignitur,& in Galatia, Africa, Pisidia, Cilicia, pessimum in Sardinia. Suber minima arbor glans pessima,rara,cortex tantum in fructu præcrassus acre nascens, atque etiam in denos pedes vndique explanatus: vsus eius ancoralibus maxime Nauium, piscantium tragulis,& cadorum obturamentis, præterea in hyberno calceatu fæminarum. sunt qui fœminam Ilicem vocant, atque vbi non nascitur Ilex pro ea Subere vtuntur in carpentariis præcipue fabricis vt circa Elem, & Lacedemonem nec in Italia tota nascitur,aut in Gallia omnino,ex quibus colligitur, Ilicem Coccum ferentem non nasci in Italia, neque in Gallia: similem quidem paruis fruticibus Ilicis Aquifoliæ: Coccus enim non in adulta arbore, sed in surculosis germinibus prouenit, vt etiam ex Dioscoride colligitur, qui fructicem paruum tradit Coccum ferentem,licet è Quercubus colligi in Cilicia asserat. Præterea Suber à Plinio accipi videtur eadem cum Phellodry Theophrasti, cum Suberi ea tribuat, quæ Phellodry Theophrastus. Tandem Ilicem Italicam Smilacem esse, similemq;, in prouinciis Aquifoliam vocari,sed de glandiferis hæc satis.

CAP. III.

SEQVVNTVR inter crustacea,quorum semina vndique vasculo integuntur,in quo genere duas tantum nouimus,Fagum scilicet, & Castaneam. Fagus in hispidis, non tamen pungentibus vasculis, fert duo, vel tria, ad summum quatuor semina, glandis paruæ magni-

tudine, oblonga, triangula, dulciora glande; folia breuiora quàm Castaneæ, minusque ferrata: Arbor excelsa, caudice crassissimo, non nisi in Alpium iugis proueniens: cortex subalbidus, lęuis; materies robusta, ruffescens, expetitur ad arcas, & tabulas, quibus libri integuntur. Plinius inquit Fagi glans nucleis similis, Muribus, & Gliribus, & Turdis gratissima, triangula cute includitur: folium tenue ac læuissimum, Populo simile, celerrime flauescens, & media parte plerumque: gignens superne paruulam baccam viridē, cacumine aculeatam. Cortex vtilis ad facienda vasa, & corbos, & prętexta tuguriorum. conscribitur recens incisis literis, vnde religiosus habitus, in quibusdam sacris, sed non durat arbor ipsa. Hæc nostræ conueniunt. Pandectarius Ornum vocat inter glandiferas ipsam Fagum intelligens. Apud Theophrastum Scissima vt Theodorus vertit grece Oxya vocatur in agro Latino mirabilis; nam tanta latitudine cæditur, vt pro carina Etruscis nauibus possit sufficere. simplex genere est erecta, læuis, enodis, crassitudine, & altitudine æqualis ferme Abieti, cui, & in cæteris non absimilis: nam lignum coloratum, robustum, neruatumque, cortex læuis, & crassus: folium difficile ad findendum (sic enim verbum: διχάδες interpretor non bifidum vt Theodorus) oblongius quam Pyro, extremo aculeatum, hoc Plinius de parua bacca affirmat, quæ in medio folio plerumque gignitur; nam hæc in extremo aculeata est, vt patet in nostra Fago; radices nec multæ nec altę discendentes, fructus lęuis, glandeus in calyce Echinata, placida tamen, & lęui, non hispida vt Castanęę, similis tamen illi dulcedine atque succo: nascitur & in montibus candida materie, quę ad multa perutilis, ad carpenta, lectos, subsellia, mensas, & nauigea: campestris nigra, ad eadem minus vtilis, fructum tamen similem ferunt. Hæc omnia nostræ Fago conueniunt, sed campestris adhuc nobis non visa est.

CAP. IIII.

CASTANEA in echinato vasculo terna semina continet, multo maiora glande, in latitudinem magis quàm in longitudinem aucta, inuicem farcta: Quercum medium vt plurimum grandius: præstant dulcedine hominum cibis expetitę multis modis. Folia trium digitorum latitudine, multo longiora, ferrata, tenuia, transuersis multis venis ex dorso: arbor procera, amans frigora, & Aquilonios tractus in montibus: cortex lęuis, maculosus, subniger: materies robusta non sentiens putredinem, in ignem multum crepitat, carbones statim extinguntur, his ferrarij libenter vtuntur. Differunt magnitudine, & paruitate fructus, item figura, cum quædam in ventrem magis crescant, quędam in longitudinem, sapore quoque: nam ob id etiam syluestres quędam

dam vocantur, quędam domesticę gustu gratiores. Traduntur Castaneę Equinę Constantinopoli, de quibus in Glande vnguentaria dicemus. Apud Theophrastum Iouis glans, & nux Castanea vocatur inter mansuescentes. Sylvestris frigoris cupida, & montana nasci in planis nequit. Amentum fert: germinat ineunte Vere: fructum reddit Autumno circa Virgiliarum occasum. Quę omnia nostris Castaneis respondent. Hanc eandem videtur alibi intelligere sub nomine Nucis Euboicę, quam Theodorus aliquando Iuglandem vertit, materię perpetua, nam in aqua nequaquam putrescit: frangi se sonitu prenunciat, vt presentire homines possint ponderum, quę sustinentur ruinas; expetitur enim in opere tectorio. Carbones ex ea molliores expetuntur ferreis metallis: Euboicum idest eius fructus crusta obductum est, vt glans. Plinius nuces inquit vocamus, & castaneas quamquam accommodatiores glandium generi, armatum iis echinato calyce vallum, quod incoatum glandibus trini partus in quibusdam ex vno calyce, cortexque lentus, membrana corpori proxima saporem infestat, ni detrahatur, Torrere has in cibis gratius: Molitura quandam panis imaginem prestant. è Sardibus primum prouenere, vnde Sordiani balani, idest glandes dictę. Nunc plura genera, Tarentinę figura planę faciles nec operoso sunt cibo: at purgatu difficilior, rotundior, quę Balanitis vocatur: purgabilis maxime & sponte prosiliens Salariana pura, & plana est: Corelliana laudatior ab equite Romano facta, dum suomet surculo insereret: Meterana ex ea facta in serendo rubenti cortice: populares triangulę, & nigræ: quę Cottiuę vocantur inferiores, laudatissimę in Tarento, & Neapoli, cęteræ Suum pabulo gignuntur cortice in tra nucleos permeante: Huiusmodi hodie aliis nominibus, & si non omnia multa tamen habentur.

CAP. V.

QVAE autem in genere prędicto osseo cortice integuntur pro flore Amentum ferentia duo tantum apud nos reperiuntur Nux Iuglans, & Auellana: vtraque solitario in propriis calycibus semine. Videtur autem Auellana non multum discedere à Carpino & Alno, tum foliorum specie, tum fructu non vndique concluso. Iuglans autem ad Fraxinum, & Acerem accedit magis. Nux Iuglans arbor est ingens, ęquat Robora prędpipue in planis, cortice albo & lęui, materies densa, cor nigricat, pro lautioribus operibus expetitur, nam recipit nitorem: folia multipartita, bina in pediculi interuallis disposita trium digitorum latitudine oblongiora, odore graui, vmbram reddunt noxiā: nam capitis grauitatem faciunt præcipue sub ea dormientibus: fructus rotundus obductus vndique externo putamine carnoso viridi, qui non

matu-

maturescat, sed perfecta nuce dehiscat, intra osseum corticem medulla dulcis, & pinguis continetur, vnde extrahi oleum queat; distincta in quatuor partes intercursantibus lignosis membranis, quod in nullis aliis seminibus reperitur. differunt magnitudine, & paruitate, & ossis duritie: quæ inter eas purgari vix à putamine possunt, surdę vocantur. Theophrastus Carya, idest nux inquit, fert semen ligno obductum, carnosum, pingue inter mansuescentes, sylvestris est; nam montibus propria: germinat ineunte vere, fructificat Autumno, Amentum fert, germinat à latere tantum, desinunt germina in vnicum folium, ex ea fiunt optimi fomites, seminis ea pars germinat, quæ aduersa est nexui vt in plerisque arboribus. Plinius nucem Iuglādem inquit Caryon à grecis vocari ob capitis graue dinem, propter odoris grauitatem, nuptiis religiosas nuces ob similitudinem cum fętu multis modis munito; nam operimentum est puluinati calycis, mox lignei putaminis: tinguntur externo cortice lanę, & ruffatur capillus, vetustate pinguescunt, putamina in binas carinas diuiduntur, nucleorumque quadripartita distinctio, lignea intercursante membrana; quæ omnia nucibus nostris quadrant.

CAP. VI.

NVx Auellana arbor est fruticosa, cortice rufo, exiguis maculis, materie candida, molli, folio integro lato, rotundo, serrato, hirsuto. fructus longe minor Iuglande rotundus, vel modice oblongus, exterius tegitur membranoso calyce dissecto: intra osseum corticem continetur medulla dulcis. Theophrastus nucem Herculeam vocat; arbor libenter in fruticem transit, quo modo melius, & copiosius frutificat. Folia insecta: Iulum idest Amentum fert callo compactili: montibus magna ex parte prouenit, mansuescit tamen, fructum meliorem, & folium, amplius ferens: in utroque genere quędam rotundam, quędam oblongam nucem ferunt. Vrbanarum fructus candidior, in aquosis frutificant melius. sylvestres translatę mansuescunt. Plinius Auellanas in nucum genere antea Abellinas vocabant; in Asiam & Græciam è Ponto venère, ideo Ponticę nuces vocantur: has mollis protegit barba. putamini & Nucleis solida rotunditas inest. Eæ etiam torrentur, vmblicus illis in ventre medio. Arbor Corylas vocatur, conueniunt hæc omnia nostris Auellanis.

CAP. VII.

SVNT pręterea in nostris Alpibus duę arbores Fago similes: sed materie candida, folio rugoso, & circum minutissime serrato, longiore quàm in Fago, & frequentioribus neruis, qui ex medio costarum

rum modo, recti producuntur: fructus vtrique valde exiguus. nam altera in cacuminibus racemulum densum fert, flauescẽtem ex folliculis quibusdam membranaceis oblongis constantem, in singulis autem folliculis, tanquam vtriculis singula semina parua cartilagineo cortice, & candido obducta continentur. Altera autem non in folliculis, sed vmbilicis foliaceis, singula aut bina semina fert maiuscula, & striata; vtranque vulgo Carpinum vocant. Videtur Theoprastus Ostrym seu Ostriam appellasse marem, & fæminam similem Scissimæ tam corpore quàm cortice. Folia Piri sed multo longiora, & in acutum productiora, maioraque, multis neruis costarum modo ex medio prodeuntibus, alis rectis, & in longum productis, & crassitudinem habentibus: rugata, & circum tenuiter serrata; materiem duram, & exalbidam, fructum pusillum, oblongum hordeo similem, colore flauum, radices sublimes; amat hæc arbor aquas, & conualles: infelix, nam ea in domum illata mortes miseras inferri, & difficiles partus, si qui sunt, reddi tradunt. Plinius similem Fraxino facit cortice, & ramis, cætera autem vt Theophrastus. Sed Carpinus apud Plinium alia ab his est.

CAP. VIII.

ALNVS vulgo Ontanum vocant, arbor iuxta aquas nascens, siue in montibus siue in planis, minor Carpino: sed latioribus foliis rotundioribusque: cortice subaspero, qui coriis atro colore tingendis expetitur: materie ruffa, quę quamquam mollis fundamentis tamen expetitur, quia in aqua non putrescit. Hyeme fert Amentum Auellanę modo, æstate autem, quæ in eo genere sterilis non est, racemolos fert squamosos, compactiles figura vuarum, qui nigrescunt Autumno, inter squamas reconduntur semina exigua & depressa in apicem desinentia. Theophrastus Clethram idest Alnum tradit in aquosis tantum nascẽtem, alibi autem nullo modo, alicubi in aquis degere ancipiti vita, & in montibus & in planis: quandam præterea sterilem, quandam fructiferam ambas autem florere: germinare statim post Fauonium, fructum ferre in Autumno, auctu facillimam, corpore recto, ligno molli, medullaque molli, vt virgæ graciliores totę concauari possint: folio Piri, sed ampliori neruosiorique, cortice scabro intus ruffo, quo coria tinguntur. Radice summa, tenui nec maiore quàm Laurus. Quamuis autem alicubi testetur quandam sterilem, & quandam semen ferre, vnigena tamen est natura: ex eodem enim semine tum fertilis, tum sterilis oritur, vt mas, & fęmina in animalibus, quæ tamen specie non differunt: appellantur præterea aliquando ab eodem Theophrasto communem loquendi vsum sequente steriles eæ omnes, quæ fructum non conspicuum, aut inutilem ferunt, vt Vlmus Ostrya, Alnus.

CAP.

CAP. VIIII.

VLMVS arbor ingens in latitudinem magis, quàm in altitudinem funditur; prouenit in collibus, & planis, quęritur ad vites sustinendas, cortice valde aspero, timoso, & crasso; adeo vt ramuli nouelli, striati appareant extremis surculis tenuissimis, folio Carpini breuiori magis rugoso, minus serrato, floret primo Vere ante foliorum exortum racematim circa ramulos: flos Persico similis, rubens, ex staminibus tantum constans, transit in foliaceum quiddam, vnguis magnitudine subrotundum, medio quodam dorso, in quo semen paruum continetur, de pressum, & oblongum, quod mense Martio perficitur, antequam folia omnino exeant. Vesicas pręterea fert in æstate, in quibus humor cõtinetur, qui concrescit in gummi: in iisdem animalia culicibus similia reperiuntur, vtiles tum vesicę tum humor contentus ad puerorum ramices cataplasmate; glutinant enim, & astringunt. Alterum genus habetur cortice læui, rufo, vel cinereo, & maculoso, quod in altitudinem ingentem adolescit. in vtroque genere quædam steriles omnino reperiuntur. Theophrastus, Pteleam græce vocat, cuius genera duo tradit, montanam, & campestrem: montanam grandiorem; alteram fruticosam magis: vtranque tamen arborem amplitudine & altitudine præstantem: folium indiuisum; læuiter circum serratum oblongius, quàm Piro, scabrum: materiem flauam, robustam, neruatam, de formem; nam tota cor esse videtur, rigorem seruat, ut non peruertatur; sterilis putatur, coniiciunt tamen semen ferre, quia in loca proxima nascitur, ex semine scilicet flatibus delato: Gummam in peciolis gignit seu folliculis, in quibus & animalia ficariis culicibus valde noxia oriuntur: vuas, & amenta fert in Autumno peculiaria multa minuta, & nigra, amat lucos, & aquas, Plinius in Italia quatuor numerat, Albineas excelsissimas, quæ non ferunt samora, quo nomine Vlmi semen intelligitur, Quamuis alij etiam Albineas illud ferre testentur, Alterum Gallicas, Tertium Nostrates densiore folio; & ab eodem pediculo numerosiore, Quartum Sylueſtre: quæ autem Amentum ferat, & vuas non dum vidimus, vt suspicari liceat, ne cum Vlmi genere comprehendant Carpinum vtranque, aut Alnum, Tiliamq; appellatam, quasi Pteleam.

CAP. X.

TILIA arbor in Alpibus tantum proueniens, Alno similis, sed foliis in acutum desinentibus, ac iuxta pediculum recuruis, serratisque, & similiter rugosis, fructus minor quàm Alni, striatus, semina

mina inter ſquamas continens depreſſa: materies alba, aut flaueſcens, mollis, quam Cerdones expetunt, vt ſuper illam coria incidant, quia minime aciem cultri hebetat. Theophraſtus Phyliram appellat marem, & fęminam: ſed diſtantes inter ſe, tum materia, tum totius corporis forma. Mas ſterilis nullo flore cui materies dura, flaua, magis olida, & dēſior, cortice craſſiori, qui detractus inflexibilis propter duritiem eſt: Fœmina fructifera, odoratiore ligno; candidiori cortice, & magis flexibili, ex quo cunas, & funes faciunt: floret cum vrbanis, flos caliculaceus iuxta ligni peciolum Amentum futurum, virens quamdiu clauſus eſt, apertus autem flaueſcit. fructus orbiculatus, oblongus fabæ magnitudine, ſimilis Hæderæ acino, qui cum perfectus eſt, angulis quinque diſtinguitur, veluti neruis eminentibus, & in acutum coheuntibus. cum ſcabitur, parua quædam, & tenuia ſemina emittit quanta Atriplicis, ingu ſtabilis, folia dulcia, & ſuauia, vt cortex quoque, Hæderæ figura, ſed in angulum acutiorem, & longius productum, rotundata, & iuxta pedicu lum magis curuata, criſpa in orbem, & ſerrata: lignum molle; exigua medulla, ratum, & ſolutum, flexibile, ſed aciem ferri hebetat maxime, quod tribuitur caliditati, deſcriptioigitur Philydæ fœminæ, noſtræ Tiliæ conuenit; licet Cerdones oppoſitum experiantur in coriis incidendis; niſi enim acies adigatur in carnem Tilię, minime hebetatur: ob mollitudinem autem, & naturam eius flexibilem cultro cedit, ideo non retundit; quia non ſcinditur. Maris autem cum non deſcribantur folia difficile fuerit coniectari, quam arborem eo nomine ſignificauerit: nam ex toto diuerſa ponitur, vt etiam Plinius teſtatur; differunt, inquit omnimodo Tilia mas, & fœmina; nam maris materies dura, tuſſiorque, & nodoſa, & odoratior, Quod Theophraſtus ὀξωδέστερον: id eſt olidius vocat, cortex quoque craſſior, ac detractus, inflexibilis, nec ſemen fert aut florem, vt fœmina, quæ craſſior arbore, & quæ ſequuntur. Quid, ſi dicamus intelligi lignum putridum Vulgo vocatum, à nobis alibi deſcribendum, quæ non multum à Dioſcoridis Phyllirea diſtat? nam hęc longe tenuior eſt Tilia, lignum habet fætens, flauum, ac durum, & corticem inflexibilem, cętera ſque conditiones dictas; perpetue quoque viret, vt ſimpliciter de Phyllirea teſtatur Theophraſtus: quod cum noſtræ Tiliæ non conueniat, quę fęmina eſt, intelligendum eſt de mare. Quamquam autem aliquæ ex his fructum ferant, & florem nō alterius ſpeciei ſunt cum iis, quæ ſteriles ſunt, vt in aliis multis notatum eſt.

CAP. XI.

PLATANVS tantundem videtur à genere Roboris diſcedere, quātum à Caſtanea & Fago recedit Carpinus, & Alnus, & illi congeneres arbores; vt enim ille fructum magnitudine conſpicuum ſa-

tis, eumque rariorem ferunt, sic hæ pusillum admodum, & in suis racemulis frequentem. Est igitur Platanus ingens arbor specie Quercus; ramis in latitudinem sparsis; cortice similiter crasso & rimoso; materie lenta; folia latiora multo, quam Quercus; angulis paucioribus longioribusque ad similitudinem palmæ manus ex longo pediculo pendentia, quæ etiam siccata diutius seruantur in arbore, vt in genere Roboris: semina pusilla, oblonga, effigie glandis, in tenuissimum apicem desinentia, inuicem farcta in rotundis racemulis, pilularum modo, media quadam stipante lanugine. Platani pilulas vocat Dioscorides, Theophrastus arborem palustrē esse inquit raram in Italia, radices ei longas & multas tribuit, vt compertę sint aliquando circa aquęductum, triginta trium cubitorum longitudine; Folia ampla propendentia, & tremula, quæ alicubi ob naturam loci sunt perpetua, quamuis ex propria natura decidua sint: semen manifestum est, ex quo gignitur, licet pulcherrime ex auulsione proueniat: germinat paulo tardius, quam Populus; materies lenta & humidior. Plinius propter vmbram tantum expeti Platanum scribit, & eius gratia in Italiam fuisse transportatam.

CAP. XII.

ACER arbor est in montibus tantum proueniens; cortice scabro; materie ruffa; ad multa opera percommoda, quæ Torno fiunt: folia sunt lata in angulos desinentia, vt Platani longissimo pediculo; fructus oblongus paruus, ex paruo racemulo pendens, geminus in geminas membranaceas linguas desinens, similitudine quadam forficis. Opulus autem illi similis etiam in plana descendit; cortice scabriori, vt Vlmus; materie candida: foliis minoribus: sed similiter angulatis; fructu quoque simili, sed ligulis in diuersa tendentibus non vt Aceri iuxta productis; expetitur hæc arbor maxime ad Vites sustinendas, vt Vlmus. Theophrastus videtur vtrasque Sphendamnon, quam Latine Acerem vocant, appellasse, cum inquit duo eius genera esse, Zygiam, quam Plinius Carpinum Latine appellari testatur, quem sequitur Theodorus; Alteram nomine generis Acerem, quam alij Glinon & vt Theodorus vertit Plinium secutus, Gallicam; Carpinum in montibus tantum nasci; materie flaua, & crispa, & solida, qua ad opera lautiora vtuntur; hanc hodie Acerem vocamus; Gallicam autem etiam in planis prouenire; materie candida, neruata, rariore & minus crispa, marique materiem crispiorem esse atque contortam, & in planis potius eam nasci: germinareq; maturius: hanc nos Opulum vocamus, cuius mas fuerit, quæ sterilis; vtrique folia tribuuntur Theophrastus ampla, diuisuris Platani tensa: sed tenuiora & minus carnosa, & molliora & longiora, partes au-

tem

tem folij ſciſſæ in acutum tendunt, ſciſſuris non ad medium vſque, vt in Platano prouenientibus, at cacuminibus diſtantibus magis, neque pro magnitudine multis neruis conſtãt, quæ notæ ob deprauatum codicem, ligno tribuuntur errore manifeſto; corticem pręterea eſſe paulo aſperiorem Tilia, ſubliuidum, craſſum, & Picea magis vſtibilem, flexibilemque: Radices paucas, & ſumma tellure magna ex parte intortas habent tum candida, tum flaua: Riguis potiſſimum naſcitur, inuentuque rara eſt, florem neſciri, fructum eſſe non valde oblongum, Paliuro ſimilem, longiorem tamen. Tradi ab aliis tertium quoddam genus, quod Clinotrochon, quaſi lecti rotarium appellant. Plinius quoddam genus Flaui eſſe criſpo macularum diſcurſu, qui cum excellentior fuit, à ſimilitudine caudę pauonum nomen accepit in Iſtria Rethiaque præcipuum.

CAP. XIII.

FRAXINVS arbor eſt in incultis magis proueniens, cùm tamen alicubi colatur ad Vites ſuſtinendas, vt Opulus, & Vlmus in Vmbria: ſimplex aſſurgit, erecta ad multam altitudinem, haſtis fabricandis vtiliſſima: folia non ſecundum partem ſciſſa, vt in Acere, ſed ex toto, vt ex vno pediculo plura coniugatim prodire videantur, longis interuallis in acutum deſinentia, lęuia, & lęuiter ſerrata: fructus Aceri ſimilis, ſed copioſior, & minor in ſummis ramulis, neque coniugatim, ſed ſparſim è comis propendet, deſinens in tenuiorem, & oblongiorem ligulam; vnde lingua Auis à Medicis appellatur, cuius medulla ad Venerem ſtimulandam laudatur à Serapione, & Auicenna. Theophraſtus duo genera tradit Meliam ſcilicet, & Bumeliam vocans, ideſt Fraxinum, & Bubalam Fraxinum, ſeu magnam Fraxinum: hanc excelſam, & proceram: lignum candidum, craſſiuenium, neruatum, mollius, enodius, & criſpius: in locis concauis, & madidis prouenire. Alteram humiliorem, ſcabriorem: duriore ligno, & flauiore: in ſiccis, & ſaxoſis ortam: vtriq; folia laurinis ſimilia, acutiora, coniugatim exeuntia ex vno pediculo: in maiori quidem longo interuallo diſpoſita, & pluribus coniugationibus, vt in Sorbo, longiora, & anguſtiora: in minori autem breuiora interualla, & pauciores foliorum coniugationes traduntur: fructus minutus, nucoſus, ideſt, medullam continens, vt Amygdala, guſtu ſubamaram. Præter fructum alia quædam ferunt, vt Muſcos in globum coactos ſpecie pilorum Platani, & alia quędam implicamina. Plinius Fraxino tribuit, quæ potius à Theophraſto Taxo tribuuntur, quæ Melos grece dicitur, non Melia; vt illud: in Ida eſſe adeò Cedro ſimilem, vt fallat ementes cortice ablato, & folia eſſe iumentis mortifera, cæteris ruminantibus innocua. Dioſcorides ligni ſcobem potu lętalem

credi tradit; cùm tamen ſint, qui eius decocto vtantur vice ligni Guaiacci fęlici ſucceſſu. Eius cortex internus aquam, in qua maduerit, cæruleam reddit, quam apponunt gallinis, cùm morbis vexantur. Exhibent quidam eius corticis decoctum ad lienes extenuandos. Ex hoc genere forte fuerit lignum in noua Hyſpania repertum, cuius ramenta in aqua poſt horæ dimidium cæruleum elegantiſſimum reddunt, cum ipſa candida ſint: Vtuntur aqua prædicta in potu quotidiano vſu cum vino ad Renum morbos, Vrinæ difficultatem, & Iſchiadicos. Columella inter Fraxini genera Ornum vocat arborem proceram: caudice tereti: leui cortice; eſſe autem ſylueſtrem Fraxinum. Hodie in Calabria Ornum intelligunt eam, quæ in ſiccis & locis altis naſcitur, ſcilicet Meliam; Fraxinum autem eam, quæ depreſſis & madidis naſcitur, id eſt, Bumeliam. At Hermolaus Ornum à quibuſdam interpretari ſcribit, quæ Oxya dicitur à Theophraſto: nam Matteus Syluaticus Ornum inquit glandiferam eſſe Quercui ſimilem, ſterilem: videtur autem intelligere noſtram Fagum, quam Oxyam apud Theophraſtum eſſe diximus. Reperitur quidem Orni mentio apud Plinium inter arbores, quæ amant montes; deſcendunt tamen in plana; nec tamen cum Fraxino coniungit; nam inter ponit Acerem. Fraxinum, & Ornum ſolas Mannam ferre teſtatur in Calabria circa Canis ortum, cuius eſt vſus in tota Italia ad aluum leniendam diſſolutæ iure, aut ſero pondere vnciarum duarum, aut trium; mitiſſimum enim eſt medicamentum ſolum tenues humores educens: Sunt autem micæ quædam candidę, aut flaueſcentes, pingues, ſapore mellis. Eius differentię ſunt; nam quędam minutioribus micis conſtat, quam Mannam foliorum vocant; quia ex foliis colligatur, quæ magis probatur: altera craſſioribus, quam Mannam corporis appellant; quia ex ramis tanquam ex corpore arboris habeant: & hęc aut ſponte, aut vulnerato cortice; nam ex vulnere primo exit liquor turbidus, nauſeoſus cum quadam amaritudine; poſtea emanat purior, quamuis glebis grandioribus. Probatur pinguis, & quadantenus tranſlucida Maſtichę quam ſimillima: Improbatur arida, & cinerei coloris: Item ſapor optimę ſuauis cum dulcedine modice linguam mordens; quę enim morſu caret, euanida eſt; & quę nauſeoſa, eſt impura, aut adulterata, aut Senę infuſione, aut addito Scamonio. Fertur aliquando & ex Syria longe candidior Italica, cuius Maſtichina vocatur, quę tranſlucida Maſtichę ſimilis, paruis granulis, efficacior Italica: Bombicina autem minimè translucida, craſſioribus micis Goſſipij. Putant hanc Saccharo adulteratam eſſe; ſed dentibus deprehenderetur; Saccarum enim ſub dentibus crepitat, Manna autem mollis eſt. Colligitur aliquando & apud nos in Apennino diebus canicularibus & ſerenis promiſcue in pluribus arboribus, ſed pręcipue in Quercu, & Salice, nunc concreta ſimilis Calabrienſi,

nunc

nunc liquidior melli ſimilis. A Gręcis Aeromeli vocatur, quaſi mel aereum, de quo Galenus in alimentis, vbi de melle agit, Mel roſcidum ſiue aereum inquit eſſe, quod in plantarum foliis aliquando per æſtatem colligitur rori ſimile; copioſum verò eſſe in monte Libano Syriç; colligi autem decuſſis arboribus in ſubiectas pelles ſtratas. Et Theophraſtus Roboris dotes recenſens inquit: Naſcitur vel hic melleus humor cęlo cadens, nec aliis magis frondibus inhęrens. Meminit & Plinius eiuſdem; ſcribit enim mel ex aere venire præcipue ipſo Syrio explendeſcente, nec ante Vergiliarum exortum, ſublucanis temporibus; itaq; ſiquis eo tempore matutino ſub dio fuerit, ſentiet veſtes & capillum concretum eo liquore, & arborum folia melle roſcida inueniet. Cęleſtem verò eius naturam eſſe; pręſertim ſi purus, & ſyncerus, vt defluit, haberetur, & non diuerſarum plantarum, ac terræ halitu ſordeſceret; donum enim cœleſte, & quaſi diuinum Nectar malis mortalium à morte reuocandis. Si poſt ortum ſyderum nobilium, aut Arcus cœleſtis non ſequantur imbres, ſed ros coquatur radiis Solis, medicamenta non mella gigni, oculis, vlceribus, interniſq; viſceribus dona cœleſtia. Si verò ſeruetur hoc Syrio oriente, & caſu contingat, vt eodem die Venus, aut Iuppiter, aut Mercurius exoriatur, non eſſe aliam eius ſuauitatem, vſumq; quam diuini Nectaris. Hęc Plinius. Putauit Hermolaus apud Dioſcoridem Elęo meli ob nominis affinitatem idem eſſe quod Aeromeli; pingue quoddam ê caudice arborum manans, craſſius melle, ſapore dulci in Syriæ Palmyris: Nam, vt Galenus Elæomelitis non meminit, ſic Dioſcorides Aereomelitis: vtriq; pręterea tribuitur vis purgandi bilem & cruditates. Sed de Elęomelite noſtram ſententiam alibi explicamus. Arabes Mannam vocant & Tereniabin; quamquam apud Serapionem differre videantur hę voces inter ſe, cum in diuerſis locis agat de Manna, & Tereniabin interpretantem Mannam eam, quæ concreta eſt in grummos: Tereniabin autem eam, quę melli ſit ſimilis. Meſues tamen & Auicenna nomine Mannæ quodcunque genus intelligunt; tradunt enim Mannæ eadem, quæ Serapio Tereniabin; neque ea diſtinctio ſatis congruit ſententię Serapionis, vt Tereniabin ſit ſubſtantia liquida, Manna autem concreta; nam de Tereniabin ſcribit, eſt ros, qui è cœlo cadit melli in granula concreto ſimilis, vocantq; id Mel roſcidum, ſiue aereum, & quę ſequuntur. ſed hęc parui momenti ſunt, illud potius diſquirendum videtur, vtrum Manna, qua vtimur, ſit inter genera mellis aerei, an proprius ſuccus Fraxini & Orni, vt contendere nituntur quidam ex Recentioribus; quoniam ros promiſcue ſuper omnes plantas, lapides, & terram decidit; at Manna Calabrienſis ſolum in Ornis & Fraxinis reperitur, idque non in omnibus, ſed quibuſdam. Præterea ros non emanat ex vulnere arboris, vt Manna ea, ſed exterius ex aere adhęret; nam facto experimento

rimento linteo scilicet arbori super extenso, quod rorem cadentem excipperet; reperta nihilominus Manna ex arbore emanans; nulla autem in linteo. Tandem multum differre à Manna prędicta roris concretionem in mellis substantiam; ros enim frigore noctis concrescit, Sole autem aduentante, aut alia caliditate soluitur, vt putant; Manna autem nostra, vt succus concrescit à calido & sicco; meridie enim colligunt magis densatam: hæc & alia huiusmodi sunt, quibus Manna nostra à genere mellis aerei, & Manna Arabum explodunt, ac Fraxini & Orni propriam quandam lachrymam censent. At hoc modò cauillari etiam de Quercu licebit, cuius foliis maxime insidet mel aereum; sic enim ros non magis super vnam plantam quam aliam decidit, cur maxime hoc genus reperitur in Quercu? Quod si id tribuatur naturæ Quercus, vt liquorem illum cœlestem conseruet; alię autem plantæ magis & minus absumant, cur eadem non liceat de Fraxinis & Ornis assignare? Quum enim intime hauriant hunc rorem, totum autem non absumant in nutrimentum aut ob multitudinem, aut ob aliam causam, necesse est, vt reliquum tanquam excrementum expuant, alteratum tamen, & magis addensatum quam in Quercu ob aliquam eius concoctionem; ob id non in foliis solum reperitur, vt in multis aliis arboribus, sed vndique ex intimis corporis exit. In foliis autem Quercus maxime reperiri melleum liquorem dicemus; quia ea arbor minime omnium bibat eius humorem; idcirco defluit mellea substantia ex iis, non multum addensata, & Sole aduentante facile euanescit, vt contingit substantię aereæ facile in spiritum resolubili. In quibus autem paucissima, aut nulla reperitur huiusmodi concretio, cum tamen locus eo humore scateat, vt quibusdam Ornis & Fraxinis contingere aiunt, absumitur auidius ab illis huiusmodi humor in earum nutrimentum; ideo nec ros liquidus permanet in foliis, nec expuitur addensatus: Neque illud omnino verum à frigore noctis addensari rorem in melleam substantiam, vt modò concrescat ad similitudinem pruinæ ob vehemẽtiorem frigiditatem, modò in liquidiorem substantiam à minori frigiditate ad roris similitudinem; non enim hæc corpora aquea tantum sunt, vt ros & pruina, sed terram habent aeri mixtam, vt tradit Aristoteles 4. Metheor. cap. 7. de melle; nam & mel, quod apes condunt in suis alueolis, ex huiusmodi rore constat, quod super diuersas plantas colligitur, non sucar earum, neque fructus, neque pars, sed eiusdem est cum rore generis, vt testatur Gal. 3. de Alim. faculr. c. 39. non tamen omnino ros, simplex scilicet aqua; sed ob æstuam caliditatem terræ in halitum digestæ commixta, & incrassata magis & minus in melleam substantiam. Aeget tamen halitus aqueus frigiditate noctis, vt constet, simplex quidem in rorem & pruinam, commixtus autem in melleam substantiam, quæ non amplius à solo calido liquatur, sed ab humido,

humido, vt ſales: Aliqua tamen ex parte à calido ſicco liquari huiuſmodi corpora, quatenus à frigore condenſata ſunt, non eſt abſurdum, vt contingit Nitro, Alumini, Calcantho, Saccaro; in igne enim prius liqueſcunt, deinde ſiccantur: humido autem frigido, id eſt, aqueo omnia hæc corpora ſoluuntur, non calido, quale eſt oleum. Sed hæc fuſius quam pro noſtro inſtituto dicta ſufficiant. Apud Indos plura ſunt genera Mannæ, quæ nequaquam feruntur ad nos: quandam tradunt ex arboribus diſtillantem roris modo, vtribus collectam, ſapore faui mellis, quam Siracoſt vocant: Alteram granulis Coriandri ſimilibus addenſatam, colore ruffo, quam ex capitibus Cardui cuiuſdam decutiunt, Tereniabin vocant: Tertiam grandioribus glebis, vt plurimum foliis admixtam ſimilem Calabrienſi, quam magnifaciunt: Quartam mellis albi purgati ſimilitudine, quæ cito corrumpitur, niſi vaſis vitreis condatur, quibus ea gens caret.

CAP. XIIII.

QVAE autem pericarpium ferunt, ſeminis corde exterius vergente, aliæ quidem florem in ſummo fructu geſtant; aliæ verò eundem in ſede fructus habent: Explicemus autem prius, quæ vnicum in hoc genere ſemen ferunt, quarum plurimæ florem inferius ſedentem habent. Quamuis inter has quædam ambigant cum iis, quę pericarpio carent, vt Amygdala, quæ partim inter Nuces repoſita eſt apud antiquos; quia oſſeo cortice conſtat, medulla interna ad cibos vtili; partim verò ad hoc genus, de quo agimus, reducenda videtur ob ſimilitudinem floris, & germinandi modum. Amygdala igitur arbor eſt mediocris; cortice nigro, & aſpero; foliis anguſtis, digitali latitudine, longis, ſerratisq;. Floret prima inter vrbanas, non dum exacta hyeme, ante quam folia edat. Flos candidus, vel modice ex candido rubens. Fructus oblongus, depreſſus, minor Nuce, cute intectus hirſuta: oſſeum putamen læue eſt: intus medulla dulcis; in quibuſdam amareſcit, vetuſtate pingueſcit; vnde oleum extrahitur: totus fructus tenellus, ante quam os induruerit, cibis gratus eſt, ſubacidus: laudantur in hunc vſum, qui lanugine carent, & grandiores ſunt: huius gratia inſerere ſolent ſuper Prunum. Theophraſtus ſparſim ſcribit radicem quæ ex medio, prægrandem eſſe, & alte dimiſſam cito germinare; tarde folia amittere: ſemen ligno obductum, ſucco pingui: florem foliatum, quarundam ſubruſum; fructificare ex annotinis ſurculis: ſeri poſſe auulſione; ex ſemine degenerare tum ſapore, tum duritie; cultu miteſcere; lachrymam fluentem diutius auferendo paxillo adacto, & fructus melius retinere ea euacuatione: ſeminis ea pars germinat, quæ aduerſa eſt nexui, quæ omnia

in

in nostris Amygdalis reperiuntur. Plinius Amygdalam quondam Nuces græcas vocatas fuisse Catonis ætate; vnde suspicatum tunc temporis in Italia non fuisse: Iuglandibus similes externo & secundo putamine; nucleo dissimili latitudine, & acriore callo: prima omnium floret mense Ianuario, Martio poma fert matura, id est, esui apta.

CAP. XV.

PRVNVS arbor mediocris est: cortice fusco, scabro: materie fragili, subruffa: fert gummi: folia duorum aut trium digitorum latitudine, paulo oblongiora, leuiter sinuata: floret in annotinis germinibus: flos candidus, foliatus; fructus suauis tum recens, tum exiccatus: pericarpij pulpa succosa, tenui tunica obducta: differt magnitudine, figura, colore, ac saporis bonitate; nam rotundorum quidam Mali amplitudine, flaui, dulces, odorati, qui primo maturantur; cognominantur autem à Malis: iis minores, & austeriores, qui Augusto maturantur, Pruna Augustana vocata, & Albanula inter præciosa; alia nigra, duriore carne, sed gratissimo sapore, vulgo Pernicona cognominant: grandiora iis sunt Massimiana, ac succi bonitate præcellunt: simili specie constant alia quædam, vt etiam fallant, sed in suauitate saporis quam primum discernuntur, vt quæ Asinaria, & quæ Gubia alicubi vocantur inguſtabilia: paulo minora iis & oblongiora Viridacea, sic appellata; quia dulcia sunt ante perfectam maturitatem, dum adhuc viridia sunt; hęc maturitate perfecta ad ruffum tendunt, sed dulcedine minus grata: Alia in longitudinem extenuantur iuxta pediculum, vt Damascena colore flauo; Catelana colore subuiridi; alia colore nigro: multę aliæ sunt inexplicabiles differentię, vario cultu, & studio inserendi inuentæ. Est & syluestris Prunus, prunula ferens vulgo appellata; spinosis ramis; breuior, fruticosa, baccas potius quam poma fert, rotundas, nigras, sapore valde acerbo, cuius carne Medici pro Acacia vtuntur. Peculiare in fructu Pruni, quod defloresceus, si multi imbres contigerit, conuertitur in oblongum quoddam corpus inane, quos Turcas vocant, semen omnibus intra osseum corticem continetur, depressum, læue, vt in Amygdala; sed minus, licet totus fructus sæpe maior sit, Græci Coccimeleam vocant, de qua Theophrastus inquit; corpore paruam esse; modica radice sustentari: Illi tamen altissimam radicem inquiunt, sed numerosam; diutius viuere, & contumacem emori: lachrymam gignere: folium Arbuto simile; succo ex carne & neruo constantem succo diluto; semen contineri intra nucleum & carnem: Florem foliatum super fructum insidentem. peculiare, fructum in pappum perire, quod in nulla alia arbore visum est; quę omnia Prunis nostris conueniunt, si

pappus

pappus hic non lanuginem, sed inane corpus significet, quem diximus Turcam vocari. Plinius ingentem Prunorum turbam esse tradit; Hordearium, quod cum Hordeo maturatur; Asininum à vilitate cognominatum serius, & maius, vtrunque versicolori nigro candicans; esse & nigra laudatiora; cerina; atque purpurea: Armeniaca sola etiam odore commendata; Nucipruna Nucibus insita; insita quoque Malis Malina, Amygdalis Amygdalina, quibus intus in ligno Amygdalæ nucleus est; Persica alia ex Perside aduecta; Damascena à Syrię Damasco, & tandem sylueſtria vbiq; nascuntur; asseruati in cadis condita vsque ad alia nascentia, vt de Vua fit in Autumno Nucipruna, Persica, Cerina, & sylueſtria, reliqua fugacia esse: sed Prunis adnumerat Persica & Armenica, & Mixas, & Perseam, quę differentias habent manifestas valde à Prunis differentes, vt mox patebit.

CAP. XVI.

ARMENIACA arbor Pruni magnitudine; cortice subruffo; foliis Pruni mollioribus; fructus rotundus, cute subaspera, in maturitate aureus, odoratus, ex acido dulcis, intra pericarpium nux continetur subrotunda, lęuis, & intus nucleus Amygdala breuior, suauis, qui in eo genere maior est. vulgo Baracocca vocantur, vterq; inter præcoces. Dioscorides inter Mala numerat Armeniaca, à Romanis Præcocia appellata, Plinius Præcocia inter Persica recenset.

CAP. XVII.

PERSICA parua arbor est; citissime omnium senescens; cortice Armeniacæ; foliis Amygdalę, paulo latioribus serratis; flos roseus; fructus rotundus Mali amplitudine, lanuginosus, odoratus; caro fissilis inneruos, suauissima: osseum putamen, asperum, subrotundum; nucleus amarus; amara & folia, & flores. Eius genera plura; quædam os habent à pericarpio explicabile; quædam id pertinaciter hærens, quod genus duracinum appellatur: figura quoque differunt; nam quædam orbiculata rimula quadam à latere: quædam in rotunditate oblonga, quod genus Cariota cognominatur; colore alia candicant; alia modico rubore aspersa sunt, pręcipue qua Solem spectant, & intus in ossis contactu; alia Buxea ex toto, quæ à Cotoneis cognominata omnium tardissime maturantur; quędam enim præcocia sunt, insita super Amygdalam Nuciperſica vocant, nucleo etiam grato. Dioscorides inter Mala recenset Persica. Plinius Persicorum palmam tribuit Duracinis, esse alia cognomine Gallica, & Asiatica, quę post Autumnum ma-

turantur, præcocia æstate, Supernatia è Sabinis veniunt, Popularia vndique, pomum innocuum expetitur Aegris, sed omnium fugatissimum, longissima enim decerptio bidui mora est, cogitque se venundari, ex quibus significatur aliud esse Persicorum genus, quod recensuit inter Pruna, quæ cadis condita asseruantur, Græci quidam Rhodacena appellant, forte à roseo floris colore.

CAP. XVIII.

MYXA apud Plinium arbor est in Damasco popularis, quæ & cœpit Romæ nasci insita Sorbis: ex Myxis in Aegypto vina fiunt, quidam rubescentes, quibus Persea similis est. Paulus Aegineta fructum ferre minorem Prunis, sed facultate consimilem; quidam Galeno putant Serica: Serapio Sebesten vocat, fructum in Arabia plantæ ferè arborescentis; cortice albo; ramis virentibus: folio rotundo, amplo; fructus Auellanę nucis magnitudine; in racemo dulcis, dum maturescit, potissimum pallescens, candido lentore plenus, cum interiore nucleo quasi Olyuæ siccatur. Afferuntur hodie fructus sub eo nomine ad aluum purgandam, ex cuius lentore viscum fieri tradunt, quod Venetiis Alexandrinum vocant; similes sunt paruis Prunis exsiccatis, quibus adhæret paruus vmbilicus membranaceus; intra pericarpium os durum continetur, modice depressum, in quibusdam triangulum asperiusculum; intra os seminis medulla parua continetur.

CAP. XIX.

PERSEA apud Plinium arbor est in Perside venenata, translata in Aegyptum mitigata est: eius fructus Myxis rubescentibus similis est; nec extra Orientem nasci voluit: semper folia habet, & poma subnascentibus aliis. Theophrastus describit; aspectu magnam, formosamq;, Piro similem folio, flore, ramo, & tota figura, sed folio perpetuo: fructum abunde parit, & omni tempore perficit, nam nouus anniculum semper occupat, magnitudine Piri, figura oblongus Amygdalæ modo, colore herbaceo; nucem intus habet, vt Prunus, longe minorem, & molliorem; carnem vehementer dulcem, suauem, concoctu facilem; nam etiam si nimium comedatur, nihil nocet; radix magna; materies robusta, visu decora, atra, ex qua simulacra, lectos, & mensas faciunt: sed huiusmodi fructus in Italiam non venit: nisi forte fuerit, qui Anacardus vocatur, seu Anacardium à recentioribus Græcis nomine deriuato à corde: Afferuntur ex Oriente fructus exsiccati colore nigro, figura turbinata, cordis effigie parum depressi, ad pediculum sessilem:

lem: intra os paruum continetur. Serapio describit fructum ex arborea planta corculo auiculæ non dissimilem, subrubrum ferè colore cordis, rubente etiam; num intus liquore veluti sanguine, cuius potissimum est vsus; Aduehi è Syria; prouenire etiam ex Sicilię montibus ignem eructantibus, vim habere calefaciendi & siccandi in quarto ordine; hæc Serapio. Succus ille à Medicis mel Anacardinum vocatur. In India fructus est innoxius, vt Garzias testatur; nam vtuntur eo Asthmatici in sero infuso, & ad vermes necandos: Virides muria conditi vt Oliuę assumuntur in cibis; sed siccati vrentem facultatem habent. Auicenna inquit nuclei medullam similem esse Amygdalæ dulci, in qua non est nocumentum; sed cortex eius ratus, perforatus, in quo mel continetur viscosum, odoratum: manducatur à quibusdam sine noxa præcipuè cum Nuce: Eius mel vlceratiuum est, & adustiuum sanguinis & humorum: est ex summa venenorum, & interficit; licet aliquas habeat vtilitates in Medicina, vt idem tradit. Ab Anacardo igitur non abhorrent conditiones traditæ Perseę; nam similis est Myxis rubentibus, vt Plinius testatur: depressus autem est Amygdalæ modo, cui Theophrastus comparat: præterea venenum continet, licet alicubi innoxiæ comedatur.

CAP. XX.

CERASVS arbor alta; recto caudice; cortice lęui, maculoso; materie subruffa; fert gummi; folia longiora Pruno, leuiter serrata, in acutum desinentia; floret in annotinis surculis: flos albus: fructus rotundus, minor Pruno, rubens, pediculo longo, pulpa aquosa, dulce, nucleo rotundo, læui, maturantur ante cęteros fructus, licet tardius floreant: Differentiæ ex colore; nam quædam in maturitate parum rubent ex candido; quædam magis; alia ex rubro nigricant tingente succo: Ex sapore, alia dulcia; alia amaritudinis quid retinent, non tamen ingrata, Amarena vocant; alia acidula Agriotta appellata; alia pulpam duriorem habent, Duracina vocant: alia teneram & aquosam: Magnitudine quoque, & paruitate differunt non solum fructus sed & arboris: nam Amarenæ & Acidulæ breues sunt, pediculo quoque breui, licet fructus non minor sit cæteris: Est & quædam syluestris breuis, racemolis oblongis, fructum ferens paruum, qui in maturitate ex viridi flauescit, subausterus, nucleo subaspero. Theophrastus Cerasum describit magnitudine excelsa, ad vigintiquatuor cubita, rectam, admodum crassam, bicubitali etiam ambitu, folium Mespili; durum, latius; corticem Tiliæ similem, leuore, colore, & crassitudine, apta ad cunnas, scissilem in tenues tunicas; neruis non in rectum neque in girum tendentibus: sed oblique sursum se intersecantibus, quod & in

ligno euenit: ramis crescentibus; alij deorsum assidue pereunt; alij sursum versus increscunt, ideo minus ramosa & enodior Populo; radix multiplex per summa non crassa, cui eadem circumuolutio neruorum, flos candidus Piro & Mespilo proximus ex paruis floribus constans Faui modo; Fructus rubet figura Iouis flammæ, magnitudine Fabæ; nucleo molliori; nascitur vbi Tilia iuxta amnes & rigua. Plinius inquit Cerasorum Aproniana maxime rubent: Actia nigerrima sunt: Cęciliana etiam rotunda: Iuliana iucunda sub arbore gustata: nam adeo tenera, vt gestatum non tolerent: Duracina principatum tenent; Laurea non ingratę amaritudinis, insitæ in Lauro: Macedonica paruæ arboris, raroque tria cubita excedentis, Chamæcerasi minore etiam num frutice, inter prima, annuam gratiam colono refert è pomis; gaudent Septentrione & frigidis: siccatur etiam sole, & conditur, vt oliua cadis: videtur igitur per Laurea significare nostra Amarena, per Macedonica autem ipsa Acidula, Chamæcerasus autem incomperta adhuc.

CAP. XXI.

LAVRVS arbor enodis, perpetue virens: cortice tenui: materie rara, ideo expeti ad igniaria, Theophrastus author est; radices crassas, inæquales, & obliquas fert: folia odorata, minora quàm in Malo Citria, aridiora lateribus modice sinuata: flosculos pallescentes inter folia: baccas subrotundas, breui pediculo adnexas in maturitate nigras: tenui putamine, crustaceo: externa tunica oleosa; vnde oleum laurinum excoquitur, medulla intus ampla, & amara. quædam floret tantum, fructum non fert, cui copiosius est flos, racemosusque, quam Theophrastus Vuam vocat in Lauro pręter fructũ, in sterili copiosiorem, quam masculam nonnulli appellant. Dioscorides vnam latifoliam, alteram angusto folio tradit. Plinius plura genera affert, Mustaceam folio maximo, flaccidoque, & albicante: Delphicam æquali colore, viridiorem, maximis baccis, atque è viridi rubentibus, qua Delphis coronari, & triumphantes Romæ solebant: Cypriam folio breui, nigro, per margines imbricato, crispam. Baccaliam, quæ vulgatissima est, baccarumq; fertilissima. Triumphalem, sterilem, minima altitudine, folio crispo, ac breui, inuentu raram: Taxam in Topiario genere, cui in medio folio paruulum excrescit veluti lacinia folij. Spadoniam, quæ mira opacitate, ad quantamlibet vmbram solum implet. affert & alia genera, nomine potius quàm generis societate communicantia, Laurum scilicet sylueſtrẽ, cui cærulea inest bacca, hanc nos vulgo Lentaginem vocamus, opere Topiario, fruticem potius, quàm arborem, de qua alibi dicimus, & Laurum regiam amplissimam, & arbore & folio, baccis gustatu quo-

que

que non aspero. Hanc Pisis habemus peregrinam, foliis longioribus, pulposisque, ad malum Medicam accidētibus, perpetuo virentibus, sed odore graui: flores in racemis erectis fert, candidos, suaue olentes: baccas Lauro similes, paulo maiores, oblongiores, in maturitate nigras, pericarpio pulposo, suaui, quod quo magis siccatur in arbore, dulcius redditur: intus nucleus est oliuaris, fragilior, perficitur Autumno incipiente: medulla interna amara: seritur optime ramo.

CAP. XXII.

PIPER rotundum granum est nigrum ex India aduectum, rugosum, acerrimi saporis, gratissimique in condimentis: Alterum genus candidum, crassiori grano, nequaquam rugosum, acrius: Tertium longū, veluti ex minutis granis congestum, effigie Amenti, nucis Auellanæ breuius, colore nigro feruentis gustus: sed sine gratia, Lodouicus Romanus in suis nauigationibus testatur in suburbio Vrbis Calecut Indiæ, Piperis fruticem nullo adhibito cultu prouenire, Hederæ modo vicinas arbores scandentem, ramis multis, duorum vel trium palmorum longitudine, in quibus folia Mali Assirij crassiora, ac paulo pinguiora, minutioribus venis ex aduersa parte intercursantibus. E singulis malleolis senos racemos dependere, palmares Passulis non absimiles, densiores: color baccæ, qui Vuis immaturioribus colligitur mense Octobris, & Nouembris, cum adhuc subuiridis est, deinde soli exponitur, triduo autem nigrescere, dum siccatur. Alterum genus in Taprobana oriri copiosum, quod patrio nomine Molaga vocatur: in totum procerius, crassiore caudice, amplioribus foliis, carnosioribusque, bacca grandiori, candidiorique inani, ac plurimum mordaci, leuioris ponderis. Idque maxime apud Tartaros dispensari. Piperis longi arborem non reperio à Recentioribus descriptam; quamquam fateantur quidam, diuersi generis illam esse. Reperio in India Occidentali, quoddam genus Piperis longè oriri acrius & odoratius rotundo, quo indigenæ loco Piperis nigri vtuntur in condimentis: pingunt fructum longiorem Orientali non excedentem indicis longitudinem cum pollice, crassitudine parui funiculi, quo pueri Trochos versant, circa tenuem festucam hærent granula dense iuncta, ac veluti retorta, crassitudinem prædictam facientia, quibus ablatis festuca munda remanet: viridis est, quamdiu recens, Sole autem maturatur & nigrescit. At plantam hanc fructum ferentem non pingunt, sed altam inquiunt esse. Theophrastus innuit longum diuersi generis esse: inquit enim Piper fructum esse, eiusque genera duo: vnum enim rotundum Erui modo, tegmine carneque constans, sicut Laurina bacca, subrutilum. Alterum oblongum, nigrum

semina

ſemina Papaueris continens longe validius altero: ambo enim calefactoriam vim obtinent, ideo contra Cicutam auxiliari. Dioſcorides autem tria genera Piperis ex eadem arbore haberi traditum ſcribit: inter initia quidem prælongum fructum eſſe, veluti Siliquam, quod Piper longum eſt habens intus aliquid tenui Milio ſimile, quod tandem euadit in perfectum Piper, procedente tempore dehiſcens id, & pandens ſeſe racemum fieri grana ferentem, qualia videmus, ea autem acerba quidem candidum Piper eſſe; tempeſtiua autem maturitate nigrum fieri, & odoratius, acrius, & ad condimenta vtilius, gratiuſque: album infirmius eſſe, quod tamen Galenus acrius teſtatur: longum vehementius mordere, & ſubamarum eſſe, vtrunque aduerſus venena expeti. inter nigra reperiri quædam grana inania intus ob defectum nutrimenti, quod Braſma vocant. Ideo eligi nigrum, quod grauiſſimum & plerius eſt, ſine multis rugis recens, ac minime furfuroſum: Arborem paruam eſſe foliis Caſiæ, vt ſcribit in Caſia: radicem falſo putari à quibuſdam Zinziberim, potius radicem Piperis eſſe quandam Coſto ſimilem, quæ ora guſtantium accendit, & ſalyuam elicit. hęc de Pipere traduntur à Dioſcoride: Plinius eamdem habet ſententiam. Ternas ſcilicet fructus differentias ex eadem arbore haberi. At arbores Iuniperis noſtris ſimiles eſſe; ſemina à Iunipero diſtare paruulis ſiliquis, quales in Faſeolis videmus, has, prius quam dehiſcant, decerptas, toſtaſque ſole, facere, quod vocatur Piper longum; paulatim vero dehiſcentes per maturitatem oſtendere candidum Piper, quod deinde toſtum ſolibus, colore, rugiſque mutatur, carbunculari interim aliqua, fierique ſemina caſſa & inania. Qualis autem ſit Piperis radix non explicat, tantum non eſſe Zinziberim: in Italia quoque haberi Piperis arborem, maiorem Myrtho, nec abſimilem amaritudinem: grano eandem, quę Piperi Muſteo creditur eſſe: deeſſe toſtam illam maturitatem, ideoque & rugarum, coloriſque ſimilitudinem, Solinus quoque teſtatur in Caucaſo monte Indię arbores Iunipero ſimiles, primos fructus ferre, vt corili fimbria quod Piper longum eſt, poſterius album, & nigrum: Quod ſi vera eſt Recentiorem ſententia de Piperis hyſtoria oculata fide habita, dicendum rotundi Piperis albi, & nigri arbores vnius quidem generis eſſe, vt Theophraſtus innuit, differre autem magnitudine & colore fructus, quarum folia Caſię ſimilia ſunt, vt Dioſcorides tradit: nam tum Piperis, tum Caſię folia Mali Aſſirij foliis comparantur à Recentioribus. Quę autem longum Piper fert, diuerſi omnino generis eſſe, vt Iunipero ſimilem, vt Solinus & Plinius tradidere: quam autem radicem Dioſcorides acceperit, à Medicis vſurpatam tamquam Piperis radicem cum Zinziber non ſit, explicabimus in Galanga. At quęnam ſit arbor Piperis in Italia apud Plinium Myrtho ſimilis, explicabimus cum Ribe.

CAP.

CAP. XXIII.

CVBEBE vulgo appellantur grana Piperi nigro ſimilia, ex Oriente aduecta; tenui pediculo adnexa, intus inania, ſapore amaro, & acri, odorata: hęc ſi ore detineantur, claram vocem faciunt concionantibus, cuius gratia vtuntur: Ferunt & Veneris voluptatem augere, ſi in coitu detineantur ore. Plantam deſcribit Garzias Luſitanus: Frutex eſt syluestris Hederæ modo ſcandens arbores, foliis Piperis anguſtioribus: flore odorato: fructu racemoſo, non Vuæ modo in communi racemo, ſed ſingulis granis ſinguli pediculi dati ſunt. Medici accipiunt pro Carpeſio putantes eſſe fructus Myrthi syluestris, quam Arabes Carpeſium Galeni eſſe putauere, vt alibi ſuo loco explicatum eſt. Ego potius putauerim eſſe Amomi fructum, quæ melior eſt pars eius fruticis, vt ex Dioſcoride & Plinio colligere licet; inquit enim Dioſcorides, Amomum fruticem puſillum eſſe, veluti racemum è ligno ſibi ipſi implicitũ; flore Leucoij paruo: foliis Brioniæ: laudari maxime Armenium colore aureo, ligno ſubruſſo, valde odoratum: quod in Media naſcitur imbecillius eſſe, ſed magnum & colore ſubuiridi vtpote quod in planis & humectis locis naſcitur, vel prouenit: tactu tenerum: ligno fibroſo, odore Rutæ (alij legunt Origani) Ponticum colore ſubruſo, non longum, neque fructu difficile, racemoſum: fructu plenum, odore valido: eligendum eſſe recens, & candidum, aut ſubrubens, non conſtipatum, neque in ſe conuolutum, ſed ſolutum & fuſum, ſemine plenum, ſimile racemulis, ponderoſum, valde odoratum abſque carie, acre, mordaci guſtu, colore ſimplici non vario. Adulterari planta ſimili, quę Amomis vocatur, ſine odore ac ſine fructu, quæ naſcitur in Armenia, flore Origani: ideo ſatius eſt fragmenta vitare, integrum autẽ fruticem cum radice ſumere, hæc Dioſcorides. Plinius vero inquit, Amomi vua in vſu Indica Vite Labruſca, vt alij exiſtimauere, frutice venoſo, palmi altitudine: capiturque cum radice manipulatim, læniter componitur, protinus fragile: laudatur maxime, Punici Mali foliis ſimile, nec rugoſis, colore ruſſo: ſecunda bonitas pallido: herbaceum peius: peſſimumque candidum, quod vetuſtate euenit, pretium Vuæ in libras decem nummis ſexaginta: friato vero Amomo quadraginta octo; naſcitur & in Armenia, Media, & Ponto. Adulteratur foliis Punicis, & Gummi liquido, vt cohęreant, conuoluantque ſe in Vuæ modum: Eſt & Amomis minus venoſa ac durior, ac minus odorata. ex his patet, meliorem partem Amomi Vuam eſſe, quę hodie affertur abiectis fruticis ramentis. Forte autem Quintus Medicus, & qui ante Galenum, Carpeſij nomen vſurpauerunt, aut fructus hos intellexerunt, aut alios huiuſmodi, vt Gariophyllos, quibus pro

Cynna-

Cynnamomo vtebantur: nam Græce à fructu Carpesij nomen videtur deriuatum: vnde huc usque Cubebe vocantur in officinis fructus prædicti, quæ autem Amomis vocatur à Dioscoride & Plinio, Hodie rosa Hyerici, vel Sanctę Mariæ vocatur: fruticulus cum sua radice palmaris, lignosus, ramulis frequentissimis implicitus, rotunda figura, quasi Chamæleontis albi caput, antequam dehiscat; dehiscit autem, cum in aqua calida ponitur; vnde mulieres enixuræ confidunt in hoc frutice facilem sibi fore partum, si is pandat se Rosæ modo: fructus fert in mediis ramulis frequentes, figura Myrthi tenuiores, duros, candicantes, qui idem est totius fruticis color: continentur intus in duplici cauitate pauca semina nigricantia, quibus satis aliquando prouenit planta foliis paruis vt Poligoni, sed ad frugem non peruenit.

CAP. XXIIII.

CINNAMOMVM, alij Cinnamum vocant, ex India importatur; cortex à virgis, delibratus fistulam repręsentans; vnde apud nos vulgo Canella vocatur: odore eximio: sapore acri, mordente, cum quadam dulcedine iucunda: ideo maxime expetitur ad condimenta: color est subfuluus, superficie lęui, vtpote cui detracta sit externa cutis libro tantum relicto. Eius differentiæ plures, crassitie, & bonitate: angustiores fistulæ, ac leuiores præstant & odoris suauitate, & saporis dulcedine. Quibus autem lata est fistula, & asperior, iis pro dulcedine astrictio quædam inest linguam exsiccans, & odoris fragrantia minor. Qui nostra ætate Indicas oras perlustrarunt, referunt vnanimi consensu, Cinnami arborem Lauro haud absimilem, præsertim foliis, baccas quoque Lauro similes, sed minutiores albicantes, incidi ab indigenis eius ramos singulis ternis annis, caudicem nequaquam; asseruari enim, vt nouos stolones ferat: ramos pręcisos delibrari: corticem eo modo detractum Cinnamomum vocari: at protinus cum collectum est, non inesse absolutam suauitatem, sed post tres menses odoratissimum reddi: eius maximam esse copiam in Zeilan insula Indici maris prope Aequinoctialem, vt Ludouicus Romanus testatur. Theophrastus hystoriam non absimilem refert, sed duos esse frutices inquit vnam Cinnamomum, alteram Casiam: vtrunque non amplum magnitudine Viticis, permultis surculosisque ramis. Cinnamomum decerptum in quinas partes discerni, & esse pręcipuæ bonitatis, quod germinibus proximum fuerit, idque ad palmi longitudinem cædi, aut paulo maius; secundum, quod sequitur, quod etiam minus cæsum est, Tertium deinde, & quartum notatur, Vltimum verò, quod deterrimum, proximumque radici; hoc enim minimũ corticis habet, in quo summa gratia est, non in ligno

Qua

Qua de causa præferri cacumina solent, quod corticis plurimum habeant. Casiam verò crassiore sarmento constare, neruosamque admodum esse, nec vllo pacto posse decorticari, ac eius quoque corticem esse vtilem: cum igitur virgas secant longitudine trium digitorum, aut paulo ampliores abscindere, recenteque bouis corio eas persuere: tum ex eo lignis putrescentibus vermiculos nasci, qui lignum erodant, corticem vero nullatenus tangant, ob amaritudinem, acrimoniamque odoris: hęc Theophrastus: ex quibus colligere licet, tum Casiæ, tum Cinnamomi corticem quæri non lignum: Cinnamomum præterea facile decorticari posse, Casiam vero nequaquam sine artificio, cuiusmodi erat, vt per putredinem lignum eroderetur à vermiculis: Si igitur nostri Cinnamomi fistulas contemplemur, illas vero & legiptimo Cinnamomo respondere inueniemus, quæ ex toto absolutæ à ligno sunt, quarum præstantiores comperimus, quo magis prope germina fuerint. Quibus autem adhæret aliquid ligni, crassam fistulam vocant, ad Casiam pertinere putandum est, argumentum certissimum non ex surculis; sed ex crassioribus ramis cæsas fuisse, siue eiusdem plantæ, à qua Cinnamomum cæditur, siue alterius. Profecto Galeni testimonio eadem planta aliquando & Casiam, & Cinnamomum reddit: Visam enim esse Casiam inquit, cuius surculi Cinnamomum erant: at nostri nequaquam arboris differentiam animaduertentes promiscuè Cinnamomum vocant tum nobilius, tum ignobilius, sed vt res clarior fiat, videamus, quæ de vtroque à Galeno & Dioscoride scribantur. Casiam igitur sine ligno afferri solitam indicat Dioscorides, cum fistulosa prædicet, modo angusta fistula, modo lata constantem. Cinnamomum autem integrum à radice fruticem asportari: iubet enim seligi integrum, vitari fragmenta ob fraudem. Quod & apertius Galenus testatur: vidisse enim Romæ apud Imperatores multa genera Cinnamomi: nam olim è Barbarorum terris arcam cubitorum quatuor longitudine cum dimidio Romam perlatam, in qua Cinnamomi primi generis integra arbor erat; Alia genera ætate Adriani & Antonini reposita valde parua: nullum enim eorum caudice in ramos diuiso constabat, sed Ellebori figuram præseferebat, ceu paruus frutex ab vna radice sex, aut septem virgulta vel paulo plura, aut pauciora emittebat, non æquali omnia longitudine, verum quod maximum erat, pedis Romani dimidium non excedebat. ex quibus patet decorticandi morem non semper extitisse in Cinnamomo: idcirco eius plantulas tenuibus surculis constantes seligebant, in quibus parum ligni inesset: nam Dioscorides primum genus Cinnamomi inquit laudatissimum, si tenuibus surculis cõstet leuibus, ac nodis frequentibus: colore nigro ex cinereo in fuluum desinente; odore iucundissimo, &, vt Galenus, inexplicabilis suauitatis; sapore acri, mordente cum quadam sallugine; ideo non ingrata morda-

citas, vt Galenus inquit, in frangendo puluerem ſpargit, ſcilicet ob medullæ internæ cariem, non tamen facile friatur. Secundum genus Montanum, quod craſſum & breue admodum, colore ſubruſſo; Tertium nigrum ſurculoſum, paucioribus geniculis; odore vehementer iucundo: Quartum candidum, fungoſum, tuberoſum, aſpectu vile, protinus fragile; radice grandi Caſiam redolente. Quintum cui cortex ſubruſſus: ſolidum: firmumq; tactu: nec magnopere neruoſum: ſurculis craſſis: odore minus ſuaui. Pſeudocinnamomum quoque traditur odore languido, ſine viribus. Xylocinnamomum autem eſſe lignoſum Cinnamomum, diſtans, proceritate, firmitateque virgultorum & odore multo inferiore, licet ſint, qui genus diuerſum eſſe prędicent. Hæc Dioſcorides. Si igitur Cinnamomi notas contemplauerimus, pręcipue odoris, ac ſaporis proprietates, dicemus procul dubio inter noſtras fiſtulas optimum Cinnamomum haberi, à ſubſtantia lignoſa, & inutili purgatum: nam ſalſugo illa acredini adiuncta dulcedo eſt, quam in optimo Cinnamomo ſentimus: ſal enim cæteris ſaporibus admixtum dulciores reddit. At Caſia in cæteris quidem cum Cinnamomo conuenit, ſed loco ſalſuginis aſtrictionem habet, vt ex Dioſcoride & Galeno habetur. deſcribit Dioſcorides: ſurculis craſſi corticis: folio Piperis multorum generum: prima ab Alexandrinis mercatoribus, Daphnitis vocatur rubeſcẽs, quaſi corallus: foramine vehementer anguſto: pręlonga & craſſa fiſtula: mordaci guſtu, & cum quodam feruore aſtringens: odorata vinum ob olens: Secunda præſtantior Medicis vtiliſſima purpurę nigrantis aſpectu: craſſa: odore Roſæ: Tertia germen Moſyleticum vocatur aſpectu quodam primi generis Cinnamomi: reliqua genera viliora, vt quæ nigra eſt odore ingrato, pręnui tunica, & illa, cui cortex vltro dehiſcit, & abſcedit à corpore. eſt & Pſeudocaſia ſpecie maxime ſimili, ſed non acris, nec odorata, corticem obtinens adhærentem medullæ. inuenitur & lata quędam fiſtula minimo pondere, tenera, ſurculoſa, melior ante dicta; ſcabroſam & ſubalbidam improbant redolentem virus hirci, ac tenuibus fiſtulis. hactenus de Caſia Dioſcorides. Quidam ex Recẽtioribus ob fiſtuloſam Caſiæ formam, putauerunt omnes Cinnamomi appellati fiſtulas ad Caſiam pertinere, & Cinnamomum legittimum deeſſe. At eximia illa odoris fragrantia, & ſaporis dulcedo, qualis reperitur in fiſtulis quibuſdam, nequaquam Caſiæ conuenit. Plinius inter fabulas multas de Cinnamomo vulgatas, hyſtoriam recenſet: oriri in extrema Aethyopia fruticem duorum cubitorum altitudine ampliſſimum; minimum autem palmi, quatuor digitorum craſſitudine, ſtatim à terra ſex ſurculis veluti digitis arido ſimile, cum viret non odoratus, folio Origani, ſiccitate gaudet, ſteriliot imbre gignitur in planis, ſed denſiſſimis vepribus, rubiſque; difficilis collectu; præcipua bonitas virgultorum tenuiſſimis

par-

partibus ad longitudinem palmi; Secunda proximis breuiore mensura, atque ita ordine; Vilissimum, quod radice proximum; quoniam ibi minimum corticis, in quo summa gratiæ, qua de causa pręferunt cacumina, vbi plurimus cortex, ipsum vero lignum in fastidio est, propter Origani acrimoniam Xyllocinnamomum vocatur. Quidam Cinnamomi duo genera tradiderunt, candidum, nigricansque; Frutex & Casia est, iuxtaque Cinnamomi campos nascitur, sed in montibus crassiore sarmento, tenui cute, verius quàm cortice, quem, contra quam in Cinnamomo, leuari, & exinaniri precium est: Amplitudo fruticis trium cubitorum, color triplex, cum primum emicat, candidus pedali mensura, deinde rubescit addito semipede, vltra nigricans, qua ætate maxime laudatur, ac deinde proxima; damnatur vero candida, probatur recens, & quæ sit odoris mollissimi, gustu quàm maxime feruens potius quàm lento tepore leniter mordens, colore purpureo, quæque plurima minimum ponderis faciat breui tunicarum fistula, & non fragili: Alia est Balsamodes ab odore simili appellata sed amara, vtilior Medicis, sicut nigra vnguentis, his addidere Daphnoidem Isocinnamum cognominatam, cortice Laurino, tenuissimis surculis, quæ & in nostro orbe feritur, qua Rhenus alluit; viuit in aluearijs apud sata; color abest ille torridus Sole, & ob id simul idem odor. Nuper ex India Occidentali lignum affertur; cortice odorato; specie & odore simile Casiæ; appellant Sassafras; arborem ingentem; simplici caudice, erecto vt Pini, ramis in summo tantum patulis, vt Palmæ. Foliis Fici perpetuis; vtuntur decocto pręcipue radicum, quibus vis maior inest, aut ramorum, aut caudicis vna cum cortice excoctis admodum Guaiacci ad febres putridas, & multos morbos.

CAP. XXV.

AFFEREBANTVR quondam ex Oriente surculi quidam cum foliis Laurinis & baccis, quod Folium Indum vocabant quasi esset Malabathrum Dioscoridis. Quidam putauerunt esse Casiæ aut Cinnamomi folia, aut Gariophyli; alij rectius putant esse Tembul apud Auicennam, de quo inquit, frigidum est in primo gradu, siccum in secundo, astringit, & exsiccat, corroborat gingiuas, & ventriculum, cuius gratia mandunt Indi continue. hoc videtur intellexisse Plinius cum de Malabathro inquit, aliud esse Malabathri genus è Siria; arborem folio conuoluto arido simile, ex quo exprimitur oleum ad vnguenta; Fertilior est eiusdem Aegyptus; non est autem hoc illud genus Folij, quod Indi Betellas, de quo dicemus in legiptimo Malabathro.

CAP. XXVI.

BALSAMI arbor inter has numeranda videtur, vt ex fructu colligere licet, qui fertur ad nos sub nomine Carpobalsami: baccæ enim sunt, figura oliuari, sed valde tenues, subruffæ, striatę, osseo cortice constantes, molliori tamen, vt dentibus mandi possint, primo gustu suaui, cum quodam odore Balsami, procedente tempore linguam mordent, minutiora grana odoratiora sunt & acriora; quę crassiora sunt, imbecilliora reperiuntur, omnia vero intus inania: argumentum, cõlligi ante medullę perfectionem: vnà festucę quædam tenues adsunt subruffę simili fermè sapore & odore, Xylobalsum vocant, crassiora quoque sarmenta ferunt, subruffo cortice, & rugoso, ligno fungoso, leuiter flauescente, gustu odorato, sine morsu: eius lachryma, quæ Balsamum vocatur, desiderari cœpit, posteaquam horti Iudęæ, quibus frutex colebatur, interierunt Zelimo Turcarum Imperatore, Cayrum occupãte anno Dominicæ incarnationis 1516: extare tamen adhuc Memphi Aegypti viridarium testantur, sed tanta succi parsimonia, vt vix regibus eius loci sufficiat. cępit autem nuper aliud genus Balsami ex Hyspaniola insula Indiæ Occidentalis afferri, quod decoctione fit non incisione. At Balsamum Aegyptium, lachryma est incisione corticis stillans, aut folij auulsione, in ea parte, qua spectat Sol, vt referunt; stillare enim guttam lucidissimam, & admodum odoratam, quæ vitreis ampullis colligitur. Theophrastus testatur in Syrię valle quadam duobus hortis coli; arborem inquit esse magnitudine magnę Punicæ; ramis multis; folium Rutę simile, candidum, perpetuo virens; fructum Terebinto similem figura, magnitudine, & colore, qui admodum odoratus est, atque etiam magis quàm lachryma; colligi lachrymam in caudice, & parte superna facta incisione vnguibus ferreis; subsidere; cum æstus maxime angit; collectionem fieri tota æstate, non tamen multum esse, quod emanat. Sed odorem eximium & copiosum inferri; adeo vt ex paruo spatium prælõgum odor valeat permeare: Sincerum nullum aduehi, sed pluribus mixtionibus vitiari solere; virgas quoque eiusdem arboris valde odoratas esse; amputari autem quotãnis, & cultus gratia & ob quęstum, ad cultum etiam facere irrigationem; assidue enim irrigari; ex crebra autem amputatione prohiberi arboris auctionem, & virgas tantum produci: Balsamum syluestre nullibi compertum esse: Dioscorides soli Iudęæ quadam conualle, & Aegypto concessum testatur, arborem magnitudine Licij aut Pyrocanthę; folio Rutæ candidiori perpetuo; differre asperitate, longitudine, ac tenuitate; quoddam enim coma capillacea constare, vt demeti possit, reliqua, vt Theophrastus recenset, succum è plaga emanantem

tem Opobalſamum vocari, cuius probatio eſt, vt ſit recens, odore vegeto, ac ſincero, non ſubacidum, facile dilui, læue, guſtu aſtringens, & quadantenus mordens. Adulterari variis oleis admixtis melle, & cera: deprehendi ſincerum tribus experimentis: Primum, ſi gutta eius ſuper veſtem laneam ceciderit, & eluta maculam non reliquerit; nam olei macula ablui nequit: Secundum ſi lac coagulet: Tertium, ſi gutta eius lacti aut aquæ inſtillata cito diffundatur. Quidam legunt non χεῖον: ſed κεῖον, id eſt ſidit ex Plinio, & lacteſcat; nam vitiatum ſupernatat olei modo, & in modum ſtellarum ſpargitur; tempore tamen id, quod ſincerum eſt, craſſeſcere, ac deterius fieri: errare autem qui id ſincerum putant, quod aquæ inſtillatum ima petit primo, deinde ſupernatat diffuſum; Sarmenta eius & ſurculos amputari, quod Xylobalſamum vocant; laudari recens, tenuibus feſtucis, ruffum, bone odoratum & modice redolens Opobalſamum, fructum, cuius etiam vſus eſt; Eligi flauum, plenum, magnum, grauem, mordaci guſtu, & feruido, modice Opobalſamum redolentem; ferri autem è Pętra ſemen quoddam Hyperico ſimile, quo fructum adulterant; dignoſci; quia maius eſt, inane & infirmum, Piperis guſtu, Plinius viſam Romæ Balſami arbuſculam ſcribit Veſpaſianis Imperatoribus oſtendentibus; poſtquam Iudæos in ſeruitutem redegerunt, poſt quæ tempora Fiſcus ſerebat, nec vnquam numeroſiorem fuiſſe, aut proceriorem; eſſe autem Viti ſimiliorem quàm Myrtho; malleolis ſeri; colles vinearum modo impleri, ac nuper vinciri vt Vitem; ſed poſtea ſine adminiculis ſuſtinere ſe; Tonderi ſimiliter fruticantem, & raſtris niteſcere; properantem naſci; & intra tertium annum fructiferam; folium Rutæ proximum; comam perpetuam; proceritatem intra bina cubita ſuſtinere: Arboris tria genera, tenui & cappillacea coma, quod vocant Eutheriſton. Alterum ſcabro aſpectu, incuruum, fruticoſum, odoratius; hoc Trachy appellant. Tertium Eumeces, quia eſt cæteris procerius, læui cortice: huic ſecunda bonitas, nouiſſima Eutheriſto, ſemen eius vino proximum guſtu, nec ſine pingui: peius in grano quod leuius, atq; viridius: inciditur ramus craſſior Myrtho, ea diligentia ne vulnus intra corticem deſcendat idque vitro, lapide, oſſeis cultellis, non ferro; nam protinus emoritur; tenuis gutta emanat è plaga, quam Opobalſamum vocant, eximiæ ſuauitatis, quam lanis colligunt in parua cornua, ſimilem craſſiori oleo candidam primo, deinde rubeſcit, ſimulque dureſcit, & translucida eſt; Ter æſtatibus percutitur, deinde amputatur. cętera præterea idem Plinius enarrat circa ſucci probationem, & de Xylobalſamo, & de fructu fere vt Dioſcorides, Addit ſuccum inhęreſcere manu inuerſa, & in aqua tepida ſedere ad ima vaſis condenſatum, quod etiam præſtat id, quod gummi vitiatum eſt. Nouum genus Balſami nuper ex India Occidentali afferri cœpit, liquor eſt ex ruſſo ad nigredinem vergẽs

pon-

ponderosus, odore valido, suaui, quasi Styracis, caput feriens, linguam mordens vt Piper, cui magnas vires tribuunt, præcipue vulneribus glutinandis, & cęteris ad quę Opobalsamum Aegyptium laudatur. Extrahitur in noua Hyspania insula ex arbore quadam, cuius amplitudo traditur maior Malo Granato; Folia Vrticę serrata ac tenuia, Indi appellant Xylon, huius ramos in parua dissectos decoquunt multa aqua affusa, deinde postquam refrixerint, colligunt oleum, quod innatat, conclearibus & argenteis vasis, aut stamneis, aut vitreis condunt; nam in alia materia permeat; sponte etiam inciso cortice testantur defluere lachrymam perlucidam, candidam, odoratissimamque, longe præcisiorem eo, quod decoctione fit, sed adeo modicā, vt longa tędia sustinere nequeant; huiusmodi autem vberius colligi in terra continente ex arbore simili multis ramis constante, cuius externus cortex crassus est, internus tenuis ligno adhęrens, quibus incisis lachryma fluit prędicta, cuius gutta vna preciosior est quàm multa quantitas alterius Balsami, quod per decoctionem habetur. tradunt huius arboris fructum pro magnitudine arboris paruum esse, Ciceris albi modo inclusum, in extremo tenuis vaginæ digitali latitudine, colore candido; eo vtuntur Indi in suffumigiis ad dolores capitis, & distillationes siccandas; lachryma autem, aut Oleo per decoctionem extracto, ad dolores ex causa frigida exterius inuncto, & interius ad dolores internos, ad spirandi difficultatem, ad vrinas promouendas, & menstrua, aliaque multa, quatuor autem aut quinque guttas assumendo in vino modico, aut aqua, concleari intra fauces intromissa, vt linguam non attingat; nam alioquin linguę pertinacius hęreret, & gustum offenderet.

CAP. XXVII.

DICANTVR hic reliqua ligna lachrymas odoratas ferentia, quāuis arborum effigies apud nos nequaquam peruenerint: Inter hęc affertur ex India lignum Aloes vocatum à Recentioribus: Sunt ramenta quædam ligni nodosa, densa, subcinerea, maculis nigris, quæ si fricentur, odorem suauem spirant, si admoueantur igni, pinguedinem resudant: sapor inest subamarus: Tradit Ludouicus Romanus in suis nauigationibus in India Orientali, triplex genus eius arboris haberi; primum quod ibi Calampat vocatur, optimum, vendi in vrbe Sarnau, apud quos oritur, aureis decem in libras, sed hoc distribui apud reges eius loci, non ferri ad nos: eius fragmentum duarum vnciarum manibus contrectatum inenarrabilem suauitatis odorem super omnia suffimenta exhalare, duo alia genera in insula Taprobana haberi; quorum vnum flumine quodam importatur, quod Lubam vocant; Alterum, Bochor,

chor, cuius ortus illis manifestus est; quę duo genera ad nos conuehuntur. Don Grazias Lusitanus arborem eius scribit Oleæ similem aliquando maiorem; vidisse enim ramum eius cum foliis. Esse quoddam genus sylueſtre, odoratum tamen, quo defunctorum corpora comburunt. Dioscorides Agallochum vocat lignum ex India & Arabia allatum simile ligno Thuiæ, maculosum, odoratum, astringens cum aliqua amaritudine; vestiri inquit cute verius quàm cortice; colore vario. Arabes multa genera eius haberi tradunt, optimum tamen esse Indicũ, nigrum, versicolore, humectum; recens, ponderosum, densum, crassum, difficile aduri, & quod in aqua submergitur obrutum terra per annum, vt marcescat, fieri odoratius; reperiri arenosum fluminibus deuolutum, fructum arboris conseri, quam Piperellam vocant, colore purpureo, rubroue, forma minuto Piperi non absimilem. Aetius Xyloalem vocat, & Tarum, de Zaro Plinius inquit, ex confinio Casię Cinnamomique, & Caracamum, ac Tarum inuehitur, sed per Nabateos, Troglodytasque confines?

CAP. XXVIII.

THVS, qui Grecis Libanos, & Libanotos vocatur; vnde barbari Olibanum appellant, lachryma est sicca in suffimentis odoratis familiarissima, veluti guttæ coagulatæ, colore candicante, aut subruffo, translucidæ, sapore astringente, & subamaro: arborem nemo ex nostris vidit, apud antiquos solus Theophrastus describit, referentibus iis, qui ad ea loca nauigarunt, gigni in Arabia apud Sabeos arbores Thuris, alias in monte, alias in pede montis, colique à dominis has, illas vitam incultam agere; quinis fere cubitis attolli; permultis ramis; cortice leui, ad modum Lauri, folio quoque Lauri, licet quidam Piri folium tradant, alij Lentisci subrutilum; Fructum quoque Lentisci, è ramis incisis, aut vulneratis securi, lachrymam aliam decidere, aliam arbori inhærere; recentium arborum candidiorem, minusque odoratam; veterum flauiorem & magis odoratam. Thus, quod tegetibus excipitur purum esse & perlucidum, quod in terra minus, quod arboribus inhæret, ferro depecti, & ideo corticem nonnullis adiungi, in Arabia suauius nasci, sed melius in vicinis insulis: in his enim & figurari in arbore posse, qua forma volueris: siquidem pro incisura facta figuris Thuris sequatur, necesse est. Plinius locum, vbi Thus nascitur, religiosum haberi, nec vllis dari ingressum, præter familiis, quibus ius illud conceditur, idcirco non constare, quæ sit eius arboris facies, quamuis Romani res in Arabia gesserint, eorumque arma in magnam partem eius penetrauerint: nam regio, quę Saba appellatur, ad ortum solis ęstiui spectans, vndique rupibus inuia, & à dextra maris scopulis inaccessibilis redditur, quæ so-

la

la regio Thurifera est in Arabia. Putauit autem Plinius, præter Arabiam nullis Thura communia esse, quamuis Theophrastus in insulis nasci dicat, & Dioscorides Indici Thuris meminerit: nam Iuba in insulis negauit nasci. Thus probari, candore, amplitudine, fragilitate, carbone, vt statim ardeat; Item ne dentem recipiat, potius quàm in micas frangatur, præcipuam esse gratiam mammoso, cum hærente lachryma priore consecuta alia miscuit se: masculum autem vocari, quod rotunditate guttæ pependit, cum aliàs non vocetur mas, vbi fœmina non adsit; at hic religioni tributum est, ne sexus alter vsurpetur: micas autem concussu elisas mannam vocari. Dioscorides præfert id, quod guttæ rotundæ figura natura constat indiuiduum, quod masculum appellatur, candidum intus, pingue, & celeriter flagrans. Fieri & arte rotundum, Indicum Thus, quod subruffum, liuidumque est, glebis prius quadrangula figura excisis, deinde attritis angulis infictili quatiendo, quod genus tempore flauescit; secundum locum tenere inquit id, quod minutioribus granis constat & fuluius est: esse & quoddam genus alioquin candidum, sed in mandendo consentiens, vt Mastiche; Adulterari Resina, Pice, & Gummi: deprehendi igne & olfactu; vtilem quoque esse corticem Thuris; Eligi autem crassum, pinguem, odoratum, recentem, leuem, non scabrum, aut membranaceum; Adulterari cortice Pini, & Piceæ, qui similiter igne deprehenduntur; Manna quoque Thuris recensetur, quę probatur alba, pura, carthilaginea; adulteraturque, Resina Pice cribro effusa, vel puluere molarum cum Thuris cortice contuso: hodie apud nos neque cortex per se aduehitur, neque Thuris ramenta, quam Mannam vocant, separata à Thure. Quondam cum arte confingeretur rotundum, attritione puluerem fieri oportebat, idcirco separatim vendebãt, sed promiscue nunc cum Thure cortices venduntur, & retrimenta; probatur autem carthilaginosa Manna; idest consistentia carthilaginea, non puluerulenta, vt Chondri, quam Alicam vocamus. Recentiores nomine Mannæ non Thuris retrimentum intelligunt, sed ros melleum, quo ad purgationes vtuntur.

CAP. XXIX.

BELZOI vulgo appellatur lachryma ex Oriente aduecta in suffimentis, longe suauior Thure. sunt glebæ ingentes confictæ veluti ex pluribus in vnum coactis, vt ex coloris varietate coniectari licet; si enim frangatur, micæ apparent aliæ candicantes, aliæ fuluæ, aliæ subrubentes ac translucidę: facillime autem friatur, vt arida resina; gustui suauis, & modice calida; colligi ex arbore in India, & præsertim in insula Taprobana. testatur Ludouicus Romanus eius ligna rogis comburi,

comburi, vt cætera odorata; putauit autem idem author Laserpitium esse apud antiquos; at cum arboris formam non describat, & cum Laserpitium inter Ferulas reponatur non inter arbores, non possum eius sententiæ subscribere. Belzoi arbor traditur à Don Garzia Medico, qui dùm in India Orientali apud Præsidem à Lusitanorum Rege in illis regionibus constitutum commoraretur, hystorias aromatum, aliorumq; simplicium, quæ inde ad nos aduehuntur, perscripsit. Arbor inquit excelsa, erecta, & pulchra; ramis frequentibus ordine elatis, vt amplam vmbram efficiant; caudice crasso, robusto; foliis paulo minoribus Citrij, aut Limonis, non adeo virentibus, sed inferne albicantibus; quæ autem in crassioribus ramis proueniunt, ad folia Salicis accedunt, paulo iis latiora, breuioraq; : ex inciso caudice lachryma emanat copiosior; ex nouellis longè odoratior, appellant Belgioinum de Boninas, quod optimum est, & pinguius, vt videatur Styraci liquidæ permixtum: Folia tenella aceto condita seruari in cibis testatur: Hanc tamen hystoriam ex relatu scribit; periculosum enim iter ad earum syluas ob frequentes Tigrides. Suspicor Myrrham esse: De Myrrha Theophrastus inquit inter lachrymas odoratas esse, quibus ad vnguenta vtuntur. eius arborem cum Thure nasci in Arabia, minorem Thure, fruticosiorem; caudice duro, & contorto crassioriq; iuxta terram sura hominis; cortice læui, simili Portulacę: Folio crispo, vt Vlmi, in ambitu spinoso, vt Ilicis, quamquam alij arborem Therebintho similem dixere, sed scabriorem, spinosioremque; folium paulo rotundius, gustu proximum Therebinto. Myrrhæ, aliud stillatitium, aliud fictitium esse; probari meliorem gustu, deinde, & concolorem. Dioscorides Myrrham similiter tradit, lachrymam Arabicę arboris, quæ spinæ Aegyptię similis est, qua vulnerata emanat lachryma in subiectas tegetes, alia in caudice ipso addensata. Eius genera plura, partim ex diuersis locis cognominata, partim ratione pinguitudinis & bonitatis. Quædam enim adeo pinguis est, vt inde exprimatur Stactæ idest stillatitius liquor, Bediasimos cognominata ab ipsa expressione, pinguissima vero inter omnes Gabirça locis pinguibus nata, quæ plurimam reddit Stactem, in quo genere præfertur natione Troglodytica, subuiridis, melius vt puto vertēdum subpallida verbum ὑπόχλωρος: mordax, perlucida. post Troglodyticam laudatur tenuis quędam, Bdelli modo lentescens, odore subuiroso, locis apricis nata; improbantur reliquæ scilicet Caucalis præter modum exoleta, nigra, retorrida, & Ergasima omnium deterrima, squalida, sine pingui, acris, specie & facultate Gummi, & quæ Aminea vocatur. Ex omnibus his pastilli componuntur, ex pinguibus quidem pingues, & odorati, ex siccioribus autem squalidi, & inodori, inconstantesque, nisi oleum in confectione admiscuerint: adulteratur Gūmi permixto, quod prius diluto Myrrhę per-

fundunt; Seligenda recens, fragilis, leuis vndique concolor, quæ confracta intus diuisiones habet candidas, & læues, quasi vngues, & quæ paruis glebis constat & amara & odorata, acris, calida. quæ autem grauis est, & colore picis inutilis est. Myrrham præterea & aliam tradit in Beotia natam ex arboris cuiusdam radice vulnerata, quæ ad suffitus vtilis est vicina Myrrhæ suauitati. De Stacte autem inquit pinguedinem esse recentis Myrrhæ, quam exprimunt ex ea cum modico aquę lusa, odoratissimam, & valde præciosam, ac per se vnguentum facere: illam vero probari, quę nullam olei ad mixtionem passa est, & cuius minima portio plurimum calefacit. Plinius Myrram non solum apud Sabeos nasci, sed & aliis locis: arboris vero descriptionem affert, quàm Theophrastus: quàmuis alij similem Iunipero tradiderint, & Iuba folium Olusatri, satiuam multum præferri sylueſtri; sponte sudare antequam incidatur, Stactem dictam, cui nulla præfertur; longe autem plura affert genera, quam Dioscorides, sed in plenum probatio est, inquit, minutis glebis, nec rotundis, in concretu albicantis succi & tabescentis, vtque confracta candidos vngues habeat, gustu leniter amara; secunda bonitas intus varia: pessima, quæ intus nigra; peior, si etiam sit foris. Indica Myrrha è spina quadam ibidem colligitur, tanto deterior, vt facilis sit distinctio. hoc nomine venditur hodie lachryma, non in pastillos coacta, sed dissoluta in parua fragmenta, colore ruffo, aut liuido, nigroque, gustu amara, odore paruo, non iucundo, ideo solis Medicis in vsu; non vnguentariis; vili precio venditur. Puto Indicam Myrrham esse à Plinio vocatam, qua Myrrha adulterabatur, sed facili distinctione, cuiusmodi etiam apud Dioscoridem erant genera improbata; At Myrrha, vnde exprimitur Stacte, res odorata est, quam vnguentarij in folles consarciunt, digeruntque odoris, ac pinguedinis argumentis, vt Plinius inquit. hęc hodie Belzoi vocatur, alij Bengioinum, vt notas conferenti manifestum est: deest quidem amaritudo; gustu enim suauis potius est, quod cum his, quæ à Theophrasto traduntur, consentit; seligit enim ea, quæ gustu meliori prædita est. Stacte autem quondam cum oleo Styracino ex Alexandria afferebatur sub nomine Balsami; sed postea desit, cum ex India Occidentali nouum genus Balsami afferri cœpit, sola autem expressa Myrrha affertur glebis magnis coacta, ex hoc genere videtur esse, quod vulgo Anime vocatur à nostris, quasi aminea Myrrha; ex Oriente affertur duorum generum, odoris suauis, quibus vnguentarij vtuntur; Vnum candidum; Alterum flauum; album pręstantius; referunt Hyspani in India Occidentali. in suffimentis odoratis loco Thuris sacerdotes vti, candida quadam Resina, quàm Copal vocant, translucida magnis glebis; oriri & Anime flauius, in granulis Thuri simile, sed valde odoratum est, & suaue. Dioscorides autem inter reprobatas Myrrhas, Amineam

neam vocat: sed Galenus Minęam vt Plinius appellat, quam & cæteris præfert, Anthidotis Minæam expeti præ ceteris & quia odoratior, & quia ei non admixtum est, Opocalpasum, quod est genus veneni.

CAP. XXX.

BDELLIVM lachryma, hoc nomine affertur Myrrhæ vulgari similis, magis perlucida, & ruffa, quæ sub dente lentescit, vt Gummi, gustu amara; Differt à Myrrha, quia illa fragilior est, & in igne ardet, vt Resina; At Bdellium magis naturam Gummi possidet; difficile enim ardet, & humore mollescit: Odor alioquin suauis, sed non sine austeritate. Dioscorides ex arbore Saracenica laudat, gustu amarum, translucidum, Laurino glutini simile, interius pingue, facile mollescens, absq; cortice & sodibus, in suffumigiis odoratum, simile vngui. Alterum autem genus ex India aduectum sordidum & nigrum, grandioribus glebis in massam conuolutis. Serapio non παλαθῶδες legit; id est coactum in massam sed ασπαλαθιῶδες: id est odore Aspalathi. Hoc Galenus Scyticum vocari tradit: Alterum vero Arabicum: tertium è petra siccum, rẽsinosum, liuescens, bonitate secundum; adulterari Gummi admixto, quod non adeo amarescit, neque carbonibus odoratum est. Plinius Bdellij arborem tradit apud Bactrianos nigram, magnitudine Oleæ; folio Roboris; fructu naturaque Caprifici. Gummi esse debet translucidum, simile ceræ, odoratum, & cum fricatur, pingue, gustu amarum, sine acore, in sacris vino perfusum odoratius; nascitur & in Arabia, India, Media, & Babylone. Adulteratur Gummi ex Amygdala nuce, vel cortice Scordasti, quæ arbor emula Gummi; deprehenditur odore, colore, pondere, gustu, igne, Bactriano nidor siccus, multique candidi vngues. Quod igitur Dioscorides vngui simile dixit, de colore intelligit. Plinius, non de odore, vt multi vertunt, quasi odor conueniret vnguis Marini. Arabes Bdellium duplex tradunt, appellantes vnum Bdellium de Meccha, alterum Bdellium Iudaicum; intelligunt autem per Bdellium de Meccha arboris fructum, vt tradit Auicenna; per Iudaicum autem lachrymam ipsam, forte quia in suffumigiis vsurparetur à Iudeis, scribiturque à Moyse in paradiso voluptatis oriri. Serapio duplici mentione de Bdellio agit; vna inter Palmas, inquiens Bdellium de Meccha esse arborem Iunci, maturari autem scilicet fructum in Meccha & comedi, ac dulcem esse; in Hyspania autem non maturari, sed esse valde acerbum, & asperum, cum pauco humore, Cifilionem appellari eius arboris cor, cuius natura est similis Palmis; videtur autem intelligere genus Palmæ sylucstris, quod in oris marittimis nascitur apud nos, cuius Palmitia Iunci modo ad nexus vtilia sunt, exornantque iis Oleę ramusculos, vario plexu

& nodulis conuestientes in sacris Dominicæ diei palmarum misteriis; altera vero mẽtione Bdellium Iudaicum appellans Gummi esse tradit, tantum scribens, quæ apud Dioscoridem, & Galenum de Bdellio scribuntur. Auicenna vtrunque coniungit, Bdellium enim de Meccha, quem fructum esse tradit & Bdellium Iudaicum ambo esse ex arboribus Aldum, quam interpretantur Palmam. Audio autem in Sicilia ex palmis iis, quos Cefaliones vulgo appellant, effluere gummi odoratum, quod genus Bdelli fuerit apud Arabes. De Arabico tamen Bdellio scribit Auicenna aliud esse à Bdellio arboris Aldum, quod cum Plinio consentit, qui arboris faciem describit à Palma diuersam.

CAP. XXXI.

LACCA vulgo appellatur lachryma lignosis quibusdam surculis adhærens, spumosa, dura, sub dentibus quasi lapidosa; colore ruffo, odore viroso; nam in ignem coniecta quasi vrinam putridã redolet; hac infectores lanarum colore rubro tingunt. Ludouicus Romanus gigni in India pluribus locis testatur & in insula Taprobana, in arbore Iuglandibus nostris simili: præstantior censetur, quæ surculis adhæret: Laccam Sumetri vocant; quia ex Sumetra insula, id est Taprobana habetur; vilior, quę in glebis sine surculis affertur, hanc Laccam Comberti vocant; Serapio ex authoritate suę gentis inquit, Laccam è cœlo cadere, super arboris Mespili ramulos in Syria locis marittimis; substantiam rubram esse super ligna tenuia; sapore non ingrato, quam decoquunt, vt tingant pannos colore rubro; colligi etiam, quod remanet post tincturam apud infectores, quod genus Laccæ fertur ex Armenia, abluiturque contritis eius lignis aqua calida, in qua ferbuerit Aristolochia, & Squinanthum, donec exeat clara; dein siccatur ac vitreis vasis reconditur: remedium ad obstructiones Hæparis & Ventriculi auferendas, & morbum Regium: Esse autem idem Camcamum apud Dioscoridem, & Galenum. Dioscorides Camcamum inquit, lachryma est Arabicæ arboris Myrrhæ similis, viroso gustu, quo in suffumigiis vtuntur; nam & vestes suffumigant addita Styrace & Myrrha; propinari tradunt cum aceto mulso pluribus diebus ad corpora obesa extenuanda; Lienosis, Comitialibus, Anhælosis. Plinius aduehi Camcamum ex confinio Casiæ Cinnamomique per Nabateos, Troglodytasque confines tradit; at conditiones eius nullas affert. Auicenna de eo bis agit, putans rem diuersam Camcamum apud Dioscoridem, & Laccam apud reliquos authores; cum tamen de Lacca agit, Paulum sequitur de Camcamo loquẽtem, vt Dioscorides: Venduntur hodie nomine Laccę duo; Vnum quod Gummi Laccæ vocant, quod legiptimum est Camcamum; Alterum orbicu-

lis

lis formatum rubicundis, factitium, quod incertum est, vtrum ex Camcamo præparatum sit, vt docet Serapio, an ex cæteris, quibus color Chermesinus paratur; hoc vtuntur pictores. sed de Gummi Laccæ dubitant nostri; non enim videri Camcamum; quia odor ingratus, qui in Lacca est; non videtur conuenire suffumigiis; grati enim odoris Camcamum traditur à Paulo; pręterea sapor nõ ingratus est in Lacca, quod & Arabes testantur; & Cãcamum gustu viroso scribitur. Videtur autẽ Dioscorides non bene verbum. Βρομῶδες: idest olidum gustui tribuere, cum olfactui conueniat; forte igitur transposita sunt verba, vt hoc modo legendum sit, Camcamum lachryma est Myrrhę similis, gustu olida, qua in suffumigiis vtũtur cum Styrace & Myrrha, quasi per se sola insuauis sit; multa enim sunt, quæ in commixtione gratia addunt, cum per se ingrata sint. Aut verbum Bremodes gustui: vertendum crepitans sub dentibus, cum degustatur; lapidosa enim ferme eius substantia, strepitum facit, cum dentibus atteritur, quale est Electrum, & nouum illud genus ceræ lapidosum ab Hyspaniis repertum, quo epistolas sigillant liquantes igne, quam audio fieri ex Laccæ Gummi additis variis pigmentis. Referunt hoc genus gummi non ex arboribus sponte stillare, quibus adhęret, sed à formicis quibusdam alatis extrahi & agglomerari, vt mel ab Apibus; ideo reperiri aliquãdo earum alas gummi agglutinatas. Arborem excelsam esse, folij Pruni. Id genus Gummi petebatur primum, ob præcipuum in medicina vsum, postea & pannis tingendis, nunc autem repertis aliis nobilioribus Chermesini coloris infectionibus, exoleuit Laccæ vsus, ideo rarum nunc est gummi Laccę apud nos, tantum affertur factitium genus Laccæ in pillulas digestum, vt prędictum est.

CAP. XXXII.

SANGVIS Draconis lachryma est concreto sanguini similis, tingens colore sanguineo; sapor inest siccans non ingratus, in suffumigiis odor, nares ferit. Adhæret vt plurimum corticibus quibusdam crassis similibus nucleis Mali Persici, ruffis, qui in igne resudant, lachrymam rubicundam prędictam: Adulteratur valde simili specie, addito Gummi colore simili, sed gustu cognoscitur & igne; Venditur & factitium quoddam genus panibus coactum ex Rubrica & Pice Colofonia, quo potissimum veterinarij vtuntur, admiscentes emplastris astrictoriis; legiptimam autem lachrymam fert arbor in Africa authore Aloysio Cadamusto in suis nauigationibus; crescunt præcipue inquit eius arbores in parua quadam insula Atlantici Oceani, prope Mederam, cui nomen dederunt Lusitani vocantes portum sanctum; fructum ferunt instar Cerasi mẽse Martij, gustu eximium, coloris veneti; sauciant arbores ferro

quo-

quodam anni tempore, & anno sequente lachrymam emittunt ex vulnere, quam decoquunt Athenis & defecatam, sanguinem Draconis appellant; hęc Cadamustus. Referunt & Hyspani in noua Hyspania Indiæ Occidentalis, apud Carthagenam probatissimam lachrymam sanguinis Draconis oriri; rationem vero nomenclaturę esse; quia eius fructus Draconis animalis formam omnino pręsefert, folio quodam rotundo inclusus, arbor procera, tenui cortice, qui vulnerari quacunque repossit, vnde erumpit lachryma: Fieri etiam decoctione non adeo bonum sanguinem Draconis, qui in panes cogitur. hęc Monardes Hyspanus refert. Dioscorides Cinnabarim appellat diuersam à Minio inuehi ex Africa magno precio paucum vt vix pictoribus sufficiat, ad lineas ducendas coloris variandi gratia. Est inquit color grauis, & valde saturatus; vnde quibusdam visum est non aliud esse, quam sanguinem Draconis; Facultatibus iisdem pollet, quibus lapis Hęmatites, magis astringit, & sanguinem cohibet & acrem quandam qualitatem adiunctam habet. Plinius inuentionem Sanguinis Draconis scribit in hunc modum: expeti à Draconibus propter æstum sanguinem Elephanti; quia frigidissimus: huius gratia insidiari bibentibus mersos in amnibus, morsum infingere in aure, indeque sanguinem exhaurire donec Elephas moribundus collabatur; prę pondere autem opprimi Draconem sanguine inhebriatum: Sanguinem autem vtriusque animalis permixtum Cinnabarim vocari, quæ in picturis proprie sanguinem reddit. Antidotis quoque medicamentisque vtilissima est: adulteratur sanguine Caprino, aut Sorbis tritis. Aetius colligi in India Sanguinem Draconis tradit ex herba Dracunculo appellata, quod ad veritatem magis accedit. Serapio ex authoritate Constantini tradit Sanguinem Draconis, succum esse Sideritis Achilleæ valde rubrum, sapore astrigente. Ex quibus patet hodie opera Hyspanorum certiorem huius haberi hystoriam, vt multorum aliorum, quam priscis.

CAP. XXXIII.

SARCOCOLLA inter lachrymas affertur minutissimis guttis constans, veluti sudore concreto, friabilis, subcandida, aut subrussa; sapore subamaro, ac mendicamentoso; in igne difficile ardet; attollitur in spumam; odore ingrato. Dioscorides describit, lachrymam arboris in Perside Thuris pollini similem, colore subrusso, amaram: eius naturam glutinare vulnera, & fluxiones oculorum sistere. Plinius addit: Spinæ lachrymam putari, cum quadam acrimonia dulcem, quæ vetustate nigrescit; melior, quò candidior. Mesues numerat inter medicamenta purgantia; eius arborem esse veluti Fruticem, spinosum; ramis nodosis, ad arborem collectis: lachrymam colligi aliam albam sicut Thus,

aliam

aliam ſubcitrinam: efficaciorem eſſe ſubcitrinam, & quæ magis amara. Purgat humores pituitoſos,& craſſos,drachmæ vnius pondere vſque ad duas: confert pręcipue articulis,quam facultatem antiquiores nequaquam nouerunt.

CAP. XXXIIII.

STYRAX in agro Romano prope Tigolim prouenit, arbor Malo Cotoneo ſimili caudice, & foliis, candidiori tum cortice, tum folio in parte aduerſa: floret in nouellis ſurculis; flos candidus ex multis foliis conſtans, odoratus, magnitudine,& ſpecie floris Aurantię; fructus rotundus, externa cute craſſa, candicante, magnitudine Auellanæ; intra cutem modo vnicum, modo duo ſemina continentur oſſeo cortice obducta, medulla interna inſuauis. Arbor lachrymam dat ſuauem, ſed exiguam. De Styrace apud Theophraſtum nihil habetur præterquam,quod eſt inter odorata, quibus ad vnguenta vtuntur. Dioſcorides lachrymam eſſe arboris Malo Cotoneo ſimilis. Plinius in Syria Iudeæ gigni ſupra Phęnicem: eius arborem Malo Cotoneo ſimilem, ſucco prægnantem; intus ſimilitudo Harundinis; cum erodunt æſtate pennati vermiculi, vnde liquor effluit, ſcobe permixtus. Serapio fructum tribuit candidum Auellana maiorem, Pruni albi ſimilem,duplici cortice; exteriorem mandi, quamuis amaram: ex interno nucleo oleum exprimi. Quamuis igitur ea, quam deſcripſimus in Italia lachrymam paucam ferat, vt aliæ multæ, quę in feruida regione ſucco multo abundant; tamen ex ſimilitudine tradita coniectari poſſumus Styracem eſſe: Placet hic de eius lachryma aliquid dicere,cum diuerſa authorum dicta controuerſiam fecerint: Apud Dioſcoridem igitur traditur quædã translucida,Gummi ſimilis,Myrrham redolens,ſed exigua & rara. Altera frequentior, cuius probatur,quæ colore ruffo, pinguis,reſinoſa,fragmentis albicantibus, odore perſeueranti. Hæc ſubacta melleum liquorem reddit: damnatur nigra, friabilis & furfuroſa. Fieri quoque ex ea oleum Styracinum in Syria. Plinius ſecundam tantum deſcribit non diſcedens à Dioſcoride. Serapio Styracem diuidit in liquidum & ſiccum, per liquidum intelligit modo oleum, ex nucleis extractum, modo ipſam arboris lachrymam, modo ſtillatitium humorem ê recenti Myrrha extractum,quam Dioſcorides Stactem vocat; per ſiccam autem intelligit corticem fructus, poſtquam expreſſum eſt oleum. Auicenna ſimiliter humidum & ſiccum eſſe, humidi vnum ſponte fluentem ex arbore, coloris citrini,quem Storacem Calamitam vocant;alterum per decoctionem,coloris nigri, quem Storacem liquidum appellant; feces autem Storacem ſiccum eſſe; Calamitæ vocabulum videtur à Calamis deriuatum; quia

teſte

teste Galeno, in Calamis afferretur, vel, vt Plinius; quia arbor Calami modo concaua succo plena est. Auicennæ explicatio videtur magis cum Dioscoride cõsentire, vt quędam sit arboris lachryma sponte fluens, quę cum in ligni scobe reperiatur, veluti leprosa redditur; congeri enim circa caudicem, multam scobem, erodentibus vermiculis testatur Strabo, cum qua lachryma se permiscet, sine iactura tamen odoris. Quædam artificio extrahatur per decoctionem, vt solet ex Cædri lignis, Cedria, & Iuniperi oleum, sic ex Styracis lignis, aut ipsamet scobe per ignem resudet Styrax liquidus, quem Dioscorides oleum Styracinum vocat; ipsa vero scobes exsiccata, & retorrida Styrax siccus sit. De quo Dioscorides inquit, damnati nigrum, friabilem, & furfurosum. Hodie tria eadem habentur; nam arboris lachryma non sine scobe quadam, Styrax cognomine Calamita tamquam optima in suffumigia preciosa venit. Arida quoque ipsa scobes modo ruffa, quę laudatur, modo nigra quæ damnatur, similiter quæritur ad suffimenta odorata. Styracinum vero oleum, vendebatur Balsami loco ex Syria aduectu; sed desiit postea quam nouum genus Balsami ferri cępit ex Occidente; liquor autem ille putridus, quo ad scabiẽ iniungendam vtuntur, vilissimo etiam precio; quamuis Storax liquidus vulgo appelletur, aliena omnino res est. Forte Aleomeli Dioscoridis, quod è pinguitudine surculorum fieri scribit, cuiusdam arboris in Syrię Palmiris; ex ea enim sponte manere oleum melle crassius; sapore dulci; ad purgationes aptum; arte quoque fieri oleum è pinguedine surculorum, optimum vetus, pingue, non turbidum; illinitur ad lepras & reliqua. Testantur autem mercatores, vulgarem Storacem liquidam, ex decoctione quorundam surculorum in aqua fieri. Ad Storacis genera videtur reduci posse, quod ex India Occidentali fertur, Liquidambrum vocatum, Resina liquida valde odorata, apprehensis & arboris corticibus simillimo odore Styracis. Eius arborem in noua Hyspania magnam tradunt; frequentibus ramis, ac foliis Hederæ; crasso cortice, quo inciso lachryma funditur prędicta: ex hac recenti stillare tradunt per se oleum quoddam odoratius, exprimi quoque, vt maiorem quantitatem habeant, sed minus perfectum, quo Chirothecas inficiunt.

CAP. XXXV.

OLEA non multum distat à Lauri natura; nam similiter folio constat perpetuo, sed paruo, angusto, & candicante, duro, cuius pars prona candidior, breui pediculo: Fructum fert Oliuam appellatam, Laurinis similem, pingui pericarpio; vnde oleum copiosum extrahitur, nucleum intus durum, cum parua medulla oblongum; floret à lateribus, & aliquando in summis ramulis, quod signum est hubertatis,

bertatis, racemulis exiguo flore onustis candicante: ipsa arbor nodosa maximè in caudice, nodos eos Rustici oua Olearum vocant; nam sata germinant numerosa sobole; materies fragilis, spissa, & crispa: medullam paruam & incertam habet: radices multas, crassas, inæquales, & nodosas, summæ terræ hærentes habet: paruam autem eam, quæ ex medio: rimas non sentiunt ob carnis æqualitatem; vnde simulachra sculpere solent perpetua, authore Theophrasto, in quem vsum odie Oleastrum Rhodium maxime expetitur, maculosa facie, prædensum, vt quodammodo Agallochum Indicum emuletur, in postoribus adulterandi ansam præbens. Oleaster idest sylvestris Olea, Cotinus etiam vocatur apud Dioscoridem & Plinium, foliis breuioribus constans, & fructu minori, qui oleum reddit amarum, in Aethyopia lachrymam fundit Dioscoride Authore, Scamonio similem, mordaci gustu, ruffiorem, & minutis stillis constantem. In mari Rubro peculiarem describit Theophrastus, è cuius lachryma Medici medicamentum componunt sistendo sanguini. Plinius Enhæmon appellari Oleæ lachrymam in Arabia singulari effectu, contrahendis vulnerum cicatricibus. Hoc forte fuerit illud, quod à Recentioribus Chyrurgis vocatur Gummi Alemi. Olearum differentiæ ex fructu magis, quam arbore spectantur, scilicet pro magnitudine, pinguedine, & probitate: Vnde Plinius Oliuarum multas affert species. Pausias primo purpureas, deinde in nigrum transeuntes, plurimum carnis habentes Autumno colligendas. Orchites, quibus plurimum Olei post Radios, eodem colligendas tempore. Radios tenerrimas, vnde citissime eas occupat æstas, & à murca cogit decidere; Liciniam in agro Vefrano callosam in Martium mensem durare, probatissimum oleum fundere, eius baccas auis non tangit. Cominiam similiter callosam. Regiam, quę & Phaulia dicitur, & Maioranam grandissimam minimo succo non nigrescit ante Februarium. Sergiam, quæ vt Regia in illud tempus nigrescit. Colymbades franguntur & condiuntur, herbarum viridium sapore sunt & superbæ præter iam dicta genera, sunt & prædulces per se tantum siccatæ, vuisque passis dulciores, admodum raræ in Aphrica & circa Emeritum Lusitaniæ. Hodie grandissimæ fere nucis magnitudine afferuntur ex Hyspania muria conditæ, quæ superbę meritò dici possunt. Nostratium, quæ minores, rotundioresque plurimum olei habentes, Oliuolæ vocantur, quæ maiusculæ, & oblongæ dulcissimum oleum reddentes, sed parcius; Raggiariæ à radiis nomine deflexo: Maiores adhuc pulposioresque ad condituras tantum quæsitæ Regiæ fuerint. sunt & quædam, quarum caro abscedit ab osso, cum franguntur, virides, quæ conditæ gratissimæ fiunt, quas Colimbades dixerim. Oliuas omnes, cum nigrescere incipiunt Drupas Latini vocant, quæ optima ætas ad decerpendum: nam maturiores pinguiori

quidem succo constant, sed minus grato, in maturiores oleum reddunt præstantissimum, quod Omphacinum vocant, sed exiguum.

CAP. XXXVI.

ILATRVM vulgo appellatur, alij Linternum, frutex in maritimis tractibus frequentissimus, veluti Olea, quędam parua; multis ramis fruticantibus; foliis Oleæ durioribus, ac viridioribus, similiter perpetuis; floret à lateribus in alis foliorum, non oblongo racemulo, vt Olea, sed aceruatis granulis fructum fert nigrum Ligustro similem; vnico intus osficulo, tenui putamine, figura oliuari; Frequentior in hac est sterilis quasi in eo genere mascula, quam Plinius Alaternum vocat inter steriles, quæ fructum nullum ferunt, ei folia inquit sunt, inter Ilicem & Oliuam; Vidimus tamen quandam angustiori folio quàm Olea, quandam latiori breuiorique ad Ilicem valde accedente. Hanc videtur Theophrastus Phillycam appellasse, perpetuo virentem; vnde illi honor in alendo pecore, cum semper fronde abundet: obedientissima est materies candorque ei Celastri modo; germinat ineunte vere: fructum reddit post Occasum Vergiliarum, montibus est propria. Dioscorides Phillyream vocat, arbor inquit est Ligustri magnitudine; foliis Oleæ latioribus nigrioribusque, fructu Lentisci, nigro, subdulci congesto Vuarum modo in locis asperis: in foliis facultas est astringendi, vt in Oliuastro.

CAP. XXXVII.

PHYLLIRA mas Theophrasti, vulgo in agro Plumbinensi vocant legno Puzzo, & Putine, quasi lignum putridum, copiosa ibi nascitur, arbuscula est, Lauro similis, foliis breuioribus, leuiter serratis, similiter perpetuis, leuibus, lentis, flosculos fert racematim circa ramulos herbaceos, baccas paruas ternis intus osficulis, rotundas, rubentes; cortice interno pallido; materie rara, leuissima: medulla ruffa, putant quidam Phylliream Dioscoridis: sed magis placet vt Phillyra mas dicatur apud Theophrastum, seu Tilia mas, vt Plinius vocat, vt explicatum est in Tilia: nam & multæ steriles in his reperiuntur, vt in Alaterno.

CAP. XXXVIII.

RHAMNVS Frutex est virgas ferens albas, longas, & inclinatas; paucis ramis: aculeis rectis & crassis: foliis Oleæ, perpetuis, ex viridi candicantibus, pulposis: flores in summis germinibus, specie Gelsimini, ex purpura candicantes: baccas paruas Oleæ figu-

figura: floret in autunno. Alterum genus arborescit ramis rectis, Salicis modo: cortice minus candido: foliis angustioribus, longioribusque, non pulposis, veluti puluisculo ferrugineo inferne obsitis: iuxta folia, folliculos quosdam tenues sine flore fert, Hordei figura & magnitudine, puluisculo scintillante obsitos colore ferrugineo, ij in maturitate paruæ Oliuæ speciem gerunt, rubentes: succo intus croceo, tenui tunica incluso: maturantur hyeme: semen vnicum continetur nigrum: aculeos rariores habet acutioresque, sed infirmiores. peregrina hæc apud nos: superior autem frequens in sępibus nascens vt Rubus. Theophrastus Rhamnum fruticem esse scribit perpetuè virentem: racemum ferre in summis virgis: commodam ad igniaria paranda: eius duo genera esse, aliam nigram, aliam candidam, fructuque diuerso, & ambas aculeigeras. Erit igitur candida, quam primo loco descripsimus: altera vero nigra. Plinius inter genera Ruborum recenset Rhamnum à Gręcis appellatum, quorum alter candidior & fruticosior: floret ramos spargens rectis aculeis, non, vt cæteri, aduncis, foliis maioribus: Alterum genus sylueſtre nigrius, & quadantenus rubeus, fert veluti folliculos, quæ similiter quadrant duobus à nobis propositis: maiora enim insunt folia in candido: nigrum quadantenus rubet, ob puluisculum ferrugineum: sed apud Dioscoridem tria Rhamni genera proponuntur: primum ramos fert rectos, & aculeos in acutę spinæ modum: foliis paruis, oblongis, subpinguibus teneris. Alterum eius genus candidius: his videtur significare duas à nobis propositas: primam quidem nigram: alteram vero candidam; Quod vero tertio loco describit Paliurum esse apud Theophrastum puto, vt suo loco explicatur.

CAP. XXXIX.

SCOTANVM vulgo appellatur Frutex contortis caudicibus non crassis, quibus decorticatis infectores vtuntur; Flauo enim colore tingunt: cortex est ruffus: lignum pallidum: folia Piri rotundiora: in summis surculis magnus exit racemus capillaceus, in quo rara apparent semina flauescentia, exigua, quasi triangula, depressa, duro putamine, sed ob tenuitatē impartibili: flosculus pallescens, aut herbaceus, vix conspicuus: ex nominis similitudine Cotinus videretur antiquis vocatus; Quæ sylueſtris Olea est Dioscoridi, sed facie valde distat, apud Plinium tamen Cotinus appellatur in Apennino frutex ad liniamenta, modo conchilij, colore insignis.

CAP. XL.

LENTAGINEM in Hętruria vocant fruticem in syluis nascentem, foliis Lauri rotundioribus, subirsutis, perpetuis: ideo quęritur hic frutex ad exornanda viridaria opere Topiario: flores fert in vmbella candicantes in summis fruticibus: hyeme autem floret: baccas fert Myrtho similes coloris cærulei, splendidas, tenui pericarpio, tenui quoque crusta seminis, sapore acerbo; Fructus annotinus nouellum expectat. Quidam, Tinum appellant, Plinius hanc videtur intelligere, cum inter Lauros inquit esse Laurum syluestrem, quam alij sui generis arborem dicunt, cui cærulea est bacca.

CAP. XLI.

LANTANA vulgò à quibusdam appellatur frutex qui creditur Viturnum esse apud Virgilium, constat multis virgis cubitalibus, digiti crassitudine, lentis, & hirsutis; Folia ex interuallis bina Vlmo latiora, & magis hirsuta; in summis virgis vmbellas fert Sambuco similes, minores; flosculos minutos, candidos, grauiter olentes, qui similiter summis fructibus insident, quibus decidentibus baccæ subsident oblongæ, modicè compræssę, in maturitate primum rubentes, postea nigrę, sapore ingrato; intus semen vnicum continetur, latum, depręssum, & striatum, osseo cortice intectum, ex eius radicibus viscum extrahi tradunt: hanc videtur Theophrastus Rhoem, seu Fluidam, vt Theodorus vertit: appellare, cuius mascula dicitur, quæ sterilis; Fęmina, quæ fructifera est. Virgas ferunt non longas, nec crassas; folium Vlmo simile paulo oblongius, aliquantum hirsutum, ramulorum nouellorum. Folia paribus internodis coniugatim condita adhęrent ordine disposita: inficiunt his coriarij alba coria; flos candidus racematim enascens, quo decidente, fructus cum labrusca rubescit; fiuntque ceu lentes tenues congestæ, figura his quoque in modum Vuę: osseum intus continetur medicamentum, fluida dictum; radix persumma & simplex, vt facile auelli possit radicitus. lignum sine medulla, & cæsum quoque incorruptum perdurat; nascitur omnibus locis, sed in argillaceis potissimè præstat. Plinius hanc eandem sub nomine græco Rhus intelligit, cum inquit. Fruticem esse coriarium, subrutilum, cubitalem, crassitudine digitali, cuius aridis foliis, vt Malicorio, coria perficiuntur; Medici autem Rhoicis vtuntur, id est fructibus ad contusa, & quæ sequuntur, & alibi inter Syriæ arbores describit, vt Theophrastus. Dioscorides huius non meminit; nam sub nomine Rhus aliam intelligit. Quanuis autem

hodie

hodie in Italia ad coria depsanda ea nequaquam vtuntur; tum quia rara, tum quia alia forte meliora in eum vsum venere, vt Myrthus & Lentiscus; non ob id negandum Lantanam Rhoem coriariorum esse apud Plinium & Theophrastum.

CAP. LXII.

RHvs obsoniorum, vt Dioscorides vocat, vulgo autem Sumach, arbuscula est in petrosis nascens vltra bicubitalem altitudinem; ramosa; Foliis pluribus in communi pediculo coniugatim dispositis, vt in Lentisco & Terebintho, subhirsutis, & lateribus modice serratis, vt in Sorbo rotundioribus; floret in cacuminibus racematim flosculo rubro & minuto: grana fert congesta veluti in spica Lentis modo depressa, quorum externa tunica, veluti roscida, tactu pingui, sapore acido, & gustui grato, ideo pro condimentis vice salis inspergi solita est antiquis: internum putamen carthilaginosum colore Castaneæ, medullam seminis exiguam continens; huius foliis coriari vtuntur ad depsandum vt aliis astringentibus. Plinius hanc Rhoem Erithron appellari testatur ex Dioscoride, cuius semen aspergitur, pro sale obsoniis: Nam aliam meminit, cuius semen medicamentis assumitur ex Theophrasto, quam nos vulgo Lantanam appellamus. Dioscorides inquit Rhus, quod obsoniis pro sale aspergitur ab aliquibus Erithros appellatur. semen est ex coriarij fruticis eiusdem nominis. Excoriarius hinc vocatur; quoniam qui pelles condepsant, spissandis coriis folio eius vtuntur. Arbuscula est in petrosis duorum cubitorum altitudine prouenienes; Folium ei sublongum, modicèque rutilum, serratumque, & incisum per horas; fructus in racemulis densus, magnitudine Terebinthi latiusculus: pars corticea, quæ semen ipsum complectitur, Medicinæ percommoda est: huius fruticis foliũ vim habet astringẽdi velut Acacia, & quę sequuntur.

CAP. XLIII.

LENTISCVS frutex est frequens in asperis marittimis perpetuê virens; foliis, magnitudine Myrthi, in communi pediculo coniugatim dispositis, magis pulposis, & durioribus; flosculi racematim cohęrent circa ramos inter folia subrubentes; baccę rotundæ ac rubentes paruę, quibus medulla inest viridis, huius quoque folia assumunt ad coriam depsanda; virgarum materiem lentam; exacuunt ad repurgandos dentes; nam consolidat gingiuas, & dentes confirmat, sunt qui huius gratia, & folia ipsa mandunt; apud nos lachrymam fert exiguam, sed in Chio copiosam, quæ Mastiche vocatur. Dioscorides

arbo-

arborem tanquam notam non describit; de Mastiche eius scribit; resinam esse Lentisci, quæ laudatissima, & copiosissima in Chio insula gignitur: probatur quodam ignis fulgore splendida, candorem cæræ Tyrrhenicæ preferens, crassa, retorrida, odorata, friabilis, minus proba est colore viridi; adulteratur Thure permixto, resinaquè.

CAP. XLIIII.

TEREBINTHVS arbor est Lentisco similis; foliis coniugatim ex vno pediculo exeuntibus, vt in Fraxino, deciduis apud nos, quanquam Theophrastus inter perpetuè virentes recenseat, specie Lentisci sed maiora: in foliis aliquando vesicæ quędam oriuntur rubentes; floret à latere in racemulis oblongis; flos rubens & paruulus; fructus paruus, depressus Lentis modo, & rubens; cortice inciso lachrymam fundit quanquam exiguam in Italia. Resina Terebinthi hodie ex Cypro affertur paulo crassior, sed multo odoratior vulgari Terebinthina, quæ ex Larice habetur. Theophrastus Terebinthum fructu & resina vtilem, in montibus tantum nascentem tradit, in eo genere esse marem, quæ sterilis, & fœminam fructum ferentem; hunc in alia paruum esse protinus ruffum, magnitudine Lentis, qui concoqui nequit, in alia primo viridem, postea ruffum, vltima maturitate nigrum, Fabæ magnitudine, resinosum, & sulphurosum, in India Amygdalę magnitudine, arborem circa Macedoniam & in Ida breuem, & fruticosam & contortam. sed apud Damascum Syrię magnam, & decoram, copiosamque, materiem lentam, nigram, spissam, & in Syria nigriorem Ebeno, ex eaquè capulos pugionum fieri, & pocula Tornari, quę à fictilibus discerni nequeant, sed cor tantum accipi ac perungi; folia Laurina ex vno pediculo coniugatim prodeuntia, vt in Sorbo, minus angulata, pinguia cum vniuerso fructu; florem Oleæ, colore ruffo; ferre etiam quædam concaua Nucis similitudine, vt Vlmus, in quibus bestiolæ innascuntur culicibus similes, humore quodam resinoso putrescente, at Resinam ex ligno manare. ex his videtur Theophrastus non solum nostratem Terebinthum indicare, cui paruæ sunt baccæ, sed & Pistaceam, cuius fructus grandiores vtiles in cibis afferuntur, aut Pistacea ex Syria quanquam & in Sicilia, in Agrigentino proueniant: nuclei sunt oblongi paulo crassiores Pineis, aut Auellanam oblongam referentes; cortice albo crustoso magis quam osseo, externa tunica arida, subnigra, & decidua, medulla interna viridis, dulcis, & subacris: Arbor, quæ ex eius satu aliquando apud nos prouenit, magna est, foliis Terebinthi, aut Siliquę perpetuis; floret in cacuminibus racematim, vt Rhus, exiguo & rubro flore; Hanc Theophrastus Terebinthis annumerauit, cum aliàs Pistaciorum non meminerit,

testa-

testatur & Atheneus credi à nonnullis Terebinthos, quę Siri Pistacia vulgo appellant. Dioscorides de Pistaceis & Terebintho diuersis capitibus agit, sed vtranque tanquam notam non describit.

CAP. XLV.

GLANS vnguentaria, quam vulgo Ben vocant, nucleus est triangulus Auellanæ, aut Pistaceę similis, medullam candidam & plenam continens, oleosam; cortice crustoso, cinereo, aut nigricante, qui in alio externo ac deciduo reconditur. Exprimunt Vnguentarij ex eius medulla oleum ad odores conseruandos, quia solum vetustate non rancescit. Arborem Dioscorides tradit, Myricę similem in Aethyopia, Aegypto, Arabia. Theophrastus glandem vocat peculiarem Aegypti, quę peregrinari nequit, Myrtho similem; folio oblongiori, contortam & magnam; fructu magnitudine & visu Capparis, cuius putaminibus Vnguentari vtuntur; quia boni odoris sunt, alioquin ipso fructu inutili existente: ligni materies valida, commoda ad nauigia: quanquam alibi Glandem inter minora recenseat caule carnoso, vt Beta. Plinius Myrabolanum appellat; folio Heliotropij herbæ simili: fructu magnitudine Nucis Auellanæ, quæ Glans appellatur in aliis nigra in aliis candida, rubens in Aegypto, viridis in Arabia; gracili nucleo, & odoratiore liquore in Aethyopia. Quod igitur Plinius folio Heliotropij describit, fortè intelligit; quas Castaneas Aequinas appellant Constantinopoli, cuius arbor traditur procera folio Pentafili maiorem, Ricini magnitudine: Echinum fert spinis firmis & raris, in quo fructus Castaneæ similis, dulcis, rotundior, crassior: cortice subnigro, sede candida figura cordis. Mesues quoque inter Arabes Ben quendam magnum scribit, vt Auellana; quendam paruum Ciceris magnitudine. Hyspani inuenerunt in insula sancti Dominici, Indiæ Occidentalis, Auellanas purgatiuas vocant, quia ad purgationes vtuntur, quod etiam tentantes Hyspani vim vehementem inuenerunt ac valde laboriosam, ideo tostis vtuntur.

CAP. XLVI.

PALMA sola inter arbores nullis ramis constat, vim genitalem indiuisam, in cacumine candicans, habens tanquam in capite: hîc enim medullæ copia continetur, quod cerebrum Palmę appellatur: hinc & folia & fructus erumpunt, emoriturque præcisa ea parte: simplex est caudex rectus, licet alicubi bifidus, & in plures partes diuisus assurgat, vt author est Theophrastus, cortice scabro, ligno neruoso, sine medullæ discrimine, tractatu facilis, præualida ad sustinenda

pon-

pondera, non enim flectitur deorsum, vt cætera ligna, sed pondere reniten do sursum incuruatur: Folia sunt Harundinea, sed multa ex vno pediculo ligno so, & crasso aculeatoquè prodeuntia in multam lõgitudinem, angusta, quæ cum nouella sunt inuicem cohærent; colore subalbido, quia, cultellos vocant, quos in sacris mysteriis vnà cum Olea assumunt, vtilia ad nexus & ad leuia capitis vmbracula texenda. Eadem postea explicantur duriora effecta ac viridiora, inflexaque ad latera, alis ex media Palma subnascentibus: figura folij explicati, qualis hominis palma, sed longissimis digitis numerosisque, quanquam differentias multas sortiatur; Quædam enim etiam explicata nunquam tamen inuicem disiunguntur, vt in nuper nascentibus Palmis omnibus, & in quodam genere peculiari; quędam disiunguntur quidem vsque ad certam mensuram, sed non ex toto, vt relinquat palmę manus latitudinem præter digitos, vt in quodam genere humili, quod sponte in scopulis maritimis oritur, vt in insula Ilua, & Palmeola vocata Insula illi contermina. in Sicilia Cefaglionem vocant. Quędam ex toto disiunguntur vsque ad pediculum, vt in Palma, quæ in Italia seritur ex fructibus peregrinis, quos Dactylos vocant. Hæc in arborem prægrandem assurgit; folia ei ad longitudinem quatuor cubitorum, cum suo pediculo sparguntur in orbem, quos Palmę ramos aliqui vocant: iis pręcisis vestigia in caudice frequenti & relinquuntur ad scandendum oportunissima, alioqui si derelinquantur in penetrabili vallo scandentibus aditum intercludunt: fructus racematim veluti ex Milij iubis dependent, prodeuntibus non ex medio cerebro, vt de nouella exeunt foliorum germina, sed à latere; vestitur initio racemus tunica conuoluta similitudinem gerens Ensis cuiusdam lati sua vagina inclusi, ventre quodam medio latiore, prope cubitali longitudine stans inter folia. Elatem Dioscorides & Spatham vocat, Palmitem Plinius. disrupta ea tunica Iuba, quę intus latitabat, ostendit in mare quidem flores tantum sine fructu, candidos, puluere quodam refertos; in fœmina autem fructus sine flore. Author Theophrastus puluerem illum Maris fœminæ aspersum fœcundiorem reddere, nec fęticare ipsas fœminas nisi iuxta marẽ adfuerit. Fructus ex cuius semine Palma, quàm diximus in Italia prouenit, oblongus, figura Glãdis, sed amplior, colore Castaneæ, exterius pulpa constans carnosa & dulci: intus osseum quid continetur solidum, cui rimula in parte prona, in dorso autem seminis pulpa ob paruitatem vix conspicua; nam in ea parte nascitur paruo relicto foramine; idcirco prona serere oportet non supina, & plura simul, vt habitior ex pluribus principiis, fiat caudex. Sed apud nos omnes steriles, aut fructum moliuntur tantum, nec perficiunt; appellant autem eos fructus in Italia Dactylos. Eosdem inter alia genera, quę traduntur, Dioscorides & Plinius Caryotas videntur appellasse, laudatas ad faucium asperitates.

Quarum

Quarum nobilitas in Iudea maxime Hiericunte Theophrastus in sola Syria, idque in valle Palmaria reconditos fructus seruari testatur, cum cęteri fugaces sint, ideo recentes consumuntur. Arabes quoddam genus Bdellium de Meccha vocant, cuius fructus in Meccha maturatur, & dulcis fit; in Hyspania autem nequaquam. Ex eadem Gummi haberi, quod Bdellium Iudaicum vocant, vt in Bdellio explicatum est. Sed præter Caryotas recenset Dioscorides Phænicobalanus, quasi Palmæ glandes in Aegypto acerba & astrictoria facultate, qui si crudiusculi decerpantur, vt fieri solet, in media fere maturitate, virides sunt, figura Myrobalani Arabicæ, odore Mali Cotonei; & Thebaicas, quarum decocto contra æstus ardoresquè vtebantur, & ad vires in ægrotis recreandas, ex quibus etiam vina fiebant ad eosdem vsus, facultate vehementer astringendi repellendiquè. Theophrastus multas affert fructuum differentias: nam quidam, inquit, sine ligno intus sunt; quidam cum ligno, eoquè in aliis duro, in aliis molli: alij candidi: alij nigri: alij flaui: nec pauciores colores, quàm in Ficorum generibus: quidam figura Malorum & amplitudine: alij minuti Ciceris magnitudine; Quidam nunquam maturescunt: Quidam non nisi triennio, vt semper nouo subnascente vetustus adsit, ex quo contuso panes fiant in Aethyopia: Quidam manduntur tantum, vt expuantur expresso succo. Plinius vnde quinquaginta genera numerari, siquis velit omnium nomina persequi, & vinorum ex his differentias. Sed cum ij in feruida tantum regione proueniant, considerandum, vtrum præter Caryotas aliud genus vllum hodie adferatur ad nos. Videntur autem ex genere Palmarum esse ij fructus, quos vulgò Mirabolanos vocant, quasi Myrobalanos, vt aliquando Plinius vocat, quos fert Palma probatissima in Aegypto, quę ossa non habet in balanis, reliquarum modo, eundem viridem, odore Mali Cotonei tradit, vt Dioscorides: nam alibi per Myrobalanum, intelligit ipsam Glandem Vnguentariam, quam Dioscorides Balanon Myrepsicen appellat: afferuntur autem quinque Mirabolanorum genera, omnia arida, sapore acerbo, sed facultate purgandi prædita, vt Arabes adnotarunt. Eorum tria os continent, solida pulpa, & crustosa inclusum, striatum: veluti tripartitum, durissimum, non tamen omni ex parte solidum, vt in Dactalis, sed in media cauitate, quæ parua est medullam seminis continet. Primi generis sunt cognomine Citrini, colore pallido, figura Glandis, striati. Secundi Chebuli grandiores figura Prunorum Damascenorum nigricantes, crassiore pulpa, qui etiam saccaro condiri solent, recentes aut siccati, humoreque remolliti: Bellirici Gallæ modo rotundi, flaui, tenuissima crusta obducti. Duo præterea sunt nullo intus nucleo manifesto scilicet Indi nigri, Oliuę depressæ figura & magnitudine; & Emblici figura parui Mali, sed eos in parua fragmēta dissectos & siccatos ferunt nigricantes. Quid

si hos Phœnicobalanos dicamus? nam nullo intus ligno spectantur, & cum maturi sunt, nigrescunt, vt Plinius testatur. Qui autem os intus habent, ad Thebaicos & Arabicos Mirobalanos reducamus: de iis enim inquit Plinius, in totum arentes Thebaides, & Arabicæ macro corpore, exiles, & assiduo vapore torrentes, crustã verius quam cutem obducunt; Thebaidis fructus, ex templo in cados conditur, alioqui celeriter expirat, marcescitquè, non retostus furnis: præterea compertum est eorum succos artificio quodam paratos, vt docet Mesues, nõ solum ad febrium ardores multum pollere, sed etiam in omnibus putridis adeo virtutem roborare, vt breui natura ipsa putredinem vincat, & expellat; reperio apud Asclepiadem Chrysobalanum, quasi ipsum Myrobalanum Citrinum. Arbores quorundam generum describit Garzias in hunc modum. Folia Emblicarum quidem tenuiter diuisa sunt magnitudine Palmæ. Citrinorum autem vt Sorbi. Indorum, vt Persici. Arbores omnium magnitudine Pruni: sylucstres esse. Emblicis vtuntur ad coria depsanda, vt nos Rhoe.

CAP. XLVII.

MVSA vulgo appellata inter Palmas videtur recenseri posse; oritur in Aegypto & Cypro: eius folia visuntur apud nos aliquando saccari panes conuestientia: distinguntur ab Alga, latifolia, qua similiter saccarum condunt in Occidente, quòd Algæfolia nulla media costa visuntur, Musæ autem folia costam perpetuam & crassam habent, per medium folium discurrentem, aliquando aculeis quibusdam à tergo armatã, folij latitudo ferè cubitalis, longitudo aliquando bicubitum excedit: Figura simili ei, quam Indicam Harundinem vocant. Tradunt eius caudicem, Palmæ modo ad quina, & sena cubita attolli squarosa foliorum cortice vestitum; nullis ramis; è vertice germen molle exire cubiti longitudine sustinentem fructus parui cucumeris magnitudine, qui per maturitatem quadantenus flauescunt; cortice Fici, qui eodem modo digitis detrahitur, substantia pulpæ Melopeponis, nullo intus osse; nec semine: sapore grato: quamuis initio insipidus videatur: fructus quoque hos Musas vocant: seri stolonibus Agnoscentibus.

CAP. XLVIII.

NVX Indica ingens est fructus amplitudine Mali Citrij, aut Melopeponis: externo cortice arido & fibroso: Trilatera fermè figura, qui intus degenerat in stamina lini modo: succedit semi-

nis

nis cortex osseus, durissimus, ouatus, leuis, ex quo pocula fiũt lienosis vtilia intra hunc medulla inuoluta sua molliori tunica, sapore dulci & pinguí: Crescente Nuce, aiunt colligi humorem, sub extimo inuolucro inter stamina, qui Nuce perfecta aquæ rosaceæ similis effunditur, mensura terni calicis ex singulis nucibus, potu suauis: arborem tradunt Palmæ similem: folia apta ad ædium imbricamenta, nam per sex mẽses aquam continent, adeo farctum tectum præbent: amputant ramos primo vere; quoniam plurimum luxuriant: incisæ arbores largè gemunt, vt Vitis: lachrymas vasis excipiunt, & recente humore pro vino vtuntur: nam triduo acescit in acetum: liquor idem percoctus transit in melleam substantiam: aliaquè multa admiranda tradunt de hac arbore apud Calecutenses. Videntur autem in genere Caryotarum esse, quos Plinius Nicholaos vocat, in eo genere sicciores amplitudinis præcipuè: nam quaterni cubiti longitudinem efficiunt, aut quod paulo post Pateton vocat nimio liquore abundans; rumpit enim se Pomi ipsius etiam in suam matrem ebrietas, calcatis simile. Affinis huic videtur fructus apud Indos vocatus Areca, & Fanfel, quem tusum manducant cum folio Indo; nam præter odorem gingiuas consolidat: Arbor erecta fungosa; foliis Palmę: Fructus Nucis Muscatæ, tenuior, intus durus, venis exterius albicantibus, & rubentibus magna ex parte, non omnino rotundus, sed altera parte compressus, continetur inuolucro crasso, lanuginoso, exterius flauo imitante Dactylos maturos, sed non siccos; sapor inest austerus. Hæc tradit Garzias Lusitanus. Hunc fructum aliquando vidi inter merces Indicas.

CAP. XLIX.

NVx Muscata ex Insulis vltra Gangem aduehitur, maior Auellana, minor Iuglande rotunda, pinguis multum aromatica: affertur autem purgata à suis puraminibus; aliquæ tamen visę sunt, cum suis corticibus vtpote immaturæ, quarum exterior tunica dissecta magis quam Auellanarum calyx, colore ruffo, aromatica, totam nucem circumplectens: sub ea cortex osseus continetur. Tradunt eius arborem Persico Malo similem; foliis paulo angustioribus; in incultis nasci; fructum ante maturitatem circundare instar florentis Rosæ, quæ postea perfectam nucem complectatur vndiquè; incolas vero eius loci, quam primum huiusmodi complexum viderint, certatim colligere; Alij distinctius referunt arborem, specie & folio Nuci Iuglandi similem; fructum completum magnitudine Mali Cotonei; externo cortice viridi, & crasso, vt in Iuglande, qui saccaro conditus gratus est gustui & aromaticus, sub hoc membranam tenuem contineri, quæ Macim circundat

rubicundum & implicatum circa duriorem corticem: intra hunc postremum Nucem Muscatam contineri: eius mentio reperitur apud quosdam ex Græcis recentioribus, Moscocaryon, & Myristicam Nucem vocantes. Fortè Aetius eandem intellexit sub nomine Nucis Indicæ, quàm recipit in suffimento muscato. Arabes authores optimè nouerunt in medicinis expetentes, & medullam internam, & externum corticem tenuem, quem Macim vocant; nam medius, qui osseus est, inutilis iudicatur. Maccis nomen assumptum est ex Macere, cuius Dioscorides & Galenus & Plinius meminerunt; nam Serapio ex Dioscoride transfert in corticem Nucis Muscatæ, quæ de Macere scribuntur. Scribit Dioscorides de Macere, qui & Macis, & Xilomacer vocatur, ex Barbaria aduehi corticem flauescentem crassum, gustum per quam astringentem, quoad cruentas ex creationes, & alui fluxus, & Dyssenterias vtuntur, Plinius ex India aduehi corticem rubentem radicis magnæ, nomine arboris suæ, sed qualis ea sit incompertum habere. Galenus similiter ex India conuehi Macerem, qui cortex est acerbo gustu, cum læuicula acrimonia odorata, vt pleraquè aromata, quæ ex India aduehuntur. Ex hac ieiuna descriptione significatur incertam illis fuisse Maceris hystoriam, & non esse extimam Nucis Muscatæ tunicam: repugnat enim eius tenuitas, & acredo maior, quam astrictio, cum in Macere sapor acerbus multum possit, sed fortè, si diuinare liceat in re adeo ipsis authoribus incomperta, quid obstabit? si dicamus extimum Nucis Muscatæ corticem apud Dioscoridem vocatum fuisse Nareaphthum inter suffimenta odorata, quod ex India corticosum aduehitur simile putaminibus Sicomori, non arboris libro, seu cortici, vt multi accipiunt: λεπίσματα enim tenuia sunt, & putamina fructus Sicomori scissa sunt, vt sæpe etiam Fici, nec crassa, cuiusmodi est Macis Nucis Muscatæ. Alterum autem eiusdem corticem crassiorem, esse Macerem, qui ob substantiæ crassitiem acerbus sit, & minimum quid redolens, ideo inutilis iudicatur Serapioni. Quasi putamina tantum iis temporibus afferrentur, Nuce in patria remanente; ea tamen, vt præciosa & valde peregrina ex osculabatur antiquitas.

CAP. L.

NVx Metel vulgo & Fungus Orientalis appellatur osseum quiddam compressum, & circulare instar Fungi abiecto pediculo; aliud integro circulo; aliud deficiente, vt Luna; in centro apex quidam; in labro seminis medulla continetur, ob paruitatem inuisibilis, vt in Dactylorum ossibus, quasi ab eis differat tantum; quia in Dactylis extrema ossis vtrinque replicata sunt media quadam rimula constituta: in Nuce Metella eadem sunt explicata & aperta, vnde circularis figura:

figura : est autem id lanugine tenui obductum & candicante : vtuntur eo solum pro veneno ad canes interficiendos puluere insperso carnibus; idem pisces & aues obstupefacit : Putarunt quidam hanc esse Nucem Vomicam Serapionis, quæ describitur maior : Auellana, & nodosa, cuius corticibus, pro medicamento vomitorio non pro veneno vtebantur : minus etiam fuerit, quæ Nux Metel apud eundem,& Auicennam traditur : fructui Mandragorę similis : cortice scabro, licet ea obstupefaciens sit venenum, sed apud Plinium videtur inter Palmæ fructus poni, cum inquit, quibusdam osseum continetur, lunatumque, dente contra fascinationes religione politum. Fortè Nux Vomica fuerit, quæ in officinis Galla Orientalis vocatur, ad pisces obstupefaciendos quæsita sunt baccę quædam inanes cortice nigro : in cauitate inchoatio tantum seminis apparet, indicium colligi ante perfectionem, non enim grandiores sunt Auellana, vt monet Serapio.

CAP. LI.

GARIOPHYLVS vulgo appellatur fructus odoratissimus ex India allatus vna cum festucis quibusdam, lignosis, colore, ex fuluo nigrescente sapore acri, & mordente, cum quadam amaritudine : fructus cum perfectus est ad maturitatem vsque, minus odoratus est, ac minus acris, figura & magnitudine constat, Laurinæ baccę oblongæ, aut fructus Rosarum; semine intus durissimo nigro implicato, recens verò natus odoratissimus, ideo maxime expetitur in condimentis, angustus & oblongus, in cacumine vestigium floris gerens, quaternis angulis, vt figuram parui claui referat : Placent integri assis carnibus infixi Meminit huius Plinius inquiens : Est etiam num in India Piperis grani simile, quod vocatur Gariophylon grandius, fragiliusquè : tradunt in Indico luco id gigni : aduehitur odoris gratia. Paulus Aegineta Cariophyllon vocari inquit, quasi Nuci Folium, cum potius sint stipulæ & flores arboris Indicę, nigri coloris digiti longitudine, odorati, acres, subamari, calidi & sicci in tertio ordine : Serapio laudat ad Venerem stimulandam, tum fructus, tum cortices, lignaue, ex India aduehi inquit, cum cortice, lignoque : in summo capitula sunt serrata, quæ laudatissima colore subruffo, odore firmo. Anthophylli apud Nicolaum intelliguntur grandes Gariophyli : qui ad maturitatem peruenerunt minus acres; cum tamen verbũ Anthophyllon debuisset florenti fructui aptari, Cariophyllon autem fructui perfecto ob Nucis similitudinem. Qui ad Indicas regiones nostris temporibus nauigarunt, referunt Gariophylon tantum prouenire in quinque Insulis Oceani, vltra sinum Gangeticum, locis montanis, & si aliò transferantur, nequaquam viuere; caudice con

stare

ſtare Buxo non abſimili: foliis Cinnami rotundioribus ad Lauri folia accedētibus: in cacuminibus fructus ferre, quindecim aut viginti ſimul, initio candidos, poſtea rubentes, cumque maturesſcere incipiunt, cultores harundinibus flagellare arbores, conſtrato prius ſolo tegetibus; idq; bis in anno ſub vtroq; Solſtitio: non ſinere autem vt ad perfectā magnitudinem intumeſcant; quia duri euadunt, & inutiles præter corticem: ſaporis acredinem ineſſe etiam arboris cortici, ligno ac foliis virentibus, vt fructui. hæc referunt. Ex Gariophyllis extrahitur artificio diſtillationis Oleum odoratiſſimum, quo vice Balſami vtuntur. ſi quid autem eſt quod Cinnamomi vicem ſupplere queat, Gariophyli Clauus eſſe poſſit, vt forte hoc fuerit Carpeſium apud Quintum Medicum à fructu cognominatum, ſed Galeno incognitum.

CAP. LII.

LOTVS arbor, quam in Hetruria Bagattum vocant inter viles fructus etiam num in prouerbio Amat colles, magis, quam plana caudice craſſo; ramis in latitudinem magis quām in altitudinem fuſis: cortice læui, & ſubalbido: foliis Vlmi lōgioribus & magis in acutum deſinentibus, magiſque ſerratis inferne candicantibus, ſuperne viridioribus, ſimiliter rugoſis: floret à latere ſolitariis floſculis, qui ex binis foliolis conſtant ſummo fructui inſidentibus: baccas fert Ceraſo ſimiles longo pediculo pendentes minores, rotundioreſque, in maturitate nigras: externa pulpa dulci, oſſiculo intus duro, veluti quadripartito, vt in Glande Vnguentaria; intus vnica ſeminis medulla continetur dulcis Dioſcorides inquit, planta eſt magnitudine arboris iuſtæ: fructu maiore quam Piperis, dulci, graue olēte, qui ſtomacho vtilis ſit, aluumq; ſupprimat. Plinius hanc in Aphrica inſignem eſſe, ibique Celtim vocari, Italiæ quoque familiarem: ſed terra mutatam, fructum colore Croci eſſe poſt maturitatem. Ex Theophraſto, Celtis Piro æquiparatur: ſed Inciſuræ ſunt in foliis, vt Ilicis videantur eſſe: materie nigra, dura, ſpiſſa, & enodi. fructus magnitudine Fabæ, qui ante maturitatem plures colores mutet, vti Vua: quidam cum ligno intus, quidam ſine ligno, melior, ex quo etiam vinum exprimitur: multæ frugis apud Lotophagos ab eo fructu appellatos: nam tuſus reconditur cum interiore nucleo. Aliam prēterea tradit fruticoſam, fructu Nuce obducto: parte externa minime carnoſo, ſed potius pelliculari. puto apud eundem Theophraſtum, Loti fructum, Dioſpyron appellari, quaſi Iouis triticum, non Iouis Flammam, vt Theodorus vertit. ſimilis eſt inquit Ceraſiis figura, ſed nucleo duriori, eſt album, & nigrum: puto autem à Tritico cognominatum, quia in panes cogebatur more tritici.

FINIS SECVNDI LIBRI.

ANDREAE CAESALPINI ARETINI

DE PLANTIS LIBER TERTIVS.

CAP. PRIMVM.

XPLICATIS hactenus iis arboribus, quarum semina ita sedent, vt eorum cor non in sede fructus, sed exterius vergat, reliquas nunc persequamur, quarum semina cor in inferiore parte habent, qua scilicet, aut pediculo fructus, aut conceptaculo nectuntur, maximè autem à supradictis diuersa est earũ natura; Nam in illis plures erant solitariis seminibus, in his è conuerso paucæ reperiuntur, quæ solitaria ferant semina, sed magna ex parte plura, aut in communi conceptaculo, aut in pluribus. Incipiamus autem ab iis, quibus nullus flos, aut in summo fructus parũ perspicuus existit. Ficus igitur arbor est iustæ magnitudinis: cortice leui, cinereo, quo inciso manat lacteus humor acris: materies carnosa, mollis: folia ampla, paucis sinibus excauata, aspera fructum in singulis foliorum alis singularem, in summo sessilem, iuxta pediculum pyramidalem, in quo exigua granula numerosa sedent in interna circumferentia, medio spatio inani: floris vestigium tantum in summo, qua etiam ostiolum patet in internam cauitatem. Fructus ipse in maturitate dulcis melleo succo, qui sæpe in floris ostiolo concrescit in lachrymam, tunica mollis, quæ in maturitate disrumpitur, nigra, vel subrubra, vel candicans ex viridi, aut flauescens. exsiccantur fructus in sole, aut furnis, vt toto anno asseruari possint, quas Caricas vocant. Plurimæ bis ferunt fructus: primum enim ante foliorum germinationem, in annotino surculo, qui grandiores sunt, & maturescunt circa solstitium, quos grossos vocant, deinde nouello ædito germine, alios ferunt minores, qui maturescunt autumno. Quædam tamen grossos tantum maturant, reliquos ferunt deciduos. Quædam vtrosque maturant. Quæ autem grossos tantum ex natura ferant deciduos, nõ vidimus: nam sæpe ob siccitatem, aut aliam iniuriam decidunt ante maturationem. Syluestre genus neutros maturat: Quędam singulis annis grossos ferunt: Quædam alternant: Aliquando visum est pręcedente vere valde sicco omnes ficus grossos tulisse, & ad maturitatem perduxisse. Differentiæ multæ extant, & earum varię appellationes apud

diuer-

diuersas gentes. Theophrastus similiter describit Sycen; id est Ficum simpliciter vocatum: caudice breui, contorto, paucis nodis: carnoso ligno, enerui, sed tamen robusto, si in rectum stans pondus sustineat, vt columna cortice leui: radicibus multis, & longis & obliquis, in longissimum aliquãdo spatium productis, si locum inanem & humectum assecutæ fuerint; folia ampla, laciniata & cruciformia, succo lacteo: semina congesta putamine inclusa, succo dulci: fructificat in nouellis surculis: plura producit; nam affert grossos pręciduos & caprificos, siquæ in ficos, caprificare consueuerunt: prouenit omnibus aliis modis præterquam ligno & surculo, ex semine autem degenerat in Caprificum, vel ficum sylueſtrem, & sæpe alio colore; nam ex nigra oritur candida, & ex candida aliquando nigra; Caprificus autem ficus fieri nequit; alicubi tamen pro ostento id visum est: De Caprifico scribit, mõribus propriã esse, germinare ineunte vere fructus non maturare, nec perficere, sed ex putredine in illis gigni paruos culices, qui alimenti gratia aduolantes alios Ficos petant, & crebro morsu aperiant eorum ora, quo fit vt superfluo humore consumpto, & ore ad aperto, fructus & magis perspirent & proprium humorem concoquant, nam alioqui grossos decidere, nec ad maturationem peruenire. huius igitur gratia, caprificos ficis appendere solere, vt culicum opera ficus tueantur, ne decidant, & maturentur; aut prope ficos caprificos conserunt, vt culices aduolare facile possint: in Italia autem non egere caprificatione: quia sponte ficus maturantur. laudantur potissimum caprifici nigræ, & locis ortæ saxosis: quia istæ per multa grana contineant. noscuntur, quæ aptæ culicibus emerserint, quod rubræ, & versicolores & robustæ constant, contra quę minus aptę, albæ sunt & imbecilles: vbi plurimus sit puluis, ibi plurimæ validissimæque caprificus exeunt: Ficarios culices deuorat quoddam bestiolarum genus, quod Vlmi folliculis innascitur: remedium, cancros alligare; nam in eos se vertere aiunt. In Ægypto Ficus non maturantur, nisi scalptis fructibus, oleoque perunctis: ex his manifestum est in Italia Ficos, aut alterius generis esse, aut ratione soli, & cęli aliquam differentiam acquirere, cum non egẽant caprificatione, nec adhuc sciatur Caprificos apud nos oriri, licet sylueſtres Ficus multæ sint. Plinius Ficorum multa affert cognomina, vel à figura, vel à gente, vel authore deriuata; Calcidicas; Lydias quæ purpureæ; Mammillanas, quę mammarum similitudinem habeant; Callistruthiæ parum sapore præstant, Ficorum omnium frigidissimæ Aphricanæ, quas multi præferunt cunctis, serendæ in loco crasso, & stercorato. Terina quasi delicata candicans est: Rodia, & Tiburtina inter pręcoces nigrescunt: Liuię: Pumperę: Mariscæ, & quas Harundinei folij macula variat: omnes sole siccatæ in annuos vsus aptissimæ sunt. Herculanea; Albicerata; Aratia; Alba, pediculo minimo

latissi-

latissima; Porphyritis longissimo pediculo primo prouenit. Popularis inter minimas & vilissimas: Chelidonia sub hyeme maturatur. Oma inter serotinas; cortice duro: sunt præterea eædem serotinæ, & pręcoces, bifere, alba, & nigra cum messe, vindemiaque maturescentes; omnibus mollis tactus; maturis frumenta intus; maturescentibus succus lacteus, percoctis melleus; senescunt in arbore; anusque distillant Ygummi modo lachrymam, siccanturque; laudatas recondunt, & obsonij, & panis vice, Cottanas, & Caricas, & Cauneas vocant; De Caprifico autem, è genere sylueſtrium transcribit ex Theophrasto, quæ dicta sunt, Difficile autem fuerit simul, & inutile, prædictas appellationes, nostris accomodare, vt Aphrycanas iis, quas vulgo Hętruria Brusciottos vocat inter nigras, Aratias, seu potius Auratias à colore aureo inter albas iis, quas quidam Citreas cognominant inter præcoces; nam post grossos primæ maturantur, sed de Ficis simpliciter vocatis hæc satis.

CAP. II.

AD Ficum reduci posse videtur peregrina arbor, quam Ficum Indicam vocant, ob quandam fructus similitudinem, licet planta non solum à Ficis, sed à cęteris quoque arboribus maximè differat. Tota enim arbor ex foliis inuicem insidentibus constat; sunt autem folia crassa valde, & carnosa, figura Clipei, oblongioris, aculeis paruis vndiq; armata quæ tempore incrassantur magis, & transeunt in lignosam substantiam, & caudicem, & ramos constituunt: prouenit facillimè folio, tanquam surcula; nam radices multas ex folio dimittit; germinat Vere in summis foliis, tria aut quatuor in singulis foliola erigens, aut fructus oblongos, paruis Cucumeribus similes; similiter aculeatos vt folia, quibus summis flos insidet luteus, in tres continentur semina in carne præhumida, vt in fructu Mandragoræ minora; sapor dulcis, sed ferinum quid præseferens, non multum in Italia adolescit; quia frigoris impatiens, vt plurimum periit ante perfectam magnitudinem. Affert Theophrastus non valdè absimilem Ficum Indicam; tradit enim arborem esse, mira magnitudine vt vmbram ad bina stadia facere dicatur, caudice crassissimo; folium habet amplissimum non minus Pelta, & præ copia nutrimenti radicum ab eius foliis dimissarum generatio videtur accedere; dimittit autem singulis annis radice è ramis non nouellis, sed anniculis atque etiam vetustioribus: illæ se tertæ coniungentes, ceu sepem circa arborem faciunt, veluti Tabernaculo constructo, sub quo morari homines, solent; totaque arbor fornicato ambitu, pulchre orbiculatur: radices autem nascentes euidentissimè à ramis discernuntur; sunt enim albiores, hirtæ, tortuosæque binaque fronde foliatæ:

cum autem mira magnitudine sit, fructum exiguũ ad modum, eundemq; paucum fert magnitudine Ciceris Ficus similem. Quatenus igitur inquit, cum de causis loquitur, ex foliis radices dimittere alibi autem ex ramis annotinis, significare videtur eius folia, in ramos transire. Quod pręterea tradit folia Peltæ, & fructum Fico similem licet exiguum, indicium est, nequaquam genere differre hanc ab ea, quàm descripsimus, non tamen in regione adeo peregrina, & frigida dimittere radices illas queat, neque ad magnitudinem propriam accedere, quamuis fructus sit maior. Eandem similiter Plinius describit adeo vastis ramis diffundi, vt præ pondere in terram curuentur: ibique annuo spatio insigantur, nouamq; sibi propaginem faciant circa parentem in orbes operè quodam Topiario, decora specie subter intuenti, proculue fornicato ambitu; superiores eiusdem rami in excelsum emicant, syluosa multitudine vasto matris corpore, foliorum, Latitudo Pelte Amazonicæ effigiẽ habet ea de causa fructum integẽs crescere prohibet, rarus quę est, nec fabę magnitudinẽ excedens. Describuntur ab iisdẽ alia genera Ficus, quatundam regionũ propria, quæ peregrinari nequeant, vt circa Idã fructicosa, crassa, contorta, lenta, nullo superius ramo, sed giro comato, colore liuido, tùm corticis, tùm foliorum, quæ figura, & magnitudinæ Tiliæ similia, mollia, & lata: flos Mespili: fructus ruffus, magnitudine Oliuæ, rotundior, gustu Mespilaceus, quem Ficum vocant. Plinius hanc Ideam, & ibi Alexandrinam vocari sine lacte, & cętera eadem, quæ Theophrastus. In Aegypto autem propriam Theophrastus sicaminem, id est Morum vocant, Moro similem folio, magnitudine, & aspectu; valde lactuosam; fructum fert non in germinibus, nec ramis; sed in caudice magnitudine Ficus, & visu proximum, succo, & sapore Caprificis similem, sed longè dulciorem, internis granis omnino carentem, qui numerosior maturescere nequit, nisi scalpatur: vnguibus enim ferreis scalptus quarta die, maturescit, eoquè ablato alius subnascitur similis, quod ter, & sæpius factitare affirmant: lignum cesum non siccatur nisi aquis submersum, donec ob leuitatem emergat. Plinius hanc Ficum Aegyptiam vocat similiter describens. Dioscorides Sicomorum appellari tradit eius fructum ob gustum, quendam ignauum, nasci etiã in Caria, & Rhodio. In Creta autem quædam Ficus Cypria vocatur caudice magno, Populo albæ simili; folio Vlmi: fructus similiter in caudice nascitur germinibus quibusdam ad nexus sine foliis, quater fructificat, toties germinat, sed nullum producit ad maturitatem, nisi pomo inciso emissoque lacte; dulcedo ficubus non ab similis, & interna grossis planè conueniunt; magnitudo autem Pruni est. Plinius magnitudinem sorbi tribuit, Dioscorides gigni in Cypro arborem genere distantem, quæ cum sit Vlmus, prędita tamen est foliis Sicomori, fructu Pruni magnitudine multo dulcio-

re

re Sicomoro, in cæteris simili. De Ficu igitur, & de iis, quæ ad Ficum reducuntur hoc satis.

CAP. III.

MORVS arbor est intorta; cortice aspero; ligno flauo, aliquando & Buxeo; foliis Fico minoribus, rotundioribusque, minusque sinuatis, sed serratis magis; in tenellis quoque germinibus lacteus inest succus, quamuis parcior, quam in Fico; non floret euidenter, sed fructus nascens binis squammis tegitur, quibus decidentibus, veluti flosculorum apices totis fructibus insident; Fructus vinosus, in aliis candidus, in aliis sanguineus, qui & maior & gustu suauior; constant veluti ex coagmentatis squamis pulposis, sub quibus semina Ficis similia continentur, vt videatur quasi Ficus inuersa: Nam in Ficu intra reconduntur, & flosculi, & apices, quibus grana sunt appensa, ventre quodam medio relicto: eadem in Moro exterius spectant, nullo cortice continente, vtpote qui in communem sedem internam abierit. Colitur hæc Arbor. solum ad alendum id genus erucarum: quod sericum gignit; non enim alia vescuntur fronde. Theophrastus nomine à Ficu deriuato Sycaminem vocat; materie spissa & lenta, valida, & facili in operibus, quæ vetustate nigrescit, vt Lotus; medulla quoque nigra & dura: tarde germinat & cito folia dimittit: Fructus paruus pro magnitudine arboris, læuis, ac dilutus, ex humore, & cute constans succo vinoso flos lanugineus totis fructibus insidet, quæ omnia nostrę Moro conueniunt. Plinius candidam, & nigram videtur eandem accepisse, cum inquit, Moris succus in carne vinosus, trini colores, candidus primo, mox rubens, maturis niger: in nouissimis florent; inter prima maturescunt: tingunt manus succo matura; eluunt acerba. Non aliæ in hac arbore differentiæ, quàm pomi magnitudine: sic enim differunt, Mora Ostiensia, & Tusculana. Romæ nascuntur, & in Rubis multum differente callo; quasi candida, quæ hodie frequentissima est, & optima ad sericum præstandum Peregrina quondam fuerit in Italia, vt etiam Bestiola, quæ eius frondis pastu sericum reddit: Nigræ folia, vtpote magis pulposa conueniunt adultis: sic enim serico pondus maius acquiritur & crassities. Quoniam vero Rubi quoque fructus Mora vocantur ob similitudinem, distinctionis gratia, arborem Morum excelsam vocant, vulgoque Gelsum.

CAP. IIII.

SAMBVCVS virgas multas fert à radice; ideo ad hortorum septa quæritur: crassatur in caudicem, qui vtraque manu comprehendi possit, aut paulo amplius: cortice albo, tenui; ligno duro; sed

medulla molli, fungosa, vt excauari possit instar Harundinis: folia multi partita, vt in Iuglande, tenuiora & serrata, odore graui, ex longis interuallis, quæ geniculi visuntur: mature germinat, cum tamen frigora patiatur; vmbellas fert latas, in alis foliorum molles; quibus flosculi insident candidi, odorati, quos placet panibus inspergere cum oleo, gratiam quoque aceto reddunt infusi. baccas in eisdem Rotundas fert paruas virentes, in maturitate nigras, vinoso succo tingentes: intus includuntur terna semina oblonga. Alterum genus in montibus reperitur vmbellis paruis, baccis rubentibus; Describit Theophrastus Artem idest Sambucum, iuxta aquas potissimum nascentem, qualem prædiximus, ex qua baculi fiunt leues; sed tamen robusti, cum siccati sunt, aquis inoffensi: radices agit summa tellure multas, nec grandes; folia Lauri latifoliæ serrata, multa ex communi pediculo, subruffa admodum, & fungosa: colorantur autem in Autunno tantum eius folia; vt Viti etiam contingit; flores minuti, & candidi redolent lirium, grauiter enim, fructum racematim, nigrum Eruo paulo maiorem, aspectu vinaceum, interna visa sesamacca continet. Dioscorides similiter describit. Plinius montanum quoq; videtur nouisse, cum in montibus etiam nasci tradat. Alia Sambucus apud nos in palustribus Pisanis nascitur, virgas ferens Sambuco similes: sed folia lata angulosa, vt Opuli, rugosa, longo pediculo, non multi partita, vt in Sambuco. Cacuminibus fert vmbellas, paruas, flore candido, foliato baccas depressas, in maturitate rubentes, quæ siccatæ, vuis passis similes sunt, cum dulcedinem austerę intus nuclei duo, similes semini Atriplicis compressi.

CAP. V.

HEDERA frutex est peculiarissimam sortitus naturam: non enim solum radicibus in terram dimissis viuit, sed & germinibus alimentum exugit, & arborum caudicibus, quas scandit; nam prę cisa iuxta terram, non emoritur tamen, nisi à totis caudicibus auellatur; frequentissimas enim, easque breues per tota germina radiculas. Centripedis animalis modo edit, quibus pertinacissime hęrens arbores suffocat, & ædificia (quamuis robusta) tandem demolitur; expetitur tamen viridariis; nam sponte nullo adminiculo totos parietes circumuestit, fronde perpetua exornans; ex cultu arborescit, caudice satis crasso, & ad magnam altitudinē latitudinemque distenditur, nisi desit, quod amplexetur. cum ad eam ætatem prope accesserit, in qua fructum ferre possit, quasi ex pueritia in virilem habitum transiens, totam mutat faciem, naturamque; nam per se erigitur nullum quęrens adminiculum, nixa nouis radicibus in parietum, & arborum caua demissis, vt aliquando nullum relinquatur coniunctionis vestigium cum repente Hedera, sed

omnino

omnino ſeparata à parente viuat; foliis quoque longè diuerſis veſtitur. Quamdiu enim affixa eſt, folia fert in plures angulos deſinentia, ad ſummum qui nos, quorum duo vtrinque prominent, vnus in ſummo folio: quo autem magis adoleſcit; Folia, & pauciores edunt, angulos obtuſioreſque, & ipſa maiora fiunt, ac virentiora, & vnicolora, cum ab initio eadem puſilla ſint, nigra, & maculis albis diſtincta aliquando inferne ſubrubentia; cum autem erigitur, folia rotundantur obliteratis ex toto vtrinque angulis omnibus, ſolo eo, qui in ſummo eſt, relicto; ſemper tamen dura ſunt folia & lenta, & in ſuperiori parte lęuia, pediculo longo adnexa flos lanuginosus totos fructus veſtiens: racematim in cacuminibus tantum baccæ rotundæ in maturitate nigrę, raro flauæ, quaterna, & quina ſemina ad ſummum continentes, rimoſa, tenui membrana obducta: circulus in ſumma bacca, qua floris veſtigium: differentias alias non ætatis, ſed generis adhuc non vidimus, quamuis Dioſcorides tria afferat genera candidam nigram ob baccarum colorem, & tertiam Helicem quaſi clauiculam ſterilem. Theophraſtus quoque, & Plinius eadem tria in alias plures differentias diſtribuunt, pro fructus magnitudine, ſapore, & colore, foliorum, ſed de Helice ambigit Theophraſtus, vtrum generis, an ætatis ſit differentia, vt multi putant, primo fieri Helicem, deinde vetuſtate in Hederam tranſire; appellant autem hederaſcere, & in Hederam tranſire, cum erigitur nullis affixa, quando, & ſimpliciora ſunt folia rotundioraque, cum in Helice ſint parua, angulata, & concinne diſpoſita ac ſine fructu: contendit Plinius eaſdem genere differre maximo ob foliorum varietatem in Helice. Quandam enim herbaceo folio virentique, aliam candido, tertiam verſicolori conſtare, quæ Thracia vocatur. eandem Dioſcorides tradit Rubro folio, quod nemo alius notauit; ſed non cogimur ob hæc Helicem genus diuerſum ponere cum in ea, quæ manifeſte hederaſcit, variam foliorum & germinum naturam contemplemur, quod in paucis aliis reperitur, vt notauit Theophraſtus: fit vero alicubi, vt Helix nunquam hedereſcat ob imperfectionem quandam, non ſpeciei, ſed indiuidui, vt in arboribus pleriſque accidit; ſed præter dicta genera eſſe, & humilē Hederam græcę Chamecißum, quam inter herbas recenſebimus, & rigentem Hederam, quę per ſe ſtat, ſine adminiculo, ob id ſola omnium generum vocata eſt, Ciſſos græcè id eſt Hedera, vt tradit Plinius, ſed hanc in Theophraſto non aliam intelligimus quam ætatis perfectę Hederam. Aequiuoce quoque, ob græci nominis ſimilitudinem Hederę nomen tranſit in Ciſtum, cui flos Roſę ſylueſtris inodorus, vt Plinius ſcribit ex Theophraſto, vbi Ciſſos legitur non Ciſtos, ſed de hac inter ſuffrutices agemus. Smilax quoque aſpera Hedera Cilicia cognominatur, de qua ſuo loco agendum, Hederę mira naturam traditur à Plinio ad experienda Vina, ſi vas fiet ex ligno eius, vina

tran-

transfluere, ac remanere aquam, si qua mixta fuerit. Theophrastus ignia-ria ex ea materia fieri testatur, quoniam calida.

CAP. VI.

AGRIFOLIVM frutex est; virgis virentibus; folio aculeato; figura Lauri, rotundiori, lateribus fimbriato, vt Ilicis, hæc per ætatem arborescens Hederę similis redditur, folio nequaquam fimbriato, nec pungente; flosculos candicantes iuxta folia gignit; baccas fert rubentes racematim circa ramos, carne modica, sub flaua constantes, & sub dulci; ossiculis intus tria aut quatuor oblonga striata, & depressa; perpetuo folio constat, ac læte virenti; ideo transfertur in Viridaria ex montibus, vbi gignitur. rustici, ex cortice radicum decocto viscum parant, hęc fortè Rigens erit Hedera apud Plinium.

CAP. VII.

VISCVM frutex est in alienis arboribus viuens præcipuè in Quercu, Cerro, ac Pino; Pluribus circa arborum ramos in orbem ad natis cubitalibus ramosisque, foliis veluti linguis binis in longo pediculo semper virentibus, baccas fert virides succo lento plenas, ex quo Viscum conficitur, bina intus semina continentur depressa, Theophrastus Viscum in Quercu, Ilice, Terebintho & aliis pluribus oriri scribit. Idem vero esse Hyphear apud Arcades, & Stelim apud Euboenses, sed in Pino, & Abiete: Alij autem differre etiam formis tradunt, & fructu, quamuis in eadem Arbore nascantur; aliud folio perpetuo constare; aliud deciduo; iis pro pabulo vtuntur, post messem boues, & iumenta, & pinguescunt. Oritur stercore auium confecto in eorum aluis, visco; semine autem puro cum excremento demisso, vnde pululat tanquam fimo adiuuante mirum autem quod in terra pupulare nequeat, & vt Plinius recenset, omnino satum nullo modo nascitur, nec nisi per aluum auium redditum, maxime palumbis, & turdis. Hæc est natura, vt nisi maturatum in ventre auium non proueniat. Altitudo eius non excedit cubitum, semper fructicosi, ac viridis mas fertilis, fęmina sterilis, aliquando non fert; Viscum fit ex acinis immaturis collectis in messe, de in siccatis, & aqua conditis, vt putrescant, duodenis fert diebus: iterum tradunt, & à corticibus carnem lentescentem separant, hoc est Viscum pennis auium tactu ligandis, sed oleo Iuglandis subactum, cum libeat insidias moliri. Druides in Gallia Magi nihil habent Visco & arbore, in qua gignitur, si modo sit Robur, sacratius. Dioscorides fruticem Buxeo folio constare scribit, ex cuius acinis in Quercu nascentibus, fit Viscum,

gigni

gigni etiam in Malo, Piro, & aliis plerisque arboribus. Hodie lignum Visci Quercini derasum Drachmæ pondere exhibent Pleuriticis ex aqua hordei, aut alia simili; nam sudore copioso ab orto dolorem sedat.

CAP. VIII.

LIGVSTRVM frutex est sepibus nascens; perpetua fronde; Foliis Oliuari figura, sed mollibus, viridibus, maioribus; Floret cacuminibus racematim, exili flore candido, & valde odorato; baccas fert nigras succosas; intus duo semina vel tria continentur: colitur etiam in hortis opere Topiario, & floris gratia: Dioscorides Cyprum vocat foliis Oleę latioribus, mollioribus, & viridioribus; flore candido, muscoso, odorato; Semine Sambuci, nigro, ex eius floribus vnguentum Cyprinum paratur. Plinius Cyprum arborem Aegyptiam scribit: foliis Ziziphi: semine Coriandri: flore candido odorato, quam putant quidam esse in Italia Ligustrum.

CAP. IX.

SIRINGA vulgo appellatur frutex, qui in Viridariis colitur floris tantum gratia, vix excedens bicubitalem altitudinem: cortice albo: foliis coniugatim per interualla, Vlmi minus rugosis, & neruis, in longitudinem discurrentibus, vt in Plantagine: flores fert candidos, valde odoratos: ex quatuor foliis constantes paruæ Rosæ magnitudine, tres aut quatuor in vno pediculo summis fructibus insidentes: fructus est cutaneus Rosæ similis; sed breuior, ac tenuior in quatuor barbulas desinens; intus semina dura, & farcta, tria aut quatuor.

CAP. X.

ROSA frutex est infirmus & cito senescens, nisi recidatur, vt cum Suffruticibus ambigere videatur: Ideo Theophrastus modo inter Suffrutices, modo inter Frutices numerat: ramis hospidis frequentibus, aculeis non rectis, sed modice recuruis, vt in Rubo: foliis subrotundis circum serratis pluribus in vno pediculo, dispositis vt in Fraxino: florem iucundissimum fert, nomine sui fruticis: foliatum, & latisfoliis, in medio stamina sunt luteis apicibus, quem proprie Rosæ florem vocant: foliorum color aliis rubens, aliis candidus, aliis candor inest rubore aspersus, qui proprie roseus, & carneus vocatur, aliis Pallidus. Differentia quoque est ex numero foliorum, magnitudine, & odore, comitante quoque aliqua fruticis differentia, pro magnitudine, & par

uitate,

uitate, asperitate, & leuitate. Quæ igitur roseo colore est, nascitur in frutice valde hispido, quaterna cubita excedente, primo floret inter cæteras: campanam videtur appellare Plinius, quæ præcox est, & Trachiniam minus rubentem: Rosam fert multis foliis constantē amplam odore iucundissimo, ex hac colligitur aqua per distillationem odoratissima; Medici quoque oleo infundentes rosaceum componunt: succus ex iisdem & infusio, ad purgationes paratur: Theophrastus plurimis quina folia esse, quibusdam duodena, vicenaq;, aliis longe plura: sunt enim quas centifolias vocant, sed folia interna parua admodum sunt non iucundi odoris, nec amplæ magnitudinis: odoratiores inter amplas, quibus pars ima scabra: quamuis locorum ratione & odoris, & coloris, prę stantia contingat. seritur optimè caule conciso, nascitur etiam semine, sed tardius quod flori subditum suo in Malo contentum Cnico simile, aut acanaceis lanugine quadam obductum gerit, recisa, & vsta florem melius profert, relicta autem excrescit, & sylvescit: ideo sępius transferre melius est. sic enim Rosam effundi pulchriorem, sylvestres asperiores tum virgis, tum foliis constat, & florem minus odoratum ferunt, minusq; coloratum, & minorem, hæc Theophrastus de omnibus Rosis. Apud nos, præter carneam Rosam, quędam rubens est multifolia, minus tamen quam carnea, & latior minime amara ideo sine vi purgandi: conditur saccaro ad astringendum roborandumque. Oritur hæc in breui frutice, vix cubitum excedente, & aculeis infirmioribus, constat calyce scabro, sericis floret, odore iucundo sed exili. hanc Plinius Milesiam vocat, colore ardentissimo, quæ non excedit duodecim folia, seraque est. alia apud nos huic similis inter peregrinas visitur, colore magis diluto, accedente ad carneam, latissimis foliis, pluribusque in se conuolutis, vt explicari nequeant, odoratior rubente. Eius frutex similiter paruus est, & solus spinis caret. hanc Græculam videtur Plinius appellasse, conuolutis foliorum paniculis, neque dehiscentem nisi manu coactū, semperq; nascenti similem, latissimis foliis. quarta candida maxime omnium numeroso folio constat, sed paruo, odore valde exili, floret cum rubente, in frutice quoque simili. Plinius hanc Alabandicam vocat, viliorem albicantibus foliis: & Spermoniam plurimis foliis, sed minutissimis, vilissimum non multo odoratam; Quę ex translatione in Campanica & circa Philippos adeo profecit, vt latissima, & maxima folia prouenerint, non tamen odoratissima, quàm Centifoliam vocant; Muscatula apud nos appellatur, ob odoris excellentiam, sed quæ opere Topiario colitur; caudice cæteris crassiore: ramis longissimis: aculeis rarioribus. Rosa parua ex quinque foliis constans candidis, multis, intus floccis, puluisculum luteum, fundentibus amarior hæc & maiorem vini pugnandi habet: tardissime floret, & prędurat vsque in autumnum, in hoc genere

quædam

quædam reperitur multifolia, forte Præneſtina apud Plinium, quæ celebratiſſima, nouiſſime deſinit. Sylueſtris in ſepibus ſponte naſcitur, virgis prælongis, rubo ſimilibus fert paruam Roſam non excedentem quinque folia, colore albo, aut ſubrubente, exili odore: altiores virgæ, & ſpinoſiores ſunt, quibus ſubrubentes Roſæ, humiliores quibus albæ in ramis vtriuſque ſæpe viſuntur ſpongiolæ, villoſæ, quibus magna uis ad calculum frangendum potu, & capillum nutriendum in vnctione; Dioſcorides eandem Cynosbaton appellat, quaſi rubum Caninum; nam rubo ſimilis multo amplior, arboreus; folia tenuiora, quam Roſæ, Latiora quam Myrthi: Aculei Robuſti circa virgas: flos albus: fructus oblongus, nucleis Oliuarum ſimilis, in maturitate rubens: lanea intus natura, ſemina complectens anguloſa, & alba, vt in cęteris Roſis. Theophraſtus inter Rubos tertium genus deſcribit Synosbaton fructu ſubrubente ſimili Malo Punico, inter fruticem & arborem Punicę non abſimilem: folio Viticis: fructus colligendus auerſo flatu, alioqui periculum oculis imminere, Theodorus aliquando Caninam ſetem vertit. Plinius modo Cynorodon, modo Synosbaton vocat, videturque aliam intelligere: nam de Cynorodo inquit, radicem sylueſtris Roſæ, quàm Cynorodon vocant, ſomnio oſtenſam, valere ad morſum canis rabidi, in lacte bibitam, etiam cum aquas incipiunt expaueſcere, ſpongiolæ, quæ in medij ſecus ſpinis naſcuntur, cinere cum melle alapecias explent, alibi inter Rubos inquit, Alterum genus Rubi eſt, in quo Roſa naſcitur, gignit pilulam Caſtaneæ ſimilem præcipuo remedio calculoſis, vbi per pilulam Caſtaneæ ſimilem videtur ſpongiolam intelligere villoſam, Echino Caſtaneæ ſimilem. alibi de eodem ſcribit, aliud genus Rubi, Roſe ſimilitudine, qui vocatur Cynosbatos, alibi inter Roſas coroneolam vocat in Rubo natam, iucundi odoris, quamuis anguſti, licet alteram coroneolam ſcribat media magnitudine: autumnalem ſine odore: ſed aliam intelligit Cynosbatum, quæ & Cynosbatos vocatur, folio veſtigio hominis ſimili: fert vuam nigram, in cuius acino neruum habet, quæ hactenus incomperta eſt, Capparis quoque Cynosbatos vocari traditur ab eodem: ſunt & Roſæ luteæ quinque foliis conſtantes, vt sylueſtres latiore tamen: odore ingrato, frutex, & folia ſimilia sylueſtri. Plinius alteram Græculam vocat, Pallidam, Spinoſam, longiſſimis virgis quinque folium. Addit autem Plinius alia genera, vt Gręcam, quæ Lychnis vocatur à Grecis non excedens quinque folia, Violæ Magnitudine: odore nullo, in humidis naſcens, & Moſcetuon à caule Maluaceo, ſed eæ æquinocè potius Roſæ appellatæ ſunt, alio loco explicandæ.

CAP. XI.

RVBVS frutex est vbique proueniens, virgas ferens longas, & infirmas, inclinatas ad terram, colore subrubente aculeis frequentibus aduncis, vt in Rosa, præsertim sylueſtri: folia fert in vno pediculo terna, vel quina, latiora, asperioraque quam Rosa, nigricantia: floret in summis Ramulis, tanquam in racemulo quodam raro: flores longe minores, quàm in Rosa sylueſtri, candidi aut subrubentes sedent, in inferna parte: fructus, qui Moro similis dum maturatur, rubescit, tandem niger fit, succo vinoso, ex austero dulci, Rubi Morum appellatur, in hoc igitur singulis seminibus pericarpij succus datus est, in Mali Punici granis, nullo externo cortice præter florem, & floris inuolucrum, quod in Rosæ fructu, & Punico nunquam abscedit: sed in fructus corticem, aut pericarpium abit: vnde flos in summo insidet in iis; in Rubo autem circa sedem: Eius tres differentias nouimus, vnum, qualem descripsimus, sępibus idoneum: alterum humilius, fructu paruo, sed grauioribus acinis, duobus aut tribus, aliquando vnicis, suauiori succo, in humidis nascens: tertium montibus proprium, infirmis spinis, iisque paucis, & breuibus, quæ facile decidant: foliis oblongioribus, & in acutum desinentibus, inferne candidis: fructus alioqui similis excelsiori Rubo, sed in maturitate rubescit tantum, non nigrescit, sapore acido, gustui grato, in Alpibus Ampomelas vocant. Theophrastus Rubum, qui græce Batos dicitur, spinosum tradit non solum ramis, sed & foliis cunctis, folia in extremo & lateribus sinuata, perpetua alicubi in aquis nasci, esse autem plura genera, sed maxima inter se discrimine distantia: quadam enim erectam, & excelsam esse aliam quæ propeà terra, & protinus deorsum vergit, cumque se terræ coniunxerit, rursus radicat, quem quidam appellant. Esse Humirubum præterea Cani Rubum græce Cynosbaton vocatum, de quo diximus in Rosa. Videtur autem per excelsam Rubum nostram significare. Humirubus autem inter plantas humilioris naturæ recensenda est, quę à nobis Fragaria appellatur; Nullum enim genus Rubi nostri eo modo radicat. Dioscorides duo genera tradit, Rubum vulgaris notitiæ, alterum Ideum: quoniam in Ida copiose prouenit, longe tenerior priore, & minoribus spinis quanquam, & sine spinis inueniatur, quæ conditiones satis conueniunt, nostro montano Ampomelas ferenti. Plinius Rubi inquit Mora ferunt, & alio genere, Cynosbatos similitudinem Rosæ, Tertium genus Ideum tenuius est, quàm cætera, minoribusque spinis, & minus aduncis.

CAP. XII.

VVA ſpina vulgo appellatur frutex breuis, qui in hortis colitur: frequentibus virgis, cubito altioribus, aculeis rectis ternis per interualla folia laciniata, quaſi Appij, aut Vitis: floſculi inter folia ſubcandidis ſummis fructibus inſidentes: fructus rotundi, acinis vuæ ſimiles, ſubhirſuti, in maturitate ex viridi flaueſcentes, ſeminibus intus paruis: matureſcunt æſtate incipiente in ſaporem dulcem, & pinguem cum antea auſteri eſſent vuæ acerbæ modo. Aluis frutex in Alpibus, naſcitur prædicto ſimilis, ſed nullis ſpinis, vulgo Rhibes vocatur: folio latiore: fructu in maturitate rubente: ſapore acido, quo Medici vtuntur ad febrium ardores. Serapio aliam videtur intelligere hoc nomine Ribes: inquit enim folia inſunt lata, rotunda, & viridia, fert capreolos nuper prodeuntes colore è rubro in uiridem langueſcentem: fructum ſubacidum: aſſumi autem ſuccum è capreolis, ac fructu ad febricum ardores. nam acidus vtrique. At planta, quam deſcripſimus, capreolis caret. forte intellexit Creſpini noſtri tenella germina, rubeſcentia, & acida. eſt autem Creſpinus, qui à quibuſdam Berberis vocatur, frutex ſpinoſus, virgis bicubitalibus, rectis; tenui cortice, alboquè; foliis ſubrotundis, in ambitu ſerratis, Ilicis modo, angulis acutiſſimis; ſed nequaquam pungentibus: ſub ſingulis foliis tres aculei recti ac firmi acutiſſimi, quæ ſunt, nouella tamen germina aculeis carent, quę dum tenella ſunt cum ſuis foliis ex viridi ſubrubentibus guſtui grata ſunt ob aciditatem: floſculi ſunt pallidi in racemulis, è quibus rari fructus pendent, oblongi & rubentes; magnitudine grani Punici, ſapore auſtero acidoque, intus vnum aut duo ſemina nigra continentur oblonga, nullo oſſe, oritur in Alpibus. Alius eſt frutex Ribi ſimilis, ſed fructu nigro Piperi ſimili, & acri, quod Piper vocant, peregrina planta. Hanc forte intellexit Plinius, cum inquit Piperis arborem, iam etiam habet Italia, maiorem Myrtho, nec abſimilem, amaritudo grano eadem, quæ Piperi Muſteo creditur eſſe, deeſt coſta illa maturitas, ideoque, & rugarum, colorisque ſimilitudo.

CAP. XIII.

OXYACANTHA, quàm aliqui vulgo Prunum album vocat, arbor eſt in ſæpibus naſcens, cortice, ligno, ac foliis Azarolo ſimilis: ideo Azarolus ſylueſtris vocari poſſit: nam & eius inſitiones optime recipit: ſed minor, ac valde ſpinoſa: floſculos fert candicantes, longuiſculo pediculo, fructus ſimiles, ſed paruos fere

Myrthi magnitudine, rubentes: pulpa intus flaua, minus suaui: osse ob fructus paruitatem vnico, & grandiusculo, diutius seruantur in arbore fructus per hyemem, postquam folia deciderint: hanc Plinius videtur tertium genus Mespili appellasse, cum inquit: degenerat, tam & si Antedoni similius est, quod Gallicum vocant. Theophrastus græce Anthenoidem vocat, quasi specie Anthedonis: vtrique lignum spissius est, & flauius, solidum, nullam sentiens putredinem. hanc eandem Dioscorides, Oxyacantham, quasi acutam spinam vocat, & Pyrinam, seu Pyricantham, Pirastro similem, minorem, & valde spinosam: fructum Myrtho æqualem, in maturitate Rubrum friabilem intus nucleum habentem, radicem Multifidam, & profundam sed alia est Oxyacantha apud Theophrastum, vt patet in Lycio.

CAP. XIIII.

AZAROLVS vulgo dicitur arbor iustæ magnitudinis: caudice candicante: ligno intus flauo: folia fert in extremis, scissa, quasi Apij: fructum paulo minorem Mespilo, paruo quodam vmbiculo flauescentẽ, cum quadã rubedine odoratum, cũ dulcedine austerum. tria intus osficula continet subrotunda: maturescit autunno incipiente: apud Theophrastum, & Plinium Anthedon vocatur: minori fructu quàm Satanea, sed qui odore præstet, & gustu astringentior sit, ac diutius asseruari possit. Arbor magnitudine excellit, eidem folia sunt fissa, quæ parte postrema Apium imitantur, amplioribus scissuris distensa, neruata, Appio tenuiora, & longiora, longo, & tenui pediculo: vehementer rubescunt: antequam decidant: radit alta, & numerosa, ideo inexplicabilis. Dioscorides Aronam, in genere Mespili à nonnullis vocari tradit, spinosam arborem, folio Pyracanthę, fert pomum suaue, exiguo malo, non dissimile, tribus intus osficulis: vnde nonnulli Tricaceum appellauere. Nostra tamen vtpote magis domestica, spinis caret, vt testatur quoque Theophrastus, vbi de Sorbo loquens inquit, tam Sorbum, quàm Mespilum aculeis carere, quod quidem huic generi conuenit non vulgari Mespilo.

CAP. XV.

MESPILVS arbuscula est ramis in latitudinem sparsis, spinosisque: cortice subruffo: foliis Lauri longioribus, angustioribus: fructu rotundo amplitudine parui Mali, exterius fuluo, interius albo, resimo vmbilicum circundantibus quinque barbulis, quæ florem tegebant ex ruffo pallescentem: intra pulpam quinque

osſicula continentur depreſſa : ſero matureſcit hyemem attingens, ſapor cum auſtero dulcis : Theophraſtus & Plinius, cum tria genera faciant Meſpili. hanc Setaniam, ſeu Sataniam vocant, grandiore fructu, albidiore ſolutiore : ligno intus molliori : Dioſcorides in Italia naſci Setaneam, quàm aliqui Epimelida vocant : foliis Mali ſed minoribus : pomo rotundo, eſui, apto : latiore vmbilico, quod aſtringit, ſeroque matureſcit.

CAP. XVI.

LYCIVM in Italia arbuſcula eſt aculeis acutiſſimis armata : cortice læui, ſubfuluo, ſed interius pallido : foliis Buxo longioribus, in ambitu, ſerratis perpetuis : flores in cacuminibus racematim inſunt candicantes, baccas autem fert Myrtho minores in maturitate croceas, ſaturato colore, guſtu inſuaues : nucleis intus duobus, aut tribus : perdurant autem hę in multam hyemem vt Oxyacantha : oritur locis humectis, & incultis, Dioſcorides Pyxacantham quoque appellari teſtatur, ob ſimilitudinem cum Buxo : arborem ſpinoſam : ramis tricubitatibus, amplioribus, foliis Buxi denſis : fructum fert Piperis, melinum, ideſt luteum (vbi loco huius μήλινον legitur μέλαινα : id eſt nigrum, denſum, amarum, leuem corticem aut pallidum, referentem Licij medicamenti colorem, cum ſoluitur : radices multas, obliquas, & lignoſas habet : amat loca aſpera, eſt autem Lycium medicamentum, ſuccus expreſſus, & denſatus, vel ex fructibus vel ex radicibus, ramiſque tuſis, decoctiſque, colore exterius nigro, interius ruſſo, & croceum reddente, quale optimum, quod ex India afferebatur morbis oculorum præſtantiſſimum. Plinius eadem fere ex Dioſcoride tranſcribit. Apud Theophraſtum Pyxacanthæ, ſeu Lycij nomen non reperitur, videtur autem hanc intellexiſſe ſub nomine Oxyacanthi, ideſt acutæ ſpinæ inquiens : eam perpetuo virere : in plana deſcendere, geminare ineunte vere : fructum reddere poſt Vergiliarum occaſum, eiuſdem fructum inter ſylueſtria recipi in coronis. nam hæc perpetue ſcilicet virere, & fructum in coronas expeti : nequaquam ſylueſtri Azarolo conueniunt : illa enim ſparſos gerit fructus inter ſpinas, hæc racematim totis fere ramis onuſtis fert colore elegantiſſimo. Recentiores aliud genus Lycij confici præcipiunt ex Caprifolio, quàm & Matrisyluam appellant, de qua alibi dicitur.

CAP. XVII.

SPINA Cernalis vulgo appellatur arbuſcula in paluſtribus, Pruno ſimilis, aculeis rectis, longis, & raris : ſed foliis, & floſculis Sileri ſimilis eſt: floſculos habet magis herbaceos, baccas nigras, Myrthi

ma-

magnitudine, pulpa intus viridi, qua pictores vtuntur, eadem saccharo condita aut melle aluum purgat: semina intus, aut tria, aut etiam quatuor continentur.

CAP. XVIII.

SEQVVNTVR, quæ florem non in summo fructus, sed in sede habent, ac plura semina in communi conceptaculo. Inter hæc Vitis ambigit inter arbores, & frutices: caudice infirmo, & intorto, vt sine adminiculo per se sustineri nequeat: cortice aspero, & nigro, fibrosoque: germina edit longissima, quæ clauiculis quasi manibus vicinas arbores amplectuntur, & scandunt, ideo breui tempore ad magnam altitudinem crescit, & nisi crebra amputatione coerceatur, multitudine Viticularum luxurians sylvescit: folia fert ampla, varie laciniata, vt Ficus, quos Parapinos vocant: flosculosos paruos, & candidos, vt Olea: racemos ingentes, onustos suis granis, quę Vua appellatur, vnde vina vice diuini nectaris pro hominum potu habentur, alba, flaua, rubra, vel nigra, dulcia vel austera, odorifera, multum spiritus æterei participātia, pro varia vuarum differentia in iis semina tria continentur, oblonga, quę vinaria vocantur. Vites ex arboris quidem specie non differunt euidenter: sed pro vuarum colore magnitudine, & sapore multum, maxime autem ex vinorum varietate, multum ad hoc conferente Soli, & Cęli statu: adeo vt terrarum qualitates, & adiacentium herbarum vina redoleant. idcirco Vites in saxosis, & tofaceis satæ, & procul a fimo, cæterisque male olentibus sincerissima reddunt vina, & gustui gratissima, salubrissimaque. Ex Theophrasto hæc habentur, Vitis corticem speciem radicis habere, neruosum, macilentum, tunicis multiplicem, quem auferunt cultores: medullam carnosam: materiem lentam: radices tenues, sobolem sursum versus procreantes, ideo euellendas, quæ in summa tellure sunt: folia ampla, aliquatenus fissa, longo pediculo propendentia, & tremula ex neruulo, & cortice, & carne constantia: frutificare ex nouellis surculis: florem lanugineum amplectentem fructum: nam decidunt perforati: fructum congestum: succum vinosum. Ex semine natam degenerare, vt pro nobili ignobilis, & sæpe sylvestris oriatur, adeo vt quædam fructum non maturet, quædam eundem non compleat, sed ad florem vsque perducat. Dioscorides sylvestris fructum si ad maturitatem proueniat, paruum esse, & nigrum, & astringentem. Plinius Labruscam vocat ipsam Vitem sylvestrem, & quandam albam esse testatur, cum dicit Agnanthem ex alba Labrusca prestantiorem esse quam è nigra est autem Agnanthe, vt idem inquit Vitis Lambrusce vua, quæ cum flore colligitur, quando optime olet, vel, vt Dioscorides, eiusdem fructus

flore-

floreſcens, ideſt racemi flore onuſti, qui à Medicis expetuntur, ad ventriculum roborandum, quamuis etiam herba quædam Ocnanthe appelletur alibi explicanda. Alia quoque traditur Vitis Sylueſtris, & Vitis alba, ac nigra, de quibus inter Infrutices agemus.

CAP. XIX.

ARBVTVS in montibus tantum naſcitur: arbor non magna: cortice ruſſo, & fibroſo, quale in Scopa: materie dura, & ruſſa: folia fert Lauri, paulo anguſtiora, longioraque, vndique ſerrata, perpetua: floſculos in racemulis fert concauos, & candidos in ſummis ramulis circa vtrumque Solſtitium: fructus rotundos, aſpera ſuperficie, in maturitate ex croceo rubentes, pulpa intus flaua, quæ in medio mollior eſt: circam ipſam ſemina ratiuſcule diſpoſita ſunt, parua, oblonga, nigricantia, leuia, exterius pro cortice circumducitur pulpa aſperior, oſſiculis multis inſpiſſata: incipit matureſcere in autunno, & perdurat in multam hyemem, quando iterum floret. huius arboris differentias conſpicuas, nequaquam animaduertimus, præter modicam quandam in fructu: nam quidam parui Mali amplitudinem implet rubore magis nigricante: mollior & ſuauior in mediterraneis proueniens: quidam Auellanæ magnitudinem non excedit, flauior & aſperior, in maritimis tractibus magis: Theophraſtus tria habet nomina, quaſi tres eius ſint ſpecies: Comaron, quàm Arbutum interpretantur: Neleam, quàm Latine Vnedonem, quia vno edito ob igniauiam in guſtu, negligitur, vt Plinius ſcribit: Tertiam Andrachnem, quod Portulacę herbę nomen eſt. Theodorus Adrachnem legit ex Plinio, & Potulacam interpretatur. omnibus cortex cadit: folia perpetuè virent. Arbutus eſt, quę pomum cibo idoneum fert: magnitudine non multum præſtat: corticem tenuem Tamarici ſimilem: folium inter Ilicem & Laurum: floret menſe Pyaneptione, quem male Iulium interpretantur, cum potius Nouember ſit, aut October: flores concaui ore aperto, vt ouum excalptum, racematim cohęrent, qui cum deciderint, perforati reperiuntur, remanente fructu, inſtar verticilli circa fuſum: fructus anno integro matureſcit, vt ſimul hunc haberi, & alterum florere contingat: carbones optimos facit, quippe ſolidiſſimos, vtiles ad argentum excoquendum. Videtur autem intelligere, eam, quæ fructum maiuſculum ferat, & guſtui gratiorem. Potulaca autem folio Arbuti, vel Mali Medicæ: cortice albo circumrumpi ſolito, quo in orbem detracto non interit, etiam ſi tàm internus, quàm externus detrahatur: lignum mulieribus ad opus textorium vtile: montibus propria, germinare incipit cum Vrbanis: fructus Arbuto ſimilis: maturatur primus, cum Vua dulceſcit, poſterior, cum floret:

ret: bis enim frutifera est hyeme incipiente. hæc omnia nostrę conuenirent præter corticis albedinem. Vnedonem autem priuatim non describit. Plinius Vnedonem alio nomine Arbutum vocari, arborem fruticosam, cuius pomum terrestribus Fragis simile, sed inhonorum; anno maturescit, pariterque floret, subnascens cum aliud coquitur: hoc duobus nominibus gręci vocant, Comaron, & Memecylon, ex quo apparet totidem esse genera. Dioscorides tamen tanquam vnicum Comaron quidem ipsam arborē vocat: Memecylon autem ipsum fructum. de Adrachne autem inquit arborem in Græcia esse syluestrem, non in planis, similem Vnedoni, folio tantum minore, & nunquam decidente: cortice nec scabro quidem, sed qui circumgelatus videri possit, tam tristis aspectu est.

CAP. XX.

SCOPA, frutex est in incultis & aridis copiosissimus: intortis ramis: cortice ruffo, ac deciduo, vt Arbutus: ligno durissimo, ac subrubente: radicibus tuberosis, & inæqualibus: foliolis tenuissimis, vt Myrica, perpetuis: flosculi sunt arentes circa summos surculos, tanquam in spica, concaui, vt in Arbuto, sed exiliores valde, albi aut purpurascentes, in quibus aridum semen continetur tanquam in folliculo, minutissimum, asperumque, eius differentiæ plures: nam quædam flosculos in quatuor particulas diffectos fert: quædam tanquam minuta granula habet, virentia, quæ nequaquam dehiscunt: frutice quoque distant, magnitudine, & paruitate, & inter eas, quædam ramos humi stratos fert circa stagna marittima. Dioscorides Ericam vocat, fruticosam arborem, Myricę similem longe minorem, cuius flore apes improbum mel efficiunt. Theophrastus inter frutices numerat, qui cacuminibus fructum ferunt. Plinius fruticem non multum à Myrica differentem colore Rorismarini, & penè folio: in Autunno sola floret in syluis, & plurima est ab Aequinoctio, Autunni vsque in occasum Virgiliarum, ideo mel eo tempore improbū fit arenoso simile, quod Ericęum vocant.

CAP. XXI.

ERMELLINVS, arbor est peregrina: non parua: cortice subcandido & lęui, materie alba corde nigrescente, adeo vt quidam Guaiacci lignum esse putauerint: folia fert Citri angustiora, & candidiora, mollia, decidua: flosculos racematim surculis hærentes, concauos Arbuto similes, sed ex candido pallescentes, ac minores: fructus orbiculatos sine pediculo hęrentes vmbilicis quibusdam, magnitudine Arbuti tenuioris, sed lęui superficie, colore fuluo, seminibus intus sex

oblongis

oblongis cartilagineis, circa medium dispositis, sepiente pulpa; maturescunt hyeme incipiente, sapore glutinoso, dulci, & austero, Ermellina vocant in Hetruria. floret æstate incipiente. Quid si apud Plinium dicamus inter Mala, esse Tuberum alterum genus, quod Sericum cognominatum est à calore? peregrinum in Italia: arbor aggeribus præcipue decora, Quoniam & in tecta iam syluæ scandunt. fructus baccis similiores, quam Malis. Galenus Serica ab insolentibus tantum, & Effrenatis pueris, ac mulieribus cibo expeti testatur: Exiguum præbere alimentum. difficile concoqui, stomacho inutilia.

CAP. XXII.

GVAIACVM lignum ex India Occidentali primum aduehi cœpit, vbi Guaiacam appellant: oriri testantur in insula Sancti Dominici, ex quo loco Christophorus Columbus, cum viros & mulieres in Italiam duxisset, ferunt simul & Luem, quam inibi Buuam appellant eius regionis familiarem tulisse, qui postea Morbus Gallicus appellatus est; vnde contingit ex eodem loco remedium quoque aduectum esse. Sunt autem caudices crassi, quorum maximi virilem crassitudinem non excedunt, minimi vero crura hominis æquant: ligno densissimo, in ambitu albo, vel potius flauescente; in medio, qua cor, nigro, Ebeni formæ similitudine, resinoso, sapor inest non insuauis, sub amarus, cortex crassus, coloris cinerei scaber, similitudine quadam Buxi, gustu amarior ligno. Hyspani referunt arborem magnam Ilicis magnitudine, multis ramis, cortice crasso, gummoso, qui sponte abscedit à corpore, cum siccatur, amplo corde ad nigrum tendente; tota materie valde dura, vt Ebani atque etiam magis: folio paruo, duro; singulis annis flores ferre luteos, è quibus fructus emergit, rotundus & solidus, semina intus continens magnitudine Mespili. Alterum genus in Insula Sancti Ioannis, supradicto simile, sed caudice, & ramis tenuioribus; nullo intus corde, aut paruo qui in trunco est, non in ramis: hoc genus odoratius esse & amarius, & efficacius in sanando morbo Gallico; Idcirco Lignum Sanctum vocant, quod Guaiaco præfertur: Guaiacum postea in Orientalibus repertum esse testantur, magnitudine Fraxini: foliis Plantaginis breuibus ac duris: floribus luteis: fructu Iuglandis magnitudine, qui esu aluum subducit: cortice annosis quidem nigro, iuuenibus vero subrutilo: vsus autem, tum Guaiaci, tum Ligni Sancti, & corticis apud Indos traditur, non solum ad prædictam luem sanandam, & ex toto extirpandam: præceteris aliis remediis proprietate quadam Naturæ, sed etiam ad plerosque morbos antiquos, ab humore frigido, prouenientes, qui cæteris remediis tolli non potuerunt; vtun

tur autem simplici decocto in aqua nullo alio admixto: Quamuis enim multi varia immiscentes vsi sint satis fœlici successu, tamen experientia compertum ferunt, longe fęlicius egisse, qui simplici decocto vsi fuere, quasi proprietas substantię diuersarum rerum mixtione hebetescat: Vim habet calefaciendi & exsiccandi mediocriter tamen: at intime in partes solidas & osseas peruadens abstergit, & sudorem prouocat. placet autem modum pręscribere, quem Indi obseruant in tradenda eius ligni aqua. Assumunt ligni tornoderasi libram vnam, corticis eiusdem comminuti vncias duas, aquę fontanæ aut alterius optimæ libras duodecim, ponunt omnia in olla noua, vt per horas vigintiquatuor infundantur, obturata diligenter olla, coquunt postea carbonibus prius ignitis, ne fumus attingat, lento igne, donec absumantur octo libræ, relinquantur autem quatuor, quod mensura prius designata cognoscunt baculo intromisso: cum refrixerit colant, & asseruant vitreo vase. Iterum eidem ligno semel decocto affundunt aquæ libras sexdecim coquuntque, donec absumantur librę quatuor, relinquantur autem duodecim, quam refrigeratam & percolatam seruant seorsum. Æger igitur præpurgatus Thalamum ingredi pręcipitur, in quo maneat tutus à frigore, & aëre externo, & matutino tempore, assumat aquæ prius decoctæ vncias decem, quæ sit admodum calens, & confestim stragulis optime se operiat, vt sudor eliciatur saltem spacio duarum horarum, inde sudore absterso induat linteum calidum & reliquas vestes, ab hinc quatuor horis commedat Vuas passas, Amygdalas, & panem biscoctum mediocri quantitate, ac bibat aquæ secundariæ, quantum sufficiat ad sitim arcendam, etiam interdiu cum opus fuerit. post prandium hora octaua iterum in lecto assumat aquæ calentis primæ vncias decem, eademque obseruet, quæ sudoris eliciendi gratia dicta sunt, & postquam duabus horis sudauerit, absterseritq; sudorem, induat calefactas vestes, & interuallo vnius hore, postquam sudauerit, in cęna vescatur iisdem cibis, & potet de aqua secunda, vt in prandio dictum est, & hæc omnia præstet quindecim diebus continuis, si vires robustæ fuerint; si vero debiles, vt eam victus rationem perferre nequeant, incipiat nona die pullum paruum assatum comedere, vel etiam statim ab initio si valde imbecilles fuerint. Decima sexta die iterum purgetur ex sola Casiæ pulpa pondere Drachmarum decem, qua die abstineat à potione aquę primæ, sed de secunda tantum bibat; altera die à purgatione reuertatur ad potiones aquæ primæ sudorificæ, vt prædictum est, assumatque viginti diebus continuis: in cibo autem dimidium pulli assati, & circa finem amplius; semper autem in potu vtatur aqua secundaria, conceditur hoc tempore, vt assurgat vestibus optime indutus, non tamen, e Thalamo egrediatur, & in fine iterum purgetur, quibus omnibus per actis ad cibaria consueta se transferat, sed

per

per quatraginta alios dies cibis optimi succi vtatur, in potu autem aqua secunda, aut alterius generis, vt incocto Aniso vel Feniculo; abstineat autem à vino à Venere, & cęna sit parcior, absquè carnis esu: hunc meliorem ac magis tutum ligni prædicti vsum scribunt.

CAP. XXIII.

TVBER, quam vulgo falso Sicomorum vocant, peregrina arbor: recto caudice: cortice leui, liuido, & maculoso: folia ampla, dissecta in multas partes Fraxini modo, sed pediculo ramoso, vt in Filice, aut Cicuta, quod in nullis aliis arboribus vidimus: foliorum partes latiores, quam Fraxini, in acutum productæ & serratæ: flores odorati in ramosis racemis, candidi, modico rubore aspersi ex foliolis, veluti stellarum radiis constantes, medio caliculo nigricante; fructus rotundi, Sericorum ferme amplitudine, in maturitate candidi, laxa & fungosa pulpa, sed ignaui dulcedine: officula intus sex continentur, non seiuncta vt in Sericis, sed in vnum coeuntia, medio relicto foramine, vnde transfigi & corollis inseri solent: asseruantur hi fructus in arbore amissis foliis per totam hyemem, donec alij subnascantur; sed imbribus corrumpuntur, cum decidunt calcati crepitant, vesicæ disruptæ modo, Plinius Tuberes candidos vocat cum Sericis affines, & cum ziziphis: omnia peregrina in Italia baccis similiora, quam Malis: in Castrorum aggeribus sata specie decora, cum etiam intecta scandent syluę opere scilicet Topiario. Columella zizipha videtur appellasse, quos Plinius Tuberes, cum similiter scribat, eorum duo genera, rutilum, & album. Vtriusque floribus apes maxime delectantur. Forte Plinius zizipha hoc genus Tuberum intellexit, cum scripsit, eius florem inter Coronarios esse odoratum, similem Olearum floribus: folia vero Cypro similia.

CAP. XXIIII.

IVIVBA, domestica arbor est mediocris, in fruticem tamen spinosum facile degenerans: spinis validis & aduncis, colore subrubente, sed cum senescit aculeis caret: folia fert Corni angustiora oblonga, paribus interuallis bina in tenui surculo, quasi pediculo disposita: flosculos pallidos in alis foliorum, vt Buxus: fructus oblongos Corno crassiores, qui in Autumno maturescunt, colore exterius ex pallido nigrescente, quasi Fumo infectæ videantur, pulpa subalbida molli, fungosa, dulci & pingui, vtili ad tussim leniendam: osse intus Oliuari, duro, aspero, bina conceptacula habente, in quibus singula semi-

na continentur: aliquando tamen alterum delitescit increscente altero. Serapio Iuiubas putat esse apud Galenum, quæ vocat Serica, inter fructus reprobatos, à pueris tantum & mulieribus expetitos, exigui alimenti, difficilis concoctionis, stomacho inutiles, quorum tamen decoctionem, Arabes laudant ad sanguinis feruorem, & acrimoniam, extinguendam, ad Tussim ex caliditate ortam, ad renum & vesicæ dolores, eadem Actuarius & Recentiores Græci testantur Zizipha vocantes. Plinius Zizipha distinguit à Sericis, vt superius in Tuberibus diximus, quæ difficile est nostris Iuiubis aptare. Quid sit Paliurum apud eũdem Plinium, & apud Dioscoridem asseramus esse nostram Iuiubam? nam Dioscorides de Paliuro hæc scribit. fruticem esse aculeatum, & validum; eius semen pingue, ac fuliginosum, id est colore fuliginis coloratum, quod potum Tussi opitulatur, & vesicę calculos comminuit, & quę sequuntur: nam & Arabes easdem vires in esse Iuiubis testantur, cum ad vesicæ, & renum dolores, & tussim laudent. Plinius autem Paliurum Spinæ genus esse scribit, cuius semen Aphrizuram vocant contra scorpiones efficacissimam, item calculosis & tussi, baccas esse, quę purgationibus feminarum, cęliacis, dissentericis, ac colericis prosunt, Quid si & Theophrastum eandem intellexisse dicamus, cum de Paliuro hęc scribit. fruticem esse, qui excultu arborescit; aculeos habere in ramis: fructum, ferre in fibra quadam quemadmodum folium, vbi græce sic habet ἐν λοβῷ τινὶ τὸν καρπὸν ἔχει καθάπερ το φύλλον, quem locum Theodorus conuertens, in siliqua semen ferre dixit, & abstulit illud verbum sicut folium; At verbum λοβός significat etiam extremitates quascunque, vt extremas auriculas, & pulmonum fibras. fert igitur Paliurus in extremis ramis tenues quasdam virgulas, in quibus fructum fert & folia: imo vnicum folium videtur communi pediculo tres aut quatuor fructus continens, vt inquit Theophrastus, quibus Medici contra Tussim contusis vtuntur: habent enim lentitiam quandam, & pinguedinem, vt semen Lini; nascitur locis dilutis & aridis: foliis deciduis: differentias nonnullas habet, cum omnes fructiferæ sint. Quod autem de foliis scribit in extremo & lateribus sinuata considere, vt in Rubo & plerisque aliis, accipiendum est de integris virgulis, tamquam foliorum pediculis, quarum gratia alibi testatur Paliuri folia reddi spinosa, vt Rubi: eius fructum oblongum esse idem testatus est, in Acere, reddi autem post Vergiliarum occasum, aliam porro describit Paliurum in Aphrica nascentem loto magis fruticosam: folio similem nostrati Paliuro, sed fructu diuerso: non enim lato, sed turbinato rubroque magnitudine qua Cedri, aut paulo minore nucleum habet non loti modo mandendum, instar acinorum Mali Punici, qui per se iucundus sit, & cum vino suauior, cuius etiam meminit Plinius in Cyrenaica regione loto antecellere,

sere, sed magis fruticosam, magisque rubentem & reliqua vt Theophrastus. Ex quibus colligitur Paliurum fructum ferre nucleum continentem, nostratem autem ab Aphricano differre figura & colore: non enim in acutum turbinatur, sed æqualem amplitudinem seruat per totam longitudinem fructus. Theodorus tamen verbum στρογγύλον non turbinatum vertit, sed rotundum. Quamuis Iuiubam syluestrem habeamus fructu non rotundo, sed in latitudinem depresso, de quo mox agemus?

CAP. XXV.

IVIVBA syluestris, quam in Hetruria Spinam Marrucam vocat, frutex est domesticæ similis, priusquam arboresceat, virgas rectas ferens, & ramos circa eas deorsum inflexos, colore subrubenti aculeis tenuioribus: folia quoque similia, sed fructum in latitudinem quandam depressum ex tenui pediculo pendentem pulpa quadam fungosa in tenuem latitudinem circumducta, osticulo intus rotundo, intra quem tria sunt seminis conceptacula, singulis seminibus, donata quæ in suis alueolis tintinnabuli modo sonant. hæc igitur seuidum interpretationem Theodori erit apud Theophrastum Paliurus in Græcia nascens, fructum ferens latum instar folij in quo tamquam in siliqua tria semina cõtinentur, aut quatuor; adhuc tamen quatuor semina ferentem non vidi, qua interpretatione melius quadrabit similitudo, quæ in Aceris fructu traditur; desinit enim & ille in foliaceam quandam longitudinem, vt Paliuri fructus in latitudinem. Apud Dioscoridem autem hæc inter Rhanni genera tertio loco ponitur, latioribus foliis, nigrioribus, & quadantenus rubentibus, virgis longis fere cubitorum quinque, magis spinosis, aculeis infirmioribus mucronatis: fructu lato, candido tenui, folliculari specie, simili Verticillo.

CAP. XXVI.

CORNVS arbuscula est in montibus fruticosa, virgas rectas ferens nodis frequentibus robustissimas, quibus lanifices ad concutiendas lanas vtuntur: folia fert Iuiubæ latiora acutioraque: flosculos in foliorum alis pallidos ineunte vere: fructum oblongum specie Iuuibarum, paulo tenuiorem, in maturitate rubentem, intus & extra: sapore austero & dulci, nucleo intus simili. Theophrastus duo genera tradit marem & fęminam vtrasque folio Amygdalæ pinguiori crassiorique: cortice neruoso, ac tenui: nodis per interualla geminis: flore Oleę: fructu dulci, odoratuque grato, nucleo intus Oliuę. marem solidiori materia constare sine corde solida, spissa, & firma, vt

Cornu

Cornu ad vsum Venabulorum, longitudine duodecim cubitorũ ad summum hanc fructum reddere circa æstiua solstitia. Quidam autem sterilé esse asserunt: fęminam autem virgas paruas ferre Vitici similes magis fruticosam, molliori materie, medulla intus fungosa, quæ cauari possit. hanc serotinam esse: nam post Autumnum fructum reddit, eumq; ingustabilem: nasci etiam in humidis non solum in siccis. hæc apud nos Sanguen vulgo vocatur. hic frutex est sæpibus nascens inter Ligustra, virgis rectis sanguineis, flexibilibus. folia insunt Corni latiora, subhirsutaque: flores cacumina edunt in Vmbella candicantes: fructum nigrum vt in Ligustro rotundum: osse binas cauitates habente, in quibus singula semina continentur. fructus is à Turdis multum expetitur: hanc Plinius videtur intellexisse Virgam sanguineam vocans, cuius cortex interior cicatrices, quæ persanauere, aperit. hanc autem Theophrastus Cornum fęminam videtur intelligere: Dioscorides differentias in fructu notauit: nam fructum Oliuæ modo, oblongum esse, primo quidem virentem, postea per maturitatem aut rubentem, aut cęrę colore. quasi Zizipha ob colorem cęreum nitor Corna recenseantur: non tamen astringentia sunt: sed sapore pingui. alius quidam frutex est in Alpibus sine nomine, similis Corno, breuior: fructu similis paruis Cerasis, qui geminus in vno longo pediculo est rubens in maturitate, coeuntibus aliquando ex toto granis, in singulis duo, aut tria semina continentur sine osse, bipartito conceptaculo, ipsa semina oblonga, vt etiam grana, vt Corni sapore amaro. hæc quoque Cornus fœmina dici possit apud Theophrastum.

CAP. XXVII.

SVNT inter arbores, quæ semina ferant in siliquam, quippe sede in longitudinem producta; hę proportionem gerunt cum leguminibus in humili materia, inter has est siliqua arbor sic appellata, quia semen fert in siliqua leguminum modo: similis est Terebintho, sed foliis rotundioribus latioribusque: floret ineunte Vere: in caudicę, & grandioribus ramis, racematim, tecas fert palmi longitudine, latitudine pollicis compressas, in quibus semina per interualla disposita sunt depressa, & fermè ossis modo prędura, biualuia, vt faba: maturantur Autumno, vt ipsarum tecarum corpus prędulce fiat succo melleo inter fibras inspissato. fructus hos Carrubias vulgo appellant: inuehuntur ex Apulia. Plinius appellat prędulces siliquas, quarum cortex ipse lignosus manditur, digitorum hominis longitudine, & interim falcata Pollicari latitudine seminis ea est proprietas, vt neque corpus, neque lignum, neque cartilago dici possit: Dioscorides Ceratia vocat ob corni-

culorum

culorum similitudinem. arborem Ceroniam Theophrastus appellat, quæ semen in siliquis fert ex grandibus ramis & caudice: folio perpetuo: flore candido.

CAP. XXVIII.

CASSIA appellatur longissima quædam siliqua fermè cubitalis: teriti figura, nigra, aut fuluescens: intra corticem lignosum semina continentur siliquæ similia, interuallis septo membranaceo, distinctis & modica quadam medulla succosa, nigra, dulci, sed nauscosa, qua Medici vtuntur ad aluum subducendam, afferuntur ex Alexandria meliores, & ex Occidentali India. tradunt arborem eius in Aegypto, nasci crassissimam: foliis quadantenus Mori, aut Nucis Iuglandis: (nos vidimus ex semine nuper natam, folia siliquæ produxisse) flores latos, candidos: copiosum fructum, vt præponderet rumpantur rami, nisi ante maturitatem leuentur. In India traditur arbor Piri magnitudine: foliis Persici angustioribus & virentioribus: foliis Genistæ luteis: odore Gariophylli, quibus decidentibus siliquę longę subnascuntur colore viridi, in maturitate nigrę, longitudine aliquando quinque palmorum, nunquam minore duobus palmis: vbiq; sponte oriri. Videtur Theophrastus hanc intellexisse, cum siliquas quasdam Ficus Aegyptias appellari scribit. Quanquam errore manifesto nomen transferatur ad Ceronię fructum, quæ in Ionia, & Syria, & Cypro nascitur; illa enim in Aegypto non prouenit. Quę autem scribit fructum scilicet anniculum nouum expectare, subnasci ante nouellum fructum sub Cane, postquam alter detractus fuerit, veluti racemum vniformem, qui in Autumno explicetur in flores candidos, deinde per hyemem vsque in æstatem enutriri: folio perpetuo, magis Cassię conueniunt, quam siliquæ supradictæ. Plinius quoque tamquam alteram videtur intellexisse, cum de siliqua Ceronia appellata transcribit ex Theophrasto ea, quę dicta sũt.

CAP. XXIX.

SILIQVA sylueſtris, arbor non magna: nascitur in asperis: cortice subrubente: folio lato, & lęui, non diuiso in plura folia, vt cæteræ siliquę, sed exactæ rotunditatis, deciduo: floret in caudice, & ramis grandioribus, initio Veris ante foliorum exortum: flos rubens & oblongus, racematim cohęrens: siliquas fert exiles, quales in Genista, latiores, & depressas sine succo. Sub eodem nomine meminit Plinius in Thessalica Tempe fontem quendam mirandę naturę suis radicibus amplecti & florere purpura. Eadem apud Theophrastum videtur

detur Cercis appellata, ob circinnatam folij rotunditatem, quę semen in siliquis fert.

CAP. XXX.

TAMARINDVS affertur ex Orientalibus, fructus pulpa nigra constans, vna cum seminibus in panes coacta: sapore acido, & subdulci, qua vtuntur ad alui subductionem, & feruorem bilis extinguendum. semina autem sunt Siliquæ similia, sed maiora. Tradit Serapio eius arborem in India nasci foliis Salicis: fructus esse colore rubro, copiosiore carne, quam Siliquæ & firmiore, coloreque ex luteo in nigrum languescente, & pingui succo scatente. Ex quibus colligimus esse ex genere Siliquę, non autem Palmæ, vt quidam putant, appellantes, Oxyphenica, quasi acidas palmulas: nam semen biualuę est vt leguminum, durum verò, vt Siliquę, & Cassiæ. Garzias inquit; arborem nequaquam similem esse Palmæ, licet nomen Tamar apud Arabes Palmam significet, forte ob seminis duritiem, similem ossi Palmularum; sed magnitudine Fraxini, aut Nucis, aut Castaneæ; ligno denso, non fungoso: multis ramis ornatam, & multis foliis tenuiter incisis magnitudine Palmarum: fructum noctu foliis inuolutum, interdiu pansis foliis ostendi arcus modo incuruatum, aut instar digiti inflexi, cute viridi tectum ante maturitatem, postea cineream, qui facile ascedit; pulpa viscosa, & lenta, cuius est vsus abiectis nucleis; sapore dulci; sed fructus viridis acidus est non sine suauitate: Infundi solere pondere vnciarum quatuor in aqua frigida per tres horas, vt facta expressione propinetur cum saccaro ad purgandos biliosos humores. Vidi plantam ex semine natam; folio ramoso; cuius ramuli Coluteæ folia imitantur.

CAP. XXXI.

ANAGYRIS arbor est fruticosa: cortice aspero, & candicante: trifolia, foliis oblongis: fędi odoris: germinat in Autumno; & per totam hyemem floret: flores lutei, longi racematim cohęrentes circa ramos grandiores, & in caudice. Tecas fert æquales fermè Siliquæ: sed putamine arido. intus semina continentur longis interualis disposita, figura Faseoli, dura, colore ex albo in cæruleum vergente, quod sub Cane perficitur, quo etiam tempore folia decidunt, cum paulo post germinatura sit. Aliqui hanc ob seminis similitudinem Fasecolariam vocant, cui magna vis ad euomendum venenum: foliis autem ad Alopegias sanandas illitu. Dioscorides describit foliis & virgis similibus Vitici: fruticosam arboris modo, per quam graui odore: flore Brassicæ, semine in corniculis oblongis, simili renibus, vario, subrotundo,

tundo, & solido, quod durescit fere vua maturescente. Apud Plinium Anagyros vocatur eadem descriptione. Non multum ab hac recedere videtur Colytea apud Theophrastum: folio Salicis (nam & Vitici Salicis folia tribuuntur) sed valde olido, & copioso (quamuis in aliam sententiam vertat Theodorus) arbor in totum magna: semen in siliqua lata, more leguminum, paruum, modice durum, non copiosum. Quasi hæc Anagyris quędam magna sit, minori tamen semine.

CAP. XXXII.

LABVRNVM vulgo Auornellum vocatur: arbor in Alpibus Fraxino similis: cortice læui, & subcandido: trifolia: foliis Anagyro, latioribus, rotundioribusque: floret Vere in cacuminibus, racemis longis, pendentibus fermè semicubitali longitudine, forma, & colore Genistæ: siliquas fert exiguas, in quibus semina nigricantia, magnitudine lentis, sed figura Faseoli: materies densissima, candida, & flaua, ad parua opera Torno elaboranda excellens. Plinius Alpinam arborem esse, quæ aquas odit: dura & candida materie, cuius florem cubitalem longitudine apes non attingunt.

CAP. XXXIII.

CYTISVS frutex est in agro Neapolitano candidus, tum cortice, tum foliis: ligno duro: medulla nigra: foliis in tres partes diuisis, vt in trifoliis, sed paruis, & subrotundis, ac perpetuis gustu Ciceris recentis: floret Vere in cacuminibus, paruis racemulis: flore Meliloti vulgaris: Siliquas fert falcatas, exiles, & depressas, in quibus semina flaua continentur. Dioscorides fruticem esse inquit in totum album, vt Rhamnus: ramis cubitalibus, & maioribus: foliis Fęnogręci, aut Loti trifoliæ minoribus: dorso medio prominente, quæ trita digitis, olent Erucam: gustu Ciceris recentis. Plinius repertum primo in Cythno insula: fruticem angustioris trifolii in canum aspectu, qui postea translatus est in Græciam, magno casei prouentu: nam optimum est iumentorum omnium pabulum, saluberrimumque: toto anno durat, licet æstate viridi, hyeme sicco vtantur: In Italia rarum esse: de eodem pauca Theophrastus, infestum adeo esse cæteris plantis, vt omnes fermè enecet, subrepto alimento: eius medullam duram esse, ac spissam, & nigram, vt proxime ad Ebenum accedere videatur: apud nos Cytisus sylvestris nascitur, quod Ipum vocant vulgo, frequens in Italiæ montibus, frutex est alteri similis: aspectu viridiori: floribus non adeo croceis, sed pallidioribus, non in cacuminibus sed circa ramos:

siliquis subrectis: semine subnigro: huius duas notauimus species euidentissime distantes inter se: vnam in marittimis collibus albidiorem: foliis fermè sine pediculo hærentibus, gustu dulci. Alteram nigriorem in montibus frigidioribus pediculo longiori: foliis gustu amaris: siliqua longiore ferme Genistæ modo: Vtrique folia decidunt hyeme, & altitudo fruticis æqualis, ac lignum durissimum, medulla interna nigra; syluestris Cytisi mentionem facit Columella.

CAP. XXXIIII.

EBENVS lignum est nigerrimum, durissimumque, odoratum, si fricetur, aut carbonibus iniiciatur: vtuntur eo in coronis globulis ad pręces numerandas, & alia parua opera lautiora: nitorem enim recipit pulchrum præ materiæ densitate. Dioscorides optimam Ebenum ex Aethyopia haberi scribit nigram, nullo venarum discursu, lęuore cornus elaborati, densam, cum frangitur, gustu mordaci & astringente, suffitu iucundo odore super carbones sine fumi tędio; si recens ad ignem admoueatur, ob pinguedinem accendi, & tritam ad cotem ruffescere. ex India alterum aduehi internatis segmentis, candicantibus, & modice fuluis, & frequentibus maculis bonitate inferiorem: vendi apud quosdam pro Ebeno ligna consimilia, sed fungosa, purpurascentia, nihil mordacitatis habentia in gustu, neque suaue olentiæ in suffitu. Sesamina & Acanthyna, potius Sicamina legendum videtur, nam Mori medulla dura & nigra est teste Theophrasto. Spinam quoque Ebeno similem tradit Plinius, lucernis deprehendi: nam protinus ardet. Theophrastus duo genera similiter tradit, vtraque in India: vnum materiæ laudatum, pulchrumque: alterum vile, vitiatumque: rarum, quod præstantius, reliquum copiosum: hæc non recondita, colorem commendatum, sed statim sua natura capessit: fruticosa est Cytisi modo: lignum aspectu Buxo simile constat: sed decorticatum nigerrimum redditur, vtile oculis tritum ad cotem, graue etiam, cum siccum est: quia densum sua tantum medulla, in qua & coloris nigredo, constat; & materies spississima, ac grauissima, perpetua. Plinius de genere meliori, quod rarum est, inquit arboreum esse: trunco enodi: materie nigri splendoris, ac vel sine arte protinus iucundi, Alterum fruticosum Cytisi modo, & tota India dispersum est. Pausanias à quodam Medico accepisse se testatur, Ebenum radicem tantum esse sub terra conditam, nec folia, nec fructus ferentem: ideo difficile inuentu. in Aethyopia artifices esse Ebeni scrutandi, gnaros. Theophrastus quoque inter fossilia Ebenum reperiri testatur, aliis lapidibus inclusum tanquam in ventre. An id ex genere Gagatis est, seu Ambræ nigræ? differt ab Ebeno leuitate ponderis.

GE-

CAP. XXXV.

GENISTA Frutex in Italia vocatur: materie densa, vt Cytisi: ramis iunceis, vtilibus adnexus: floribus luteis: siliquis Vicię nigris, hirsutis, depressis, duo genera, vnum quadrato iunco: paucis foliis, exilibus, initio trifoliis, postea simplicibus nigricantibus: alterum rotundo constat iunco robustiore, ac magis flexibili: folia huic initio tantum sunt, cum germinat, simplicia quasi Lini: adultis iuncis nulla sunt, sed flores circa summum speciosi, odorati, lutei, qui expetuntur in coronis: siliquas altero longiores fert, quæ in arescentes crepitu semen eiaculantur: vtrumque in collibus saxosis oritur: quadratum magis inter scopas reperitur. exrat in Alpibus quadrati genus quoddam exiguum, lato cespite, palmaribus vincis, mollibus sine foliis. rotundi quoque genus in Ilua est, frutice densissimo, orbiculato, humile acutis iuncis & valde robustis, pungentibusque figura Histricis animalis. Plinius de Genista inquit vinculi vsum præstare: Flores apibus gratissimos esse: ideo seri iusta earum aluearia, decerpi ad coronas, colore luteo, semen eius, quod Greci Sparton vocant, in folliculis Faseolorum modo nascens, purgat Ellebori vice & cæteras vires ei tribuit, quas Dioscorides Spartio tradit. Dubitat tamen an hæc sit, quam Græci authores Sparton appellauere, ex qua linea piscatoria fiebāt, & cætera nauium armamenta: quamque Homerus intellexit, cum dixit. Nauium Sparta dissoluta. nam eruditiores interpretati sunt linea armamenta: quoniam Sparta cum dixit, significauit sata: Sparti autem vsus post multa secula cœptus est. In Hyspania herba sponte nascitur, seu iuncus aridi soli, vbi nec aliud seri aut nasci potest: gignitur in Aphrica exiguum & inutile, sed in Hyspaniæ quadam parte, vbi nascitur, montes operit: hinc strata rusticis eorum, calceamina & pastorum vestes, ignes, faceſque, animalibus noxium, pręterquam cacuminum teneritate ad reliquos vsus laboriosè euellitur, siccatur sole, aqua marina aut dulci maceratur, ac tunditur: sic enim vtile redditur, pręcipue in aquis, marique inuictum. Dioscorides Spartion vocat fruticem, qui longas fert virgas sine foliis firmas, fractu contumaces, quibus vites vinciuntur: semen lenticulæ in folliculis Faseolorum modo: florem luteū, vt Leucoij: inest floribus ac seminibus vis purgandi vehemēter per superiora Ellebori modo, ac per inferiora. Mesues Albrachim vocat, quod significat apud Arabes arborū vinculum, latine autē inquit Genestrā vocari, cui flores insunt lunaris figurę cytrinitatis multæ, folliculi Orobi modo, in quibus semina distincta ceu lentis: purgat vehementer pituitā vtrinque: confert articulis, & renibus, ex quibus manifestū est Genistam rotundā Spartum esse,

siue Spartium à Græcis appellatum. Theophrastus Lynosparthum, &, vt Theodorus vertit, Linogenistam appellat: cortice tunicis multiplici.

CAP. XXXVI.

ASPALATHVS apud nos in asperis marittimis nascitur; frutex trifolius, spinosusque: cortice, & foliis Cytisi Sylvestris: perpetue virens floribus Genistæ: siliqua breui, modice lata, hirsuta: seminibus nigricantibus; materie dura, & candida sine odore seruatur adhuc vulgo in Græcia Aspalathi nomen in hac planta, quamuis eius breuis descriptio sit apud antiquos. Nam Dioscorides fruticem esse surculosum, spinosumque: ligni autem duo genera, quibus ad vnguentorum spissamenta vtebantur: vnum, quod probatur magis, colore intra corticem subrubente, aut in purpuram vergente, densum, odoratum, gustum amarescens: Alterum candidum lignosum, sine odore, deterius. Plinius esse Spinam candidam, & sylvestrem, magnitudine arboris iustæ: flore Rosæ, cuius radix expetitur vnguentis: probatur autē colore ruffo, vel igneo, tactuque spisso, & odore Castorei: alium pręterea fruticē humiliorem, & spinosum esse, qualem descripsit Dioscorides, nō vbique odoratum, Aspalathum quoque appellari in Hyspania Spinam vulgarem, qua cortinæ fulloniæ implentur: afferuntur autem hodie ex Oriente duo genera ligni odorati: vnum candidum, alterum rubrum: Sandalos vocant, Medicis Arabibus sic appellantibus. traduntur autem à Serapione sandalorum tria genera è Syria allata, candidum, rubeum, & flauum, quod Citrinum vocant, quorum pręstantissimum flauum, pingui quodam scatens, secundum bonitate rubeum, quod siccius: tertium candidum, facillimum ad leuigandum in pollinem tenuissimum: flauum quod hodie habetur, est candidi medulla, multo suauior reliquo ligno, quod album est; rubeum varia sorte visitur: quoddam enim exigui odoris: quoddam nullius: quoddam pręterea longe odoratius flauo, non sine quadam Castorei emulatione. Sandali rubri pręterea semina ad manus venerunt, dura paruis Faseolis similima, colore tam rubeo, vt corallum vincant, quamuis autem ex iis non licuerit enatas plantas videre, putandum tamen est, esse ex genere Trifolij, & ab Aspalatho Dioscoridis non multum recedere. Spina autem vulgaris fullonum, quam in Hyspania Aspalathum vocari à quibusdam testatur Plinius, hodie Verzinum vulgo vocatur, lignum rubrum crassitudine tibiam excedente, rubeo colore inficiens, cuius puluere adulterant odoratum Sandalum. De Sandalo albo, & citrino scribit Don Garzias Lusitanus in India oriri, arbores simillimas inter se, differre tantum colore ligni: similes esse Nuci Iuglandi: foliis Lentisci, intensę viriditatis, flore cæruleo nigricante:

cante: fructus magnitudine Cerasi, initio viridis, postea niger, sine sapore, qui facile decidit: lignum sine odore esse quamdiu tegitur cortice, & ante quam siccetur; vim odoris in medulla esse tum in albo, tum in flauo, non in ligno: probari id, cui multum inest medullæ, seu cordis: flauum odoratius, sed raro ferri ad nos; quia apud Indigenas in frequenti vsu est in balneis tum odoris, tum refrigerationis causa: Vbi oriuntur album & flauum, non reperiri rubrum; sed qualis sit arbor rubri, apud eum non constat.

CAP. XXXVII.

SPINA Christi vulgo appellatur, frutex in totum spinosus: ramis trium cubitorum altitudine: cortice albo, & aspero, ac deciduo, vt in Vite: nullis foliis, sed ipsæ spinæ, tum foliorum, tum germinum vicem gerunt, digiti longitudine virides, quæ à latere alias spinas ferunt breuiores, & in iis flores luteos Genistæ similes: incipit florere in Autumno, perseueratque per totam hyemem ac Ver assidue florens: siliquas fert breues, & hirsutas, paulo minores Aspalatho. Theophrastus Scorpium vocare videtur. Theodorus Nepam vertit, sed inter suffrutices syluestres, qui ex toto aculei sunt, vt Asparagus, & flore candido accedente ad purpuram: radice singulari, quæ conditiones in hoc frutice non insunt.

CAP. XXXVIII.

EMERVS vulgo appellatur frutex Cytiso æqualis: cortice subalbido: foliis in vno pediculo multis, coniugatim dispositis, virentibus, lęuibus, subrotundis, & paruis: flores luteos, longo pediculo pendentes, figura Genistæ: siliquas fert tenues, & longas, in quibus semina continentur, nigricantia, & modice depressa: expetitur multum ad pecudum pabulum in collibus. Alterum genus siliquas fert veluti vesicas flatu plenas, læui membrana, & subrubente constantes, in quibus semina Lentis continentur nigra, in cęteris supradicto simile, præterquam quod simplex assurgit arboris modo, at non excedit quatuor cubita. Ex hoc genere videtur apud Theophrastum esse Colutea Liparę propria, arbor magnitudine præstans, fructum in siliqua ferens magnitudine lentis, qui oues mirum in modum pinguefacit: folium non absimile Fęno gręco: nascitur semine: germinat primo vnicaulis vsque ad tertium annum: quarto anno in ramos funditur, & arborescit, præcidunt baculos triennio: quia pulchriores, sed emoritur arbor: quia non germinat à latere: cum hac aut eadem, aut non absimi-

lis

lis fuerit, apud eundem Theophrastum Colętia arbor Liparæ propria, quę semen in siliquis fert.

CAP. XXXIX.

SENA à quibusdam Senna vocatur, medicamentum purgans ex Oriente illatum: folia sunt cum siliquis, quas folliculos vocant: folia Coluteę similia, angustiora, oblongioraque: siliquæ latę ac vehementer depressæ, instar Lunariæ gręcę, longo & tenui pediculo pendentes: fruticem videre non licuit, quamuis alia inter herbas connumeranda nascatur apud nos, quam ferunt alicubi pro Sena, sed longe imbecillioris effectus. Serapio de Sena inquit tantummodo exsiccata asseruatur: siliquas fert, folliculosue oblongos, lunatosque, in quibus semina in ordinem belle disposita clauduntur, qui quidem folliculi pediculo quam tenuissimo, sic ramulis inhęrent, vt à vento facillime procidant concussi, indeque à pastoribus leguntur. Ex his significatur arboream esse eius naturam, non humilem esse plantam. Mesues tamen herbaceam videtur significare, cum dicat eius ortum similem esse Orobis, inueniri inquit, domesticum, & sylvestre: melior pars plantæ est folliculus, deinde folia, in quibus vis est valde imbecillis: folliculi laudantur colore subuiridi, ac sub nigro, modice amari, cum quadam astrictione, seminibus intus amplis & compressis, purgat atram bilem, & humores adustos imbecilliter tamen, & tarde, efficacior est eius decoctio, quam puluis, vt Serapion tradit, ex puluere tamen vna exhibetur drachma, ex decocto autem quinque: respicit Cor, & Cerebrum.

CAP. XL.

BARBA Iouis arbuscula est in scopulis marittimis ex toto candida, terna cubita parum excedens: ramis erectis, & densis: cortice rugoso: folio Lentis, molli, argenteo quodam splendore perpetuo: flosculos racematim in cacuminibus fert, ex candido modice rubentes, & breues, ac rotundos, siliquas, vt Glaux. De hac Plinius inter arbores inquit, odit aquas, & quæ Iouis barba appellatur in opere Topiario tonsilis, & in rotunditatem spissa, argenteo folio.

CAP. XLI.

SVNT, quibus seminis sedes bipartita est, vt duo aliquando conceptacula videantur, vt in Rhododaphne & Periploca, Populo, Salice, Mirica: omnibus his semina lanugine sunt inuoluta paucis qui-

quibusdam exceptis. Rhododaphne vulgo Oleandrum arbuscula est, nascens spōte in pręruptis maritimis inde in hortos pulchritudinis gratia transfertur, mollis naturę: lęui cortice, ac cinereo: foliis Lauri longioribus, crassioribus, angustioribusque perpetuis: in cacuminibus flores fert speciosos figura calicis, sed labris dissectis, colore roseo: siliquas fert digitales duplices, & striatas, in singulis conceptaculis semina multa continentur lanugine flaua obducta, non dehiscunt nisi hyeme prope exacta. Dioscorides Nerion, & Rhododendron etiam vocari testatur, notum in Gręcia fruticem prope flumina & in maritimis nascentem: foliis Amygdalę longioribus, & crassioribus: flore roseo: fructu corniculato, quod apertum ostendit lanosam naturam, qualis in Spinarum pappis visitur: radice longa, & fastigiata lignosa, gustu salsa. Plinius Sempiternum fronde Rosę similitudine, caulibus fruticosum, iumentis omnibus Capris, & Ouibus venenum: hominibus remedium aduersus serpentium venena.

CAP. XLII.

PERIPLOCA frutex est ex Syria allatus, qui prę infirmitate non per se stat, sed aut humi repit longissimis viticulis cum lentore robustissimis, vt pro funibus vtantur, aut arbores vicinas serpentis modo amplectens, adeo arcte vt strangulet, scandit ad quamcunque altitudinem: cortice lęui: foliis Lauri magis fastigiatis, molliorbusque, lacteo succo: è summis arboribus propendent ramuli multi, minus obsequiosi: breuioribus foliis, in quorum cacuminibus flores sunt magnitudine & forma, quales in Gelsimino, sed colore tristi, ex purpura nigricante: siliquas fert Rhododendro æquales, similiter duplices, sed in extremis tantum coniunctas, in medio distantes, dehiscunt exacta hyeme: semina intus nigra, & oblonga, in candidam lanuginem desinentia. Alter frutex ex eodem loco habetur, quam Periplocam non repentem vocant: nam humi tantum serpit, nec arbores scandit: crassiori caudice: constat viticulis frequentioribus, breuioribusque, erectis: folia fert Hederę, sine angulis cinerei coloris, sub croceo succo: flosculi sunt candidi in racemulis densi: siliquas fert breuiores: folia, & flores grauiter olent. Dioscorides Apocynum vocat: similiter enim describit, fruticem scilicet esse longis viticulis Vitilium modo obsequiosis, & fractu fere inuictis: folio Hederę molliore & in extremo acutiore, lento: graui odore: luteo succo: siliquas ceu fabarum folliculari specie digiti longitudine: semine intus duro, paruo, & nigro: folia enecant canes, lupos & vulpes coacta in panes cum adipe, protinus resolutis coxendicibus.

FRV-

CAP. XLIII.

FRVTEX quidam peregrinus, vocatur Ligustrum Orientale à quibusdam, magnitudine Ligustri: foliis Apocyni tenuioribus & minus candidis: racemos fert Ligustro grandiores, in quibus flores sunt, figura Gelsimini minores cęrulei, modico rubore aspersi, & si conuertas candor quidam argenteus spectatur, iucundi odoris: siliquas fert breues similiter duplices, in quibus semina oblonga, sed sine lanugine. fortè fuerit Ieseminum cæruleum Arabum.

CAP. XLIIII.

STAPHYLODENDRON apud Plinium vocatur arbor trans Alpes: simillima Aceri albo materia: fert siliquas, & in iis nucleos: sapore nucis Auellanæ. Apud nos frutex magis quam arbor ostenditur foliis Fraxini. fert in duplici vesica membranacea, ac viridi nucleos Auellana minores, binos in singulis conceptaculis medulla intus dulci: Pistaceam sylueſtrem quidam vocant. Affinis videtur Aceri & Fraxino, solum tunica externa in vesicam dilatata, & plures complexa nucleos.

CAP. XLV.

POPVLVS arbor est excelsa & erecta: materie candida, in planis & humectis nascens: eius duo genera nigra & alba, ob corticis, & foliorum colorem distincta: nigræ cortex cinereus est, ęquis & vetustate disruptus: folia Hederę figura ex longo pediculo in acutiorem angulum desinentia & tenuiora, vtraque parte viridia, ac tremula: Ante foliorum exortum ineunte vere quædam floret, at fructũ non fert: est autem flos veluti Amentum, colore rubente, aut candicante: quędam fructum fert: at non floret: est autem eius fructus: racemulus oblongus grana continens viridia, & rotunda Vuarum modo, in quibus lana continetur candidia, paucis seminibus lanæ appensis, iisque adeo paruis, vt visum fere fugiant: quamuis autem vnica sit concauitas in rotundis acinis: sedent tamen semina in duobus lateribus: succus quidam resinosus inest in gemmis erumpente germine, aureo colore, quem cogi in Electrum putauit antiquitas authore Dioscoride: gemmas eas assumunt hodie ad vnguentum Populeum parandum. hanc Aegyron Græci vocant: similis in Alpibus nascitur nigriori aspectu: tenuioribus foliis, serratisque, quam Plinius Libicam vocat, laudatissimam fungis enascentibus. Alba vulgo Albarus vocatur, quamuis & eo nomine nigram

quoque

quoque intelligant quidam: cortex ei albus, non disruptus vt nigræ, sed veluti leprosus: folia inferne candida, superne viridia, subhirsuta, latiora, quam nigræ & varia: Nam virgarum nuper nascentium Altheæ videntur esse, ramorum autem angulosa Tussilaginis, aut Vitis modo, vetustioribus redduntur nigræ similia: vuas lanosas similiter fert: quædam sterilis, vt neque etiam floreat, quod & nigræ contingit. Græci Leucem vocant ab albedine. Ei similis in Alpibus nascitur candidissimo cortice ac leui: folia fert nigræ similia, læuiter serrata, inferne subhirsuta punctis albis distincta. hanc Betullam Plinius vocat, Gallicam arborem, mirabili candore, atque tenuitate, terribilem Magistratuum virgis, eadem circulis flexibilis, & Corbium spartis. Bitumen ex ea Gallię excoquunt. Theophrastus Semidam vocat: folio Nucis paulo angustiori: cortice versicolori; & materie leui, non nisi ad baculos vtili. Idem Theophrastus Leucem & Ægiron, id est Populum albam, & nigram vniformes esse testatur, vtrasque erecto corpore, & ligni albedine ac foliorum figura similes, sed nigram excelsiorem esse, ac leuiorem: Albæ folia tempore immutantur: nam initio rotundiora sunt, vetera in angulos exeunt. Vertuntur quoque in Solstitio, vt prona supina reddantur: putantur vtręque steriles, vt neque flores quidem ferant: in Creta nigræ complures fructificant, licet transiatę sterilescant: descendunt vtræque in plana, gaudent palustribus & aquosis: Albæ pręterea similem tradit Cercim, quam Theodorus Alpinam vertit: ramis albicantibus; folio Hederę, alioqui sine angulo: sed vnicam appendicem longam & acutam habente, colore tum supra, tum infra ferè simili, pediculo longo, ac tenui, & ob id inflexo; cortice asperiori, quam Populus alba: videtur autem nostram Alpinam significasse. Alibi tamen Cercim vocat arborem, quæ semen in siliquis ferat more leguminum, licet alij codices, non Cercim, sed Cicim legant. Plinius Populi albæ folium tradit superne candicans inferiore parte viridi, quod post Solstitium contingit, cum folia conuertuntur. Quod præterea Theophrastus de alba scripsit, Plinius nigræ quoque accidere vult, variari folia, vt ex rotundis angulosa fiant, quod in nostris non reperitur, grandissimam præterea lanuginem Populorum foliis inesse scribit, quę candidæ candida euolat, vt Iulus: hæc de racemulis Iuli figura, ac virentibus, vt folia numerosa videantur præsertim in alba intelligenda sunt: nam ante foliorum exortum, iis tanquam foliis virescunt Populi; Vuam Populi albæ alibi meminit: nam acini sunt vuarum modo lanuginem continentes. Quod autē scribit Populi albę vuam Bryon vocari in vnguentis laudatū, ansam dubitandi præbet, ne villosam substātiam intelligat in multis arboribus ortam, vt in Quercu & Cedro, vt tradit Dioscorides, quam Latini Muscum vocant. Numerat pręterea Populū inter steriles, quę neq; fructū, ne-

que semen ferunt, licet Theophrastus variam de hoc fuisse sententiam ferat, cum tamen Dioscorides, & idem Plinius Populi nigrę semen laudent ad comitiales. Eius ambiguitatis id fuit in causa, quod superius notauimus: quasdam scilicet neque florem, neque fructum ferre; quasdam florere tantum: Quasdam autem lanosam in vuis substantiam ferre seminibus visum fugientibus, ob paruitatem. In hoc genere videntur esse arbores, quæ Camphoram ferunt in India Orientali: nam & in nostris bituminosus quidam liquor nascitur, qui in Electrum densari Dioscorides testatus est; & Plinius de Betulla Bitumen, ex eoque in Gallia scripsit. Videtur autem Camphora ex genere Bituminis esse; quoniam rapacissimè ignem excipit, & ardet in aqua: substantia Gummi similis, candidissima, & transluciida; odore valido, non ingrato; facillimè euaporescit in auram, nisi in loco frigido & concluso seruetur. Arabes Caphur vocant, & recentiores Græci Chaphuram. Serapio scribit longiorem Camphoræ prouentum expectari, si præcesserint fulgura frequentia, & tonitrua, & terræmotus; quasi inde exhalatione scilicet sicca, à qua incensa illa fiunt, Camphoræ materia suggeratur arboribus, quæ illam ferunt, vt contingit apud nos Fraxinis, & Ornis ex rore cęlesti Mannam reddere. Idem tradit, Gummi esse, seu lachrymam maculis rubentibus ex arbore, quæ copiose in insulis maris Indici prouenit, materie leui, colore è candido in nigrum languescente, in cuius corde Camphora reperitur in interueniis impacta: Erumpit quoque extra, & defluit, & corticibus hęret, quæ magis probatur, maculis interinitia rubentibus, postmodum calore solis candescens; huius globuli drachmam vnam pondere non excedunt: secundum bonitate locum habet quæ crassa, colore atro, nec pellucens: Vltimum locum habet, quæ fragmentis, & assulis implicita est, more Gummi agglutinata lenticit, in grummos coiens magnitudine Amygdalæ, aut fabę, aut lentis, hanc Pontificum, & sacerdotum suffimentis in templis assumunt. Sed hæc omnia per sublimationem in igne purgantur, & clarificantur, adeo vt inde exeat Camphora candida in laminas pellucentes digesta, quæ Camphora elaborata appellatur; sed cum magno dispendio; nam quoddam genus ex libra vix selibra redit. Vim habet refrigerandi & siccandi in tertio gradu. Veneris impetus extinguit: somnum conciliat, fluxus sanguinis sistit: Ardores quoscunque corporis compescit, sed vsu frequenti caniciem accelerat, Hæc Serapio. Qui Indicas merces nostris temporibus scripserunt, referunt arborem magnitudine, & specie Nucis Iuglandis, foliis albicantibus, Salici similibus, neque fructum, neque florem ferre, quod sciatur: Caudicis color cinereus, vt Fagi, aut paulo nigrior: substantia mediocriter densa: visuntur aliquando eius tabulæ & alia opera Camphoram continentia in rimulis. Camphoræ duas

esse

esse præcipuas differentias; vnam, quam Burnei vocant carissimam, quæ nequaquam fertur ad nos, quæ granulis Milij magnitudine constat, vilior, quæ grandioribus, præcisior pro ratione magnitudinis, vt contingit in Margaritis: alteram è Chinna, quam ferunt ad nos rotulis coactam. Si quæ maculosa fuerit, aut sordida, sola ablutione in candorem restitui, si linteolo inclusa abluatur in aqua calida, adiecto sapone, & succo limonis; sic enim nullo ferè dispendio ponderis dealbari. Qui dimisso sensu rationem quærunt, contendunt Camphoram non esse arboris lachrymam, sed rem fossilem inter genera Bituminis, vt Naphtha, neque temperamenti frigidi & sicci, refragrante scilicet odoris vehementia, & mira familiaritate cum igne; sed calidi & sicci; nam etiam eius nimius vsus vigilias facit teste Serapione, & Auicenna. At quid prohibet sub exhalatione tenuissima, quæ calida & sicca est, latère frigidam substantiam, quæ extincta exhalationis flammula ob tenuitatem minime vrente agat, & penitius, quo profundius ob tenuitatem exhalationis penetrauerit? vigilias autem nimio vsu efficere non est absurdum ob siccitatem, vt in senectute. Sed quoniam Auerroes tradit Ambram, idest Succinum esse Camphoræ speciem, vnde rem fossilem indicare videtur, dicamus & de Succino, quem Electrum vocat Dioscorides ex lachrymis Populi condeniatum, vt narrant; sequutus fabulam Phaetontis; eius sorores in Populum versas iuxta Padum; lachrymas autem in Electrum; vocari & Pterigophoron; quia pennas trahat: Eius varia historia apud antiquos, sed Plinius certitudinem habitam testatur ex equite quodam Romano, qui ad id comparandum missus fuit à Iuliano Neronis Principis munus gladiatorum curante: lachrymam esse arboris in genere Pinorum densatam, & vndis maris raptam ferri ad littora Germanorum; vnde copia multa colligitur, indeque Pannoniam & Venetias aportari, & circa mare Adriaticum: esse autem ex Pinea arbore succinum illud affert signum, quod eo attrito odor Pineus sentiatur, & accensum flagret Thedæ modo. Quod verò liquidum prius sit, deinde densetur, indicio esse, quod sæpe intus transluccentia appareant, vt formicæ, culices, lacertæ, & huiusmodi alia, quæ adhęsisse oportet, cum liquidum esset deinde simul concreuisse. Authores Germani, quamuis ad eorum littora ventis quibusdam flantibus Succinum magna copia feratur, vnde retibus expiscatur, tamen nihil certi de eius origine habent; solum enim Sacerdotem quendam testari visam à se lachrymam è scopulis fluentem in mare; vnde putant rem fossilem esse ex genere Bituminis. In hac sententia & quidam ex antiquioribus fuere: Nam Theophrastus effodi scribit in Liguria, quod quidem hodie ne scitur; & Philemon in Scitia duobus locis. Alij quidam iuxta mare Atlãticum esse lacum Cephisidam, qui sole excalfactus è limo dat Electrum

fluitans; & Cratim annem in Sicione è lacu in Oceanum effluentem eadem ratione Succinum ferre: Ideo fuere, qui sudorem terræ pinguem appellarunt à Sole excitatum, qui densatus, & vndis Oceani raptus feratur ad littora Germanorum. In eadem sententia est Albertus, & Euax, qui sub Gagatis nomine de Succino agunt. An & trahi humorem huiusmodi pinguem in arbores quasdam non mirum? vnde fluens lachryma dẽ setur, & lapidescat ob maris salsedinem? Sic diuersorum historiæ nequaquam negandæ: eadem enim terræ pinguedo genera Bituminis & Naphthæ sub terra gignere potest, & à diuersis arboribus ob quandam affinitatem attracta & Camphoram & Electrum reddere vt ros cælestis Mannam. Dioscorides Lyncurion quoque appellari testatur; quia ex vrina Lyncis coagulata esse existimetur, vt tradit in vrinarum examine: Alius tamen est lapis lyncis apud Euacem; ferre toto anno optimos fungos, vt explicatur à nobis in fungis. Forte huiusmodi lapis ex corticibus Populi fit aliquid conferente vrina Lyncis: Tradit enim Dioscorides corticem tam albæ quam nigræ Populi segetibus stercoratis inspersum fungos vtiles, innocentesque toto anno ferre. At Succinum inter gemmas reponitur perspicuas colore aureo: vulgo Ambra gialla: extat tamen, & candida odoratior, ac præciosior: Alia coloris cærei: Quædam imitatur vinum Falernum, vnde cognomen assumpsit: alia ignei magis coloris, aut mellis decocti; alia cinerei. Mira eius natura in trahendis paleis, pennis, foliis, & quibuscunque corpusculis leuibus, vt Magnes ferrum: Exhalatio enim vstibilis valde addensata ob partium tenuitatem, corpora sibi similia circumposita trahit; sunt autem similia leuia quæcunque, & vstibilia; id reliqua non faciunt, vt Sulphur & Bituminis genera; quia minus densa. Idem efficiunt gemmæ densiores, vt Adamas si prius fricando in calescat. Vtuntur Medici ad omnes fluxiones sistendes seu sanguinis, seu humorum; ad vomitus compescendos, & destillationes: potu: suffitu aerem pestilentem fugat. Officinæ Carabem vocant nomine Arabo.

CAP. XLVI.

SALIX arbor non procera, iuxta fluminum ripas & palustria degit: materie candida, minimi ponderis, cum sicca est; natura adeo lenta, vt ad nexus nulla alia commodior sit, eiusque gratia colitur; caudex vetustate concauus redditur; cortice valde disrupto, ac nigricante: amat detruncari; sic enim vimina multa, & longas perticas gerit tanquam ex capite: seritur quoque ad Vites sustinendas quemadmodum Populus: Virgarum cortex lęuis est corij modo lentus, colore pallido, aut subrubente: folia Oleæ longiora, ac molliora, viridia, amara,

amara, racemulos fert Populo breuiores oblongis granulis lanam similem, & semina continentibus vna cum foliorum exortu, quæ scilicet in eo genere sterilis non fuerit: sterilis autem ante foliorum exortum flores fert Amentaceos, pallidos: Alia est iuxta Alpium flumina, gracilior, viminibus rubentibus: angustiore folio: Tertia colore luteo breuissima, quam prope terra pręcidunt; sic enim vimina aptissima fert ad circulos lagenarum colligandos: Quarta fragilis, fruticosa; cortice cinereo, & maculoso: foliis latioribus, subrotundis, hirsutis, quam Vulgo Vetricem vocant; quia vitri modo frangitur, solum ad vinearum pedamenta, & baculos vtilis. Quamuis autem, magnitudine, & paruitate, colore, & vsu in plures species distribui possint, quatuor tamen dictæ euidentissime distinguntur. Theophrastus arborem palustrem scribit, cum tamen agat vitam ancipitem in aqua scilicet, & in sicco, in montibus, & planis; caudice breui, & contorto; materie lenta ad scuta vtili, & ad cistellas, & Canistrum: sata germinat, & celerrime, pulcherrimeque, exauulsione sterilis putatur. Quidam generare affirmant, sed celeriter fructum dimittere, antequam in plenum crassetur, percoquaturque: vnde ab Homero Frugiperdis appellata est: multigena est: nam alia nigra appellatur cortice nigro, aut puniceo, quæ virgas pulchriores & ad texendum commodiores fert; alia candida albo cortice, densioribus virgis. in vtroque genere tam albo, quam nigro tertium quoddam genus reperitur paruum, quod non augetur in altitudinem; quam Arcades vocant non Salicem, sed Helicem, putantque fructum fęcundum ferre. Quę facile aptari possunt tribus generibus Salicis à nobis descriptis. Quod autem quarto loco posuimus, Vetrice appellatum, videtur apud Theophrastum Oleangnus vocata in lacu Orchomenio insulis fluitantibus, licet forte aliis locis proueniat, specie Oleæ, & Angni, idest Viticis, natura fruticosa non absimilis cęteris Angnis; folio figura proximo cæteris, sed molli vt Malus, lanuginosoque, flore Populi albę minori: fructu nullo, forte ex nominis similitudine, hanc apud nos Vetricem dici putarim, quasi Viticem. Plinius vsu distingues plura genera tradit. Nam quædam in magnam proceritatem perticas emittunt, vinearum, Iugis, idest pergulis vocatis, commodus, pariuntque baltheo corticis vincula; aliæ virgas sequacis ad iuncturas lentitiæ, alię pręternues, viminibus texendis spectabili subtilitate, aliæ firmiores corbibus, delibrantur quædam, vt candidiores fiant, & læui tractatu ad molliora vasa, & Cathedras texendas: coloribus autem duo genera facit, rubentem quam Gręcam vocat, quæ finditur: candidiorem, quam Amerinam appellat, paulo fragiliorem, sed quæ solido ligat nexu. Indicat autem Oleagnum. in Asia præter nigram, & candidam, tertiam esse breuissimam, quam Hęlicem vocant apud Latinos quoque multos tria nomina esse. Vimineam eandem

pur-

purpuream. Vitellinam alteram à colore, quæ sit tenuior, Gallicam tertiam, quę tenuissima: Salicis fructus ante maturitatem in Araneam abit.

CAP. XLVII.

MYRICA frutex est in maritimis palustribus frequens, cultura tamen crassescens in arborem iustam: materie lenta, vt Salix, sed foliolis veluti squamis ramusculos conuestientibus, vt in Cupresso: nam ipsa germina folia videntur carnosa, sed exiliora Cupresso: fructum fert in spica Salicis modo, sed exilioribus vasculis, quæ dehiscunt in quatuor partes, tenuem lanuginem effundentes cum seminibus. Quædam autem in hoc genere sterilis videtur, florem tantum ferens in spicis exilioribus, veluti Scoparum granula. Theophrastus fruticem hunc in plana descendere ait: ligno imbecillo in Græcia, sed in Arabia valido Ilicis modo, perpetue virente: foliis carnosis constantibus pulpa. Dioscorides arborem sylueſtrem apud stagnantes aquas nasci: fructum autem ferre quasi florem muscosum: Alterum autem genus in Aegypto & Syria domesticum oriri, in cæteris sylueſtri simile, sed fructu Gallæ proximo astringenti, quo vice Gallæ utuntur. Plinius Myricam & Tamaricem uocat similem Scopis Amerinis, inter infęlices arbores putatam; quia nihil ferat, nec seratur unquam; in Aegypto tamen & Syria abundanter lignosum fructum ferre, maiorem Galla, gustu asperum.

CAP. XLVIII.

TRIPARTITA seminis sede pauca in genere arboreo reperiuntur: hucusque autem nouimus Buxum, & Myrthum, quarum flores summis fructibus insident. Buxus arbor est tenuis: materie densissima, & ualde æquali: colore pallido ad lautiora opera, quæ torno elaborantur utilis: cortice albo, & scabro: foliis densis, & paruis in rotunditate, oblongis, perpetue uirentibus, opere Topiario: flosculos fert inter folia racematim colore pallido: fructum colore uiridi, aridum Myrtho paulo maiorem, qui in summo in tres partes dehiscens bina semina in singulis ostendit oblonga. Theophrastus de Buxo hæc habet: magnitudine non excellit folio Myrthi: nascitur in locis algentibus, & asperis, perpetue uirens: serotina admodum fructum fert ingustabilem omnibus animalibus: materies spississima, & grauissima, etiam cum sicca est, rimas non sentiens, enodis; unde simulachra sculpere solent perpetua: medulla inest parua, & incerta. Plinius tria genera tradit Gallicum, quod in metas emittitur, amplitudineque procerior est.

Olea-

Oleastrum in omni usu damnatum; fert grauem odorem. Tertium nostrate, quod putat sylueſtre, mitigatum ſatu, diffuſius, & denſitate parietum, uirens ſemper, & tonſile. An Oleaſtrum fuerit denſiſſimus frutex, qui in ſcopulis maritimis ſponte viuentorum tondetur Buxi modo, quem Alaternum alibi uocat?

CAP. XLIX.

MYRTHVS arbor eſt fruticoſa in ſterilibus montibus, & maritimis naſcens: ſubruſſo cortice: materie candida: foliis Buxo latioribus, in acutum deſinentibus, odoratis, perpetuiſq;: flores fert candidos, foliatos, multis in medio ſtaminibus, ex alis foliorum longo pediculo prodeuntes, ex quibus aqua odorata per diſtillationem extrahitur: fructus oblongos, Oleę figura minores, qui in tres apices florem ſuſtinentes deſinunt: intus ſemina multa, candida, & depreſſa triplici ſepto membranaceo diſtincta continentur, circundata exterius communi pulpa odorata: color in maturitate, aliis niger, aliis ex rubro candicans: differt quoque latitudine foliorum, & anguſtia. Ex Hyſpania quoddam genus habetur anguſtiſſimi folii, ſed numeroſiſſimi: coluntur in hortis opere Topiario, licet in montibus cædantur hodie ad coria depſanda, ut Rhus, & Lentiſcus. Dioſcorides Myrthum domeſticam uocat, candidam, & nigram, licet in eodem genere quandam montanam appellet in Medicina magis probatam, fructu tamen infirmiori. Sylueſtrem autem Myrthum inter ſuffrutices recenſet Oxymirſinem & Ruſcum appellans, de quo nos ſuo loco dicemus. Ad Myrthi caudicem adnaſci uerrucoſum quid intumeſcens, & inæquale, & concolor, ueluti manus caudicem amplectens, Myrthidanum uocant, quòd in paſtillos coactum, & umbra ſiccatum, multo efficacius eſt ad aſtringendum, quam folia & ſemen. Plinius coniugalem quandam uocat à coniugiis dictam, nam Veneri dicata eſt. Hanc noſtratem eſſe folio patulo, Tarentinam aliam folio minuto, Exoticam denſiſſimo ſenis foliorum uerſibus. Theophraſtus arborem in fruticem tranſire, niſi ſæpius purgetur, & quo pauciora reliqueris melius germinare, & fructum copioſius ferre. Agit uitam ancipitem in montibus ſcilicet & planis. In agro Latino in planis. Mons Cyrceius ea ſcatet, quæ modo Coronarij generis videtur, cum cæterę ampla exeant magnitudine, perpetue viret: foliis crebris, anguſtis, & odoratis: flos ſuper fructum inſidet: fructificat autem ex annotinis: fructus vinoſus: oritur ligno & ramo; ex ſemine degenerare aiunt, nec colorem ſeruare, ſed ex fructu nigro rubrum fieri. In Ægypto tenuis eſt, & odore longe præſtantior: fructu exiguo, nec candido, ſed nigro.

QVA-

CAP. L.

QVADRIPARTITA seminis sede habentur manifeste quidem Siler, obscure autem ob fructus paruitatem Vitex. Siler quem vulgo Silium, alij Fusaginem uocant, arbuscula est in sæpibus nascens inter Ligustra, & sanguineos frutices: cortice constat candicante: materie densa, candida, quæ laudatur ad parua opera Torno elaboranda, & fusos: quia non curuatur: folio latiore quam Ligustrum, serrato: floret uere in racemulis paruis: flosculus ex uiridi candicans: siliquas fert quadrangulas, quasi cruciformes, in maturitate puniceas: in singulis loculis, singula aut bina semina continentur, magnitudine Viciæ, tenui quodam pericarpio croceo obducta, quibus mulieres vtuntur ad capillum nutriendum cum axungia. Plinium puto hanc Sileris nomine intellexisse, quamuis paucas de ea tradat notas: recenset enim cum virga Sanguinea, & Ligustro Silerem, cuius folia illita fronti capitis dolorem sedant: eiusdem semen tritum cum oleo Phthiriases coercet: serpentes & hunc fruticem refugiunt: baculumque rustici ob id ex eo gerunt: gaudet aquosis, vt etiam Ligustra: Theophrastus videtur eandem Euonymum appellasse, arborem Punicę magnitudine: folio maiori, & molli: germinare incipit mense Septembri: floret in vere: flos colore albæ Violæ: odore graui veluti cruoris: fructus cum putamine Siliquæ Sesamę proximus, intus solidus in quatuor partes diuisus: hic pecus enecat gustatus, etiam folium, præsertim capras. Forte melius hæc Atractylis dicenda esset à fuso, quam spinosa herba in genere Cniciphonos appellata à Theophrasto; quia cruorem fundit, & redolet morticinium. Nam similitudine odoris, non vsu aliquo, fusorum translatum videtur nomen Atractylidis ex Fusagine in Phonon, quem Theodorus Fusum sylueſtrem vertit. Plinius ex Theophrasto Anonymon deprauate forte legit non absimilem Punicæ arbori, interque eam & Laurum folij magnitudine: figura vero & mollitia Punicæ: flore candidior est, statim pestem denuncians. Fert siliquas Sesami Similes quadrangula figura: intus granum spissum lætale animalibus, nec non & in folio eadem vis.

CAP. LI.

VITEX vulgo Agnus Castus, arbor est minor Salice, virgas longas ferens, lentas, cinereo colore: folia Salicis, sed in vno pediculo plura, Canabis modo: floret in summis virgis per interualla, vt Marrubium: floribus Verticilli modo cingentibus surculos: figura Rorismarinis Coronari, sed magis in cęruleum vergentibus: fructus rotundos,

rotundos, aridos, Piperis magnitudine, cinerei coloris, quaternis intus seminibus, sed vix discretis, odore acuto. Theophrastus Agnon vocat vt Dioscorides, sed non bene Theodorus Amerinam vertit Salici ascribendam: frutex ex cultu arborescit: flos super fructum insidet: frutificat cacuminibus. Plinius Viticem scribit non multum à Salice distantem Vitilium vsu: foliorum quoque aspectu, nisi odore gratior esset. Agnon à Græcis vocatam; quoniam castitatis custodiendæ gratia Matronæ his foliis cubitus sibi sternunt. Duo eius genera: maior in arborem Salicis modo assurgit: minor ramosa: foliis candidioribus, lanuginosis, prima album florem mittit cum purpureo, quæ & candida vocatur; nigra, quę tantum purpureum: nascuntur in palustribus campis. Dioscorides inquit frutex est in arborem assurgens: nascitur in fluminum ripis asperisque locis: ramos gerit longos, fractu contumaces: folia Oliuæ, sed molliora, Duo genera eius: vna album florem mittit cum purpureo, altera tantum purpureum, & semen vt Piper.

CAP. LII.

MVLTIPLICI seminis sede, & indeterminatiori numero multa reperiuntur: horum autem quædam fructum ferunt exterius communi cortice in tectum, vt Malorum genera, quædam eundem habent tegente proprio singulorum corpore, vt Conifera: hæc enim veluti ex squamis compactilem fructum ferunt, sub singulis squamis semina continentur, vt Pinus, Picea, Abies, Cupressus, & cætera huiusmodi. Seminis autem cor in omnibus iis est in parte inferna. Flos autem nullus, aut si quis est, amentaceus est: constant omnia succo pingui, quæ Resina appellatur, sponte, aut vi ignis resudans ex ligno, aut etiam fructu, & foliis: omnibus folia angustissima sunt & dura, longissima quidem in Pinu, breuissima in Cupresso, medio modo in Abiete. Pinus ingens est arbor in montibus apricis: cortice scabro, & subrubenti: materie robusta, sub flaua, odorata, pingui: Rami ordine prodeunt ternis per interualla germinibus, vt eius summa in amplam latitudinem ad rotæ similitudinem spargantur: foliis in modum setę productis, acutis, perpetuis numeroso ordine totos ramos vestientibus: Amentaceum quid fert vere puluerulentum: Nuces in rotunditate modice oblongas, turbinata figura, implentes vtramque manum, ex lignosis squamis compactas: subsingulis squamis bini, vt plurimum continentur nuclei, oblongi, ossei, subnigro quodam puluisculo obsiti: seminis medulla intus pinguis, gustu dulcis, & odorata, non bipartita, vt in cæteris plurimis, sed veluti in aluo nouellam Pinum tanquam fętum continens, cuius radix inferius spectat, quo modo tantum nascitur vnica radice in altum

dimissa. In hoc genere fęminam vocant longiorem nucem ferentem, marem autem rotundiorem. Pinaster id est Pinus syluestris in cæteris similis, sed graciliori caudice; nuce pyramidali: nucleis ob paruitatem inutilibus, pręterquam ad columbarum cibum; his enim vberius fętificantur: sunt nuclei nigriores, ac dentibus fragiles, quibus membranacea quædam ala adnexa est. Aliud genus paruum in maritimis oritur; łęui cortice ac cinereo: nucem hæc Pinastro similem fert, sed multo minorem: folia capillamenti modo tenuissima: Picea, quam in Alpibus Fędam vocant: quia vtuntur ad lumina, erecto caudice assurgit, non fisso in ramos, vt Pinus, sed ab imo ad verticem vsque ramis veluti brachiis gradatim porrectis, vt in Abiete, vtrisque minor: foliola fert breuia specie quidē Pini, totos ramos circundantia, sed breuiora multo, tenuioraque, & virentiora; paniculas potius quam conos fert, longas, & graciles, tereti figura, ex tenuibus squamis compactas, & fragilibus, resinosas, atque odoratas, in quibus semina exigua continentur ferme foliacea. Audio in Tridentinis montibus alias differentias reperiri. Quandam in genere syluestris Pini ramos ferre humi procumbentes, vtilem ad cingenda vasa vinaria: aliam aspectu Piceę, sed foliis Pini: nucleis fragilibus, vt facile dentibus comminui possint, Cerabrum vocant: aliam, cui soli folia decidunt hyeme, eximiæ proceritatis: cortice valde crasso, rimosoque, intus rubente: ramis è caudice gradatim prodeuntibus, ad natis multis more Salicis, lentis, colore luteo, odore non iniucundo: foliis densis, oblongis, mollibus, comosis, Pineis angustioribus, & minime aculeatis: conos ferre Cupressinis admodum similes, cui & similis existit, cum nouella est, odore non ingrato: Flores ineunte vere emergunt in cacuminibus in purpura valde rubentes, odoratique: materies durissima, præsertim quæ in meditullio rubescit. in hac sola Agaricum reperiri: Resinam fundere liquidam, quæ pro Terebynthina venditur, hanc vero Laricem vocari. Theophrastus Pinum Gręce Peuce vocat: Piceam vero Pityn, licet Theodorus eandem aliquando Laricem vertat. De Pinu igitur hæc habet, arborem proceram nodosam, non nisi locis apricis prouenire: radicem vnam, & pręgrandem, quæ in altum descendit, paruis compluribus ab illa prodeuntibus, sed nulla sobole; iis enim adustis nunquam regerminare visa est: vetustate Tedam ingerit radice & medulla, quę lignosa est: per morbum autē tota efficitur Tęda: ramos ex ęquo conditos habet, geniculis inuersus rectos porrectis, germinatione ter intermissa paucis diebus, & ter nouis editis per interualla germinibus deciso cacumine inarescit radicitus eodem anno: semine tantum prouenit: folia capillata, pinguia multa excauata, profunda, & inclinata, extremitate pungentia: præter fructum amentum fert deciduum, quem aliqui florem putant: genera vero assignat Vrbanam; & syluestrem: Vr

banæ

banæ quoddam genus folium habere perpetuum. sylueſtri autem omni id perpetuum eſſe, cuius duo genera, Ideam in monte Ida, erectiorem, ex celſiorē, ramoſiorē, & craſsiorem, quæ & copioſiorē dat Picem: Nucem vero oblongiorem, viridem, quę minus dehiſcat: Marittimam alteram: folio tenuiori, imbecilliorique: cortice leuiori, vtiliquè ad coria: lignum validius: nucem rotundam, quæ breui dehiſcat: Alij Ideam fęminam eſſe: marittimam autem marem; & tertium genus addunt ſterilem, quę conifera non ſit. Quod vero Pinis ſubnaſcitur colore Teda rubidius, maribus potius ineſt, odoris grauiſsimi, nec Tędam redolens, nec flagrans, ſed ab igne diſsiliens: ex quibus colligi licet vrbani quoddam genus eſſe, cui folia decidunt, quod in ea ſolum eſt animaduerſum, quę Larix putatur: Nam & Plinius Larici tribuit, quę Theophraſtus Pino: cui autem folia inſunt perpetua, in genere vrbano notiſſimum eſt, id ſcilicet, quod initio deſcripſimus. Sylueſtris autem genera iis, quę poſuimus, ſatis conuenire poſſunt, quamuis id, quod in marittimis vidimus, non rotundam ſed oblongam nucem ferat, in acutum deſinentem, quaſi mas & fęmina, & in marittima, & in montana, & in vrbana notari poſſint. De Picea autem ſcribit, caudicem Pino minorem, minus erectum habere, & euidentiorem, ideſt materiam magis perſpicuam, & operibus tenuiorem, id eſt minus aptam: folia capillata quidem, & in extremo pungentia vt Pini, ſed pauca, tenuiora, ſqualidiora, & horrentiora, perpetua: conum minorem, & nucleum horridiorem, magis reſinoſum: aduſtis radicibus regerminare affirmant: montibus propriam; quia in planis naſci nequit: auctu facillimam, & protinus fructiferam: amentum ferre, quem alibi racemum florentem appellat, non vuam, vt Theodorus vertit. Duo genera eſſe vrbanam, & sylueſtrem: Vrbanam, quæ conifera alibi φθοροποιὸς cognominatur. Theodorus Piceam Tineoſam vertit: puto autem à fragilitate nucleorum potius cognominari: φθορὸς enim fragilem ſignificat. Plinius Sapineum vocat huiuſmodi fructum è Picea ſatiua, nucleorum cute verius, quam putamine, adeo molli, vt ſimul mandatur. Alterum Tarentinum digitis fragili putamine, auiumque expoſitum furto in arbore, fuerit autem hic, quam Cerabrum vocari diximus in Tridentinis montibus. Sylueſtris autem Picea φθειρόφορος: id eſt pediculifera cognominatur ab eodem Theophraſto: exiſ ſemine vt Cupreſſi, qualis ea eſt, quam vulgo Tędam vocari diximus. Plinius autem ſex cognatas arbores tradit. Pinum, Pinaſtrum, Strobilum, Piceam, Laricem, Tędam. Pinus in vertice tantum ramoſa, fert minimum reſinæ, interdum ex nucibus ipſis, quæ grandiſſimæ ſunt, quæ noſtra eſt vrbana. Pinaſter mira altitudine, & à medio ramoſa, copioſiorem dat reſinam: Videtur Ideam intelligere. Strobilus per oram Italię gracilis, ſuccinctior, & enodis penè ſine reſina, ad vſus liburnicarū,

marittimam intelligit. Picea montes amat & frigora, plurimam resinam fundit interueniente candida gemma, qua Thus adulteratur: folia breui seta, & crassiore, & dura: rami statim à radice modici velut brachia, lateribus inhęrent, vt in Abiete, materia vtilis ad trabes, & alia opera plura, resina ei, vitium est, quam paucam resudat solibus; Videtur autem vrbanam Piceam intelligere, cuius fructum Sapineum vocari scribit, nõ enim syluestrem intelligit, cum eius materies sit operibus inepta, & resinæ plurimum ferat. Larix in eodem situ nascitur, quo Picea, eademque facies, altior, materia longe prestantior, incorrupta, emori contumax, rubens, & odore acrior: cortice crassior, leuiorque: folio villosior, pinguior, & densior, moliorque flexu, totaque horridior, & perfusa resina. At Piceę rariora, siccioraque folia, & tenuiora, ac magis algentia: plus Larici erumpit liquoris melleo colore, atque lentiore, nunquam durescentis: eius morbus est, vt Tęda fiat, sed à cæteris differt: aliarum enim Tędę accensæ fuligine immodica carbonem repente expuunt cum eruptionis crepitu, eiaculanturque longe, excepta Larice, cuius Tęda nec ardet, nec carbonem facit, nec alio modo ignis vi consumitur, quam lapides. Cæterę quoque perpetuo virent, nec facile discernuntur in fronde à peritis: Larix vstis radicibus non repullulat Picea repullulat. In cęteris nucamenta paniculatum modo squamatim compacta pendent, præterquam Larici. Datur mas & fęmina, vt in cæteris generibus, in Macedonia Laricem masculam vrunt ad picem: fęminæ radices tantum: hæc satis conueniunt Larici superius dictæ. Tęda proprie dicta abundantior succo, quam reliqua parcior, liquidiorque, quam Picea, flammis, & luminibus sacrorum etiam grata, eandem videtur intelligere sub nomine Piceæ, cũ inquit, eam totis paniculis minoribus, quam in Abiete mascula, & gracilioribus, nucleos minimos ac nigros habere, propter quod Gręci Phthirophoron appellant: in eadem nucamenta compressiora maribus sunt, ac minus resina roscida. hæc Piceę syluestri cõueniunt, quam etiam hodie Tedam vocant. Dioscorides meminit Piceę, & Pini, & Strobili arboris: eadem vi corticis & foliorum, quæ Pini & Piceę: resinam quoque Strobilinam inter siccas recenset: Strobilos autem fructus eiusdem laudat ad vrinam & renum vitia, tanquam diuersos à Pityide, qui fructus est Piceæ & Pini in conis repertus ad tussim, & vitia pectoris vtilis: Plinius tamen Pityida vocat Epinastris: meminit & Laricis resinæ sic patrio nomine appellatæ. in Gallia inter liquidas melleo colore, quam nos vulgò Trementinam vocamus.

CAP. LIII.

ABIES arbor est rectitudine & altitudine cunctas excedens: ramis ab imo ad summum vsque caudicis vndique circundantibus veluti infixis vsque in internam medullam, quod materiem nodorum frequentia robustiorem reddit, alioqui neruosam valde: fibris in rectitudinem tendentibus: rami perpetuo ordine coniugatim à lateribus tantum germinant cruciformi aspectu, totam latitudinem implentes, quibus parietes stragulorum vice exornant: nam & folia similiter cuncta per totos ramos tendunt in latera, auium pennas imitantia quæ alioqui uiderentur Piceę, nisi latiuscula, & minus acuta essent, hilari aspectu perpetua, conos fert Piceæ; vomicas habet intra corticis tunicas resinoso succo plenas, quem oleum Abietinum uocant odoratum, uulneribus optimum, lachrymam quoq; fundit ex gemmis more Populi, odoratissimam. Theophrastus de Abiete hæc habet, mõtibus propria; nam in planis nasci nequit, sed in umbrosis pulcherrima assurgit, ut in Arcadię loco quodam concauo, & silente à uentis, quem nunquam solem attingere aiunt: Abietes plurimũ tum longitudine, tũ crassitudine cæteris prestant ex quibus nauium malos & antennas, & trabes optimas faciunt, sed ad lautiora opera in apricis magis laudantur, cortex ex multiplici tunica cõstat; lignum neruosum & fissile; nodis rectis, ramis quodamodo infixis Ideo Abies ualidissima ad pondus sustinendum; nam neque rumpitur, neque cedit, tectis idonea ob corporis raritatem; radicem unam prægrandem in altum demittit vt Pinus, & germinationem similiter intermittit ramis ex æquo conditis, perpetue uiret folia multifida, & quasi serrata extremitate pungentia alarum similitudine, semper in minores pennas desinentia, vt tota species sit Filicis fæminæ, ad eo densa, vt neque niuem neque imbrem transmittant; succum fert pinguem & resinosum; Amentum siue florem croci colore pulchrum, paulo ante solstitium: fructum dimittit post Virgiliarum occasum: prouenit tantum semine: deciso cacumine inarescit radicitus eodem anno. Duo genera mascula & fæmina Mari folia acutiora & magis pungentia, & magis flexa, ideo aspectu crispior tota arbor uidetur, in conis summis paucos fert nucleos, fęmina autem nullos. Plinius Abietem scribit è cunctis amplissimam, cuius fæmina etiam prolixior: materia mollior vtiliorque: arbore rotundior; folio pinnato densa, vt imbres non transmittat, at hilarior intuitu, Abietes masculæ in nucamentis prima in parte nucleos habent, non item fæminæ.

CAP. LIIII.

TAXVS vulgo Nassus vocatur, in Alpibus, arbor Abieti valde similis, minor: foliis nigrioribus acutioribusque: flosculos amentaceos fert inter folia sine fructu: quę autem fructum fert, eum rotundum gerit, & rubentem Agrifolij baccis similem, gustu dulcem, & vinosum: sed qui mandit, in febrem & dissenteriam incidit: lignum subrubens, venosum ac densum, ad lautiora opera tornatile; caret resina: quamuis autem hæc conum non ferat, constitutio tamen fructus similis est, vt patebit in Cedro, & Iunipero: Theophrastus græce μίλον vocat: montibus propriam: in planis nasci nequit: gaudet vehementer vmbrosis: genere simplex, procera, auctu insignis, similisq; Abieti, non adeo excelsa, magisque alis sinuata: folio quoque similis: sed pinguior, molliorique ligno: quæ in Arcadia nascitur, nigro aut puniceo; quæ autem in Ida, flauo, & Cedro simili, vt pro eo vendant; nam totum cor esse videtur detracto cortice, quem scabritia, & colore Cedro similem habet: fructum fert Faba paulo maiorem, rufum & mollem, qui ab aliquibus hominibus innoxie manditur, suauisque: folia aiunt iumentis lætalia, ruminantibus nequaquam: perpetue viret: germinat tardissime: floret, & fructum reddit cum Abiete. Plinius Taxum scribit Abieti similem, minus virentem, gracilem & tristem, ac diram, nullo succo: ex omnibus solam bacciferam. Mas noxio fructu, præcipue in Hyspania, lætale venenum baccis inest, vasa etiam viatoria ex ea vinis facta in Gallia mortifera fuisse compertum est. In Archadia tam pestilentis veneni, vt si qui dormiant sub ea, cibumue assumant, moriantur: sunt qui toxica venena, quondam taxica ab hac arbore appellata scribant. Dioscorides Smilacem vocat Abieti similem in Italia & Narbonensi Gallia Hyspaniæ contermina; baccis noxiam in Italia, vmbra in Narborensi.

CAP. LV.

CVPRESSVS arbor est, quam iuxta sacras ædes serunt ornatus gratia, in rectitudine tantum crescens, more Abietis & Piceæ: ramis dense circumuestientibus, modo fastigiatis, quæ fæmina vocatur: modo ad latera sparsis, quæ mas; foliis nullis, sed ipsamet germina tenuiter Feniculi modo scissa: folia videntur pulposa, insunt tamen in nuper nascentibus foliola breuia acutaue, sed hæc in adultis degenerant, in breuissimas veluti squamas totos surculos conuestientes: amentaceum quid exile fert, in summis germinibus, conum Nucis magnitudine, ex crassis & lignosis squamis constantem, quibus dehiscentibus

bus parua quædam semina decidunt. lignum odoratum, & resinosum, non sentiens putredinem. Theophrastus arborem proceram scribit, & longo caudice: lignum macilentum, perpetuum, rimas non capit ob carnis æqualitatem, vnde symulachra fiunt: radices summę hærentes terræ: sed nulla sobole; folia carnosa velut pulpa constantia, perpetuo virentia, semina parua visu vix percipienda, non enim fructus id totum est, quod pilæ speciem gerit, sed quod cono innascitur, prætenue, exile, & quasi Piceæ semini proximum, quod pilula sua dehiscente dilabitur, & legi proinde non nisi ab experto homine potest. Ex semine tantum prouenit cæteris in locis: At in Creta etiam trunco. est enim Cupressus illi insulæ familiaris, vt vbique etiam terra subacta, & dimota sponte nascatur. Est mas & fæmina, sed ex semine plerumque pro fæmina marem nasci affirmant: fimum & aquam nullo pacto concupiscit, imò emori dicitur, si nouella copiosè adaquetur. Plinius aduenam in Italia quondam fuisse, & difficillime nascentium, Diti sacram, & ideo funebri signo ad domos positam. Duo genera earum Meta in fastigium conuoluta quæ fæmina appellatur. placebat tantum distinguendis Pinorum ordinibus, postea tonsilis facta in densitate parietum coercita gracilitate, perpetuè tenera: trahitur etiam in picturas opere Historiali. Venatus, classesue, & imagines rerũ tenui folio breuique ex virente superuestiens. Mas spargit extra se ramos, deputaturque, & accipit Vitem, vtraque autem immittitur in perticas asseresque amputatione ramorum, qui decimo tertio anno denariis singulis veneunt. Quæstuosissima in satus ratione sylua. Vulgoque dotem filiarum antiqui plantaria appellabant.

CAP. LVI.

AD Cupressum reduci oportere videtur Thuia apud Theophrastum: nascitur in montium cacuminibus & locis algentibus, apud Ammonis Fanum, & in Cyrenensi agro, excelsa, Cupresso similis tum ramis, tum foliis, caudice, fructuque, vel potius ceu Cupressus syluestris: materies incorrupta omnino, vt contignationes ex ea vetustissimæ reperiantur: radice arboris nihil crispius, ex qua præciosa opera conficiunt & symulachra. Plinius hanc Cedrum ab Homero Trogetem vocari, ab aliis Thya celebrem, non modo ad vetustissimas contignationes, sed etiam ad mensas, vt Ciceroniana memoria est, arbor Cupresso fęminæ etiam num syluestri similis, folio, odore, caudice. laudatissimam fert mons Anchorarius citerioris Mauritaniæ, præcipua dos mensis in vena crispis, vel in vertice variis, quibusdam Tigri, quibusdam Pantheræ similitudine, quædam vndatim crispæ maiore gratia, si Pauonum caudæ oculos imitentur, sed harum materia Tuber est radicis vitium.

SABINA

CAP. LVII.

SABINA uulgaris arbor in marittimis, petrosis, crassior Iunipero: alioqui similis tum cortice, tum ligno; sed foliis Cupressi: in nuper tamen nata folia sunt Iuniperi pungentia, sed breuiora: fructus fert rotundos, flauescentes, magnitudine Fabę, resinosos, in quibus tria aut quatuor semina continentur, vt Iunipero, tota odorata est. Dioscorides in codice Hermolai Iuniperum maiorem vocat, seu Cupressum sylueſtrem, Cupresso persimilem, quę nascitur in asperis, ac fere marittimis. Theophrastus quoque Iuniperum vocat, licet ab aliis Cedrum, vocari testetur: sed foliis maxime distat: non enim dura & acuta, qualia Oxycedro, sed mollia Iunipero sunt folia: excelsior quoque nasci videtur. Plinius hanc inter Cedros minore odore præstantem scribit. Sabina vera arbuscula est breuis, cacumine, & omnibus ramis deorsum inflexis in terram, vt in quodam genere Iuniperi contingit: folia Cupressi viderentur, nisi squamulæ acutiores essent, odore acri: fructum non vidimus. Dioscorides duas affert, vnam, quam modo descripsimus, breuem, & in latitudinem magis fusam: folio Cupressi, spinosiorem: odore graui, acuto, feruenti gustu, qua ad suffitus pro Thure vtuntur. Alteram Tamarici similem. Plinius herbam Sabinam vocat, quam Græci Bratym appellant, duorum generum, Altera Tamarice folio similis est, altera Cupresso. quare quidam Cupressum Creticam vocant à multis in suffitu pro Thure vsurpatam; propagine seritur & auulsione, vt Rosmarinum, quoniam neutri semen inest.

CAP. LVIII.

IVNIPERVS arbuscula est, fruticosi potius generis: cortice scabro, & deciduo: ligno crispo, & flauo, odoratoque, tenuem lachrymam gignens, resinosam, Vernicem vulgò appellant fabris & pictoribus vtilem ad tectoria cum oleo: folia Piceæ robustiora, magis pungentia, & superne candicantia, quæ floret, fructum non fert: sunt autem flosculi amentacei exiles inter folia: quæ fructum fert, non floret: fructus baccas est rotunda, tanquam ex tribus squamis constans: vnde paruus quidam triangulus in summo apparet: pulpa non lignosa, vt in cæteris coniferis, sed in maturitate mollis, & dulcis cum quadam acredine: semina intus tria, aut quatuor continentur, veluti triangula: maturescit anno secundo, vt aliquando fructus trium annorum continantur, cum is, qui maturus est, seruatur ad tertij anni fructum nascentem. Eius duo genera summa, vnum in montibus magis, & locis algentibus:

fructu

fructu magnitudine Myrthi, in maturitate nigro: flosculus similiter eius generis nigricat: Alterum in marittimis: fructu nucis Auellanæ magnitudine, in maturitate flauo: flosculo autem eius generis flauescente. Reperi & Montanum fructu flauo. Montanum facilius in fruticem degenerat; & quoddam Sabinæ modo toto frutice in terram inclinatur: Marittimum magna ex parte crassius, ramis minus densum. Dioscorides marittimum, Iuniperum minorem vocat, fructu Auellanæ magnitudine, odorato, rotundo, & in mandendo dulci cum quadam salsedine, montanum autem non Iuniperum sed Cedrum appellat Iuniperi modo baccas ferentem, Myrthi magnitudine, rotundas. Videtur autem duo Cedri genera ponere magnum scilicet & paruum, licet verba eius non exprimant in nostris codicibus: in quodam tamen vetusto codice in hunc modum reperitur. Cedrus arbor magna est, ex qua picem colligunt, quæ Cedria vocatur: fructum fert vt Cupressus, sed vt plurimum maiorem. fertur autem & altera Cedrus parua aculeata, quæ Iuniperi modo baccas parit Myrthi magnitudine, & quæ sequuntur. Galenus quoque id comprobat asserens. Cedrus specie duplex est, altera fruticosa Iuniperis assimilis, altera arbor non exigua. Plinius similiter minoris & maioris Cedri meminit: minor Iunipero similis: duo genera, Lycia, & Phœnicia, differunt folio: nam quæ durum, acutum, spinosum habet, Oxycedros vocatur, ramosa & nodis infesta. Altera odore præstat: fructum ferunt Myrthi magnitudine, dulcem sapore. Videtur autem, intelligere per Oxycedrum Iuniperum montanam, per alteram autem odore præstantem, nostram Sabinam vulgarem: vtrequeenim fructum ferunt Myrthi magnitudine, licet Sabina illa paulo maiorem habeat, quam Iuniperus montana: Maioris quoque Cedri duo genera esse tradit, quæ floret, fructum non fert: fructifera non floret, & in ea antecedentem fructum nouus occupat: semen Cupresso simile, Quidam Cedrelatem vocant ipsam magnam Cedrum, cuius laudatissima resina Cedria appellata, & materies æterna, ex qua Deorum simulachra factitauerunt. hanc diuersam à Thuia puto, de qua superius diximus. Nam & apud Theophrastum reperio huius Cedri magnæ factam mentionem præter Thuiam. De Iunipero autem idem Plinius, vt Dioscorides tradit, duo genera, maiorem & minorem. Alibi scribit Iuniperos non florere: Quidam earum duo genera tradunt, Alteram florere nec fructum ferre, quæ vero non floreat, ferre protinus baccis subnascentibus, quæ biennio hæreant; eius oleo vires Cedri insunt: nam materies perunda, nec tineam, nec cariem sentit. Vasta hæc in Hyspania maximeque baccæ eius: medulla eius vbicumque solidior etiam, quam Cedrus, videtur autem intelligere Dioscoridis Iuniperos, scilicet vnam fructu nucis Iuglandis: Alteram Auellanæ. Theophrastus diuersas affert sententias,

circa Iuniperi & Cedri appellationes. Nam quidã duas Cedros tradunt, vnam Lyciam, alteram Phęniciam. Alij vnicam tantum esse Cedrum similem Iunipero, sed folio maxime distare; nam Cedro durum & acutum & spinosum esse; Iunipero autem mollius, quæ & excelsior est. Ex quibus colligo per Cedrum intelligere nostras Iuniperos, per Iuniperum autem nostram vulgarem Sabinam. Quod autem subiungit ex aliorum sententia vtrasque Cedros vocari, sed alteram distinctionis gratia Oxycedrum, idest Cedrum acutum appellari; in eisdem versari videtur, scilicet non pungentem Cedrum vocari, pungentem autem Oxycedrum: vtrasque nodosas, alosas, & ligno tortuoso. Aliter autem decernere videtur, cum subdit, magis autem Iuniperus paruam habet & densam medullam, &, cum ceditur, cito putrescentem. Cedrus autem plurimum cordis habet, & non putrescit; cor in vtrisque rubet, in Cedro quidem odoratum, in altera autem nequaquam. fructus autem Cedri quidem flauus, Myrthi magnitudine, at Theodorus non hoc modo legit, sed pulcher; odoratus, gustu suauis: Iuniperi autem in cæteris similis, sed niger, acerbus, & quasi ingustabilis, durat in annum, decidens, cum alter subnatus fuerit; At vt Arcades volunt, fructus simul ternos retinet; idest anni proxime exacti non dum maturum, & tertij ante pręsentem maturum atque gustabilem, & tertium nouum ipsum demonstrant. Ambas sine flore, cortice similes Cupresso, verum scabriori: radices raræ & summa tellure, nascuntur in saxosis & frigidis locis, ex quibus colligere licet per Iuniperum significare nostram montanam Iuniperum, per Cedrum autem Marittimam. Ad hanc Iuniperi acceptionem reduci videntur, quæ alibi sparsim de Iunipero scribit, scilicet montibus propriam esse; non florere vel, vt Alij; Alteram quidem florere, sed fructum non ferre: Alteram non florere, sed protinus fructum ostendere, solam hanc in biennium fructum seruare, & tardissime omnium perficere in cacuminibus montium, & locis algentibus nasci quidem, sed non in excelsum: ad rem ædificatoriam, tum subdiualem, tum obruendam sub terra commodam esse, quia eo modo durat immunis à putredine, lachrymam gignere. Ad Cedrum autem eo modo acceptum reducenda sunt, quæ sparsim de Cedro loquitur, scilicet lignum esse macilentum, seu materiem excarnem esse, & æqualem, vt rimas non capiat, perpetuam, vnde symulachra sculpere solent: folia extremitate pungentia, radice per summa inniti. In Syriæ montibus longitudine & crassitudine præstantissimas esse, vt sint, quas vlnæ hominum quatuor nequeant amplecti, & inibi vti ad Triremes. Deciso cacumine interire, vt quidam testantur. Eius materiem natam esse humorem emittere, vt cæteræ, quibus humor inest oleosus. Quamobrem visas esse statuas è Cedro aliquando sudasse, propterea ex his Deorum statuas condere solent. Ex quibus significatur

Cedrum

Cedrum quandam magnam esse congenerem minori, cuius etiam meminit Plinius, & quam videtur intellexisse Dioscorides. cum Cedrum inquit esse de magnis arboribus, quæ picem dat Cedriam vocatam: Ex lignis Iuniperi montani igne superposito liquor extrahitur, qui oleũ de Iunipero vocatur apud Mesuem, efficacissimum ad cutis infectiones, & alia multa: Si hoc pro Cedria vteremur, puto non minorem in ea efficaciam futuram, quàm si ex magna Cedro haberemus. Ex fructibus quoque oleum extrahitur per sublimationem vino prius madefactis; qua operatione & aqua & oleum elicitur; Aqua ad calculum renum & vesicæ prodest, vrinam & menses elicit singulis diebus potà duabus vnciis ad tres; extrahit quoque fœtum mortuum vnciis quatuor hibita; aduersatur venenis: Oleum efficacius ad omnia prædicta: extrinsecus quoq; iungitur ad frigidos articularium dolores, & tetra vlcera. Recipitur in aqua ardente adiectis aliis quibusdam aromatis, & pugnantibus aduersus putredinem pestilentem, ut ex omni miscella iterum aqua distilletur, præsentaneum remedium in febre pestilenti, exhibita à drachmis duabus usque ad quatuor cum totidem unciis aquę Acetosę paulo ante accessionem; Nam ueluti fulgur propellit ab internis, & dissipat malignam putredinem, nunc sudores mouendo, nunc urinam copiosam, aut aliam insensibilem excretionem, repetitur potio usq; ad tres uices. Ex fructibus iisdem, aut Iuniperi marini, cum maturi sunt, uino remollitis exprimitur liquor, qui saccaro exceptus, utilissimus in tempore pestis; præseruat enim ex pulmone ac pectore educit purulenta.

CAP. LIX.

MALORVM genus fructu constat pulposo: sed pulpa in aliis reperitur simplex, vt in Malis proprie dictis & Piris: in aliis duplex, vt in Citrio, Aurantio, Limone; Quorum interna substantia, in qua iacent semina, succo constat, veluti ex paruis vtriculis congesta, sapore acido, intercursantibus membranis multa semina cum succo claudentibus, distinctis, vndique septis pro sedis seminum multitudine: externus cortex est continuus, carnosus, & crassus: arbor Lauro similis tum cortice, tum foliis, maioribus tamen, mollioribusq;, & magis odoratis; aculeos habet rectos, & robustos, non tamen frequentes: flores candidos ex pulposis foliis constantes, valde odoratos: in sede fructus: gaudet apricis & læto solo: exornat viridaria, & parietes cõuestit perpetua fronde & fructu, qui etiam maturus diutius conseruatur in arbore, donec alter subnascatur. Distat fructu, qui in aliis oblongus est, in aliis rotundus: magnitudine quoque & paruitate: sapore: aliisq; differentiis. Citrus fruticosa est: longioti folio: fructu grandissimo,

quod Citrium vocatur, aliquando magnitudine Melopeponis, oblongo, & tuberoso, colore pallido exterius: carne candida, duriuscula, dulci, & valde odorata: internus succus subalbidus, parcior est, & valde acidus: semina oblonga, membranoso cortice intecta, quo ablato semina videntur Piri, amara: toto anno floret; facile prouenit ramo sata commodissime iuxta parietes, vt rami affixi pondus fructus sustinere queant: radices Vitis modo, alias profundas, alias summa tellure agit, sed has amputant, ne in æstu arefcentes totum fruticem lędant. Theophrastus Malum medicam, seu Persicam vocat: Mediæ, & Persiæ peculiarem: arborem folio Potulacę, odoratissimo, aculeis vehementer acutis, & validis, vt in Piro, & spina acuta. Pomum eius non manditur, sed odore præcellit, huius gratia conditur inter vestes, vt à tineis defendantur: facit & ad oris suaueolentiam, & mortifera venena ebibita, siquis interna eius decoxerit, expresserit, ac absorbuerit. fert poma omnibus horis, aliis decidentibus, aliis subnascentibus, aliis maturescentibus, floribus iis tantum fructus enascitur, qui veluti colum extantem in medio gerunt, qui ea carent infęcundi labuntur; seritur semine sulcis, aut vasis fictilibus, perforatis, & cum adoleuerint, transferuntur vere in solum pingue, & riguum. Plinius Citrum vocat, quam aliis malum Assyriam, alii Medicam vocant recensens eadem, quæ ex Theophrasto scripsimus. Tentauere gentes transferre ad se propter remedij præstantiam, sed nisi apud Medos & in Perside nasci voluit. Hæc est, cuius grana Parthorum proceres incoquunt esculentis commendandi halitus gratia. In sacris Citri, & Cedri fruticum, fumo vtuntur. Citria mala contra venenum in vino bibuntur, vel ipsa, vel semen: ipsa vero contra stomachi infirmitatem, sed non nisi ex aceto facillime manduntur. Dioscorides tradit Malum oblongum esse, rugosum, colore aurum imitans, cum grauitate, odoratum: semen Piri. Ex quibus affirmare licet pomum hoc translatum in Italiam cultu, aut cælo adeo mitigatum esse, vt non amplius ingustabile sit, sed per se suaue tum crudum, tum saccaro conditum. Limon arbor est Citro similis, tenuioribus tum foliis, tum fructu, qui similiter oblongus, & tuberosus, & pallidus est, sed multo intus succo acido, parua corticis pulpa dulci, quæ tenerior est Citrio, & cibis facilior cum interno succo. Eius plures differentiæ, quidam enim oblongiores, asperioresque sunt, & cortice crassiori, Citris magis similes, vt qui in Gaieta nascuntur: alij leuiori cortice, tenuiorique, succo acidiori: probantur, qui crasso cortice constant, teneriorique, & succo dulciori, quos dulces Limones vocant: Quoddam præterea genus in Hyspania habetur minimo fructu, vix nucis amplitudine, odore cæteris pręstantiore, excelsiore arbore. Aurantia arbor Limone maior: folium alioqui simile, sed veluti binas appendices iuxta pediculum habet: fructus rotundus aureo colore ad cro

ceum

ceum accedente: fungoso cortice, & amato: succo intus multo pallescente, qui in aliis dulcis est, in aliis acidus, in aliis mediocris, ad sitim extinguendam valde expeditus, floretur copiose mense maio, ex cuius floribus aquam odoratissimam distillant, quam vocant Lanfam. Melangulam, quam alij, Citrangulam vocant, frutice & fructu similior est Citrio; ingens enim est fructus omnium maxime tuberosus, & crispus; colore pallido, sed rotunditas & succus internus inest Aurantiæ: cortex quoque similiter fungosus, sed tener & dulcis, cum læui quadã amaritudine. Ponzirus ambigit inter Limonem & aurantiam, non enim oblongus, vt Limon, nec omnino rotundus, vt Aurantium, vtrisque amplior: cortice crasso & leui, colore ad Aurantium vergente, dulci cum quadam amaritudine, succo intus Limonis.

CAP. LX.

PVNICA, quæ Malum granatum fert, partim cum Citro, & quę eius sunt generis conuenit, partim cum Malis: fructus enim eius, sub externo cortice succum habet, vt Citria & Aurantia, membranis septa distinguentibus, sed peculiari quodam modo; nam in illis succus à seminibus est seiunctus vtriculis quibusdam inclusus. in Granato idem singulis seminibus circunducitur, vinosus, colore carbunculi: sedes quoque seminis diuersa: Non enim ex meditullio oritur, sed ex cortice appendicibus quibusdam pulposis intro spectantibus, circa quas semina cohęrent farcta, ex paruis ossiculis mollibus constantia, quæ simul cum succo manduntur, cortex vero exterior, veluti corium flauum modico rubore aspersum: pulpa intus pallida acerbo sapore & ingustabili, hoc in maturitate abrumpitur, grana intus rubra ostendens. Cum Malo autem conuenit; quia eius flos summo fructui insidet, sed proprio quodam colore puniceo vasculo dentato & rubente inclusus, quod remanet extuberante. Malo, arbor fruticosa non magna, intorta: cortice albo & aspero: materie flaua: ramis spinosis: foliis Oleæ breuioribus, leuibus virentibus: floret æstate: fructum rotundum, & magnum fert. Differentia tantum in succo: aliis enim acidus: aliis dulcis: aliis mixtus medio quodam sapore: dulcia vt plurimum grandiora, granis maioribus, in quo genere quędam reperiũtur adeo paruo osse, vt eo carere videãtur. Reperitur in hoc genere sterilis, sed peregrina in Italia, flores tantum ferens, adeo multiplici folio constantes, vt Rosæ videantur centifoliæ, colore saturato. Dioscorides domesticam & syluestrem affert. Domesticæ fructum aliis dulcem, aliis acidum, aliis vinosum mediæ naturę, horum flores Cytinos vocari. Syluestris florem Balaustium, Cytino similem, aliis candidum, aliis fuluum, aliis colore roseo. ipse vidi tantum colore

Rosæ

Rosę valde saturato. Plinius Malum Punicum circa Cartaginem cognomen traxisse scribit. Ab aliis Granatum appellari, id cui lignosus nucleus abest. Apyrinum grandiori natura, blandioribus acinis, minus amaris, qui membranis distinguuntur: nucleos habentium quinque species, Dulcia, Acria, Mixta, Acida, Vinosa, primus pomi huius partus florere incipientis Cytinus vocatur, flosculi in Cytino erumpentes Balaustia. Esse & sylueſtre Punicũ, à similitudine appellatũ, eius radices rubro cortice, potę sõnos faciunt, semen potũ aquam inter cutem siccat, hodie Medici etiã Cytinos ipsos Balaustia vocant. Theophrastus Punicam ex cultura vnico caudice apparere cęteris abscissis testatur: caudicem breuẽ & contortum: medullam carnosam: radices paucas summæ hęrentes terræ: sobolem sursum versus procreantes: ramos aculeatos: folia angusta: fructum ex humore & cute constantem. semina congesta, putamine inclusa, succum acidum, in aliis dulcem: florem in hac sola puniceum, qui super fructũ insidet, satam ex semine degenerare; nam ex acinis dulcibus vilem oriri (quo loco non γλαυκίων, sed γλυκίων legendum; non enim glaucis acimis reperitur) & ex enucleatis dura, & plerumque acida, in Aegypto tantum ex acida in dulcem cõuersam, & in Cilicia omnes sine nucleo nasci. Quoddam genus fructũ perficere nequit; sed ad florem vsq; generatio tantum prouenit: eius flos copiosus & densus est, & latus amplitudine quodamodo pomi. Ex Malis punicis contusis cum suis corticibus exprimitur succus, qui purgat bilem flauam: idem si coctione inspissetur Polypum narium delet: reprimit enim carnem supercrescẽtem, & tenellam absumit: inest enim in cortice cum astrictione amaritudo quædam.

CAP. LXI.

QVAE in genere Malorum, pulpa simplicis constant, semina in media carne membranosis septis distincta ferunt bina, aut terna insingulis septis, quę autem in hoc genere breui pediculo adnectuntur proprie Mala vocantur, ab aliis Poma: quamuis hoc communissimum sit nomen fere de omnibus fructibus perspicuę magnitudinis: quę aũt longo pediculo pendẽt, Pyra vocantur: omnibus flos in summo fructu insidet. Malus iustę magnitudinis arbor est: cortice leui, & subnigro: longis ramis in latitudinem fusis: folia fert Lauro breuiora, mollia, subhirsuta: florem candidũ, aut modice purpurascentem; fructum magna ex parte orbiculatũ, vtrinque depressum, scilicet quà pediculo nectitur, & quà flos insidet; hic carne constat, vt plurimũ fungosa, succosaque, vnde facile rugas contrahit: sapor aliis acidus, aliis aquosus, aliis austerus, aliis dulcis. Differunt quoq; colore, magnitudine, & figura, adeo vt difficile sit species enumerare. Quæ tamen euidentiores differentias habent, huiusmodi sunt. Cotonea magnitudine pręstant: carne constant durio-

duriori, ficciorique, austera, colore pallido: cortice lana quadam obducto: seminibus rotundis lentore quodam obsitis: arbor breuis: folia latiora, & candicantia: Eorum duo genera, quædam orbiculata & vtrinque depressa, Mala cotonea vocantur: Quædam oblonga, vt plurimum in vertice tenuiora, quasi figura mammæ amplioris molis, Pira cotonea vocantur. Dioscorides illa quidem Cydonia vocat, rotunda, parua & odorata, quæ in vsu medico magis probantur: hęc autem Struthia appellat, magna quidem, at minus vtilia. Theophrastus Cotoneum genere deterius Struthio tradit: nam si semine serantur genere deterius oritur, ex dulci quidem acida, ex Struthia Cotonea. Plinius Struthea lanugine obducta scribit. Melappia parua sunt, nucem vix excedentia, rotunda, exterius tantum pallida, odoratissima, sapore dulci. Viderentur hæc Appiana esse apud Plinium ab Appio è Claudia gente: insito Cotoneo, quibus odor est Cotoneorum, magnitudoque: sed cum obstet magnitudo, melius dicetur apud Dioscoridem Melimela à sapore melleo esse, quæ à multis dulcia Mala vocantur: Nullum enim in genere malorum illis dulcius est. Rosea mediæ magnitudinis sunt orbiculata colore rubenti, qua parte sol aspexerit: odor inest suauis: sapore dulci subacidus; tota hyeme seruantur incorrupta, meliora sunt, cum rugas contraxerint. Dioscorides Epirotica & orbiculata vocat stomacho vtilia. Plinius ex Epiro primum allata putat ob nominis argumentum. Sanguinea Roseis similia, minus odorata, insipdioraque. Plinius colorem sanguineum ex insitu Mori tractum putat: in hoc genere quædam oblongiora, figura Mammæ, acidi saporis, Plinius Orthomastica vocat. Calamagna quasi pulchrę magnitudinis Mala: colore rubente: sapore magis aquoso, Plinius Pulmonia videtur appellasse, quę stolide tument. Quędam colore quasi ferrugineo; solidiori carne; sapore dulci ex austero, vulgo Testa vocant, figura Strutheorum. Quędā parua humili frutice, orbiculata, virētia adhuc, gustui non ingrata. Plinius inter vilissima Daca vocat, quę prima aduētu decerpi properant. Dioscorides per verna hęc videtur intellexisse cio damnata. Sylueſtria similiter parua, quę prę acerbitate ingustabilia, Dioscorides Vernis similia scribit. Multa alia nomina recēset Plinius, vt Gemella, nunquā singula in fętu. Petilia parua gratissimi saporis, & ab origine Matiana, Gestiana, Manliana. Claudiana, & alia quę hic referre superfluū videt. Theophrastus Malū tradit vnico caudice ex cultura apparere, cęteris abscisis, sini autē multiplici caudice exilitatis causa, cortice leui. Nodos in ea esse peculiares, faciebus belluatū similes, vnū pręgrādē, alios circa eū complures paruos, illico in ramos spargi, radices paucas sūmę hęrētes terrę; folia oblōga; florē foliatū fructui insidentē ex annotinis surculis; semina cōgesta putamine inclusa; germinare serotinus, fructū reddere primis frigoribus, eius succum, aquosum, acidum, vel dulcem esse.

PIRVS

CAP. LXII.

PIRVS arbor Malo similis; asperiori cortice: ramis erectioribus; foliis subrotundis, leuibus, longo pediculo; flores similes Malo: fructus figura vt plurimum turbinata, crassiores iuxta florem, graciliores iuxta pediculum, contraquam in Malis oblongis, in quibus figura Mammæ: carne constant densiori, quam Mala, quamuis non minus succosa; acerosa circa medium substantia. Genera eorum non pauciora, quam in Malis: sylueſtre præ acerbitate ingustabile, & paruum: eius arbor aculeos rectos habet & crassos. Domestica alia æstate maturantur inter fructus fugaces; alia in Autumnum prorogantur; Quędam non maturantur nisi frigoribus hyemis, postquam fuerint decerpta: Inter æstiua prima sunt Moscatula ab odore Moschi appellata, parua, & dulcia, ex viridi flauescentia. forte apud Plinium superba cognomine, parua hęc sed ocyssima: paulo post succedunt Iuniola appellata; quia mense Iunio maturantur paulo Moscatulis maiora: colore virentia: succosa multum, quę videtur Plinius Falerna vocasse à potu; quoniam tanta vis succi abundat. Hinc turba sequitur, sed in iis Glaciola præferuntur in acutum longius producta pyramide, lacteo intus colore. Vnde lactea vocat Plinius: & Rudia turpi quidem colore, sed sapore cæteris dulciori Glaciolis, crassiora, breuioraque. In genere Autumnalium Sementina vocamus crassa & breuia, rubentia, præsertim qua sol aspicit, sapore subacida, quæ appellatio etiam apud Plinium & Catonem reperitur, quia in tempore sementæ maturantur. Tiberiana eadem, quod Tiberio Principi placuerem. Hyemalia magna ex parte crassiora sunt, cæteris vtiliora; quia per totam hyemem asseruantur, & pleraque gratiori etiam succo constant, quam fugacia. In his Carouella crassa, & oblonga, breui pediculo, colore ferrugineo. Quæ Plinius Testacea à colore appellata scribit, vt nos in genere malorum Testa vocamus colore simili. Sunt Papalia grandia, & breui pediculo sessilia. Qualia Plinius regia vocat. Sunt Bergomata, magis depressa & Bronchia oblonga omnia colore viridi. Sunt Cucurbitana sic etiam à Plinio appellata ingentia sed ignauia. Multa alia sunt nomina, tum apud nos, tum apud Antiquos; Variis ex diuersa regione, aut cultu nascentibus. omnia ante maturitatem acerbo sapore, sed cocta redduntur grata. Theophrastus Pyrum ex cultura vno caudice apparere scribit cæteris abscissis: folia orbiculata: florem foliatum: fructum succo aquoso constantem: semina congesta, putamine inclusa: fructificat ex annotinis surculis: germinat ex cacumine & latere; serotina est: quippe quæ Hyeme sua perficit poma: Quoddam genus Autumno. Pynaster, quam græcè Achrada

vocat,

vocat, aculeos fert in ramis: ex eius materie Cerdones suas faciunt tabulas, quia in dura materie acies ferri magis acuitur: germinare incipit paulo post vrbanam: prius amittit folia, quàm fructum percoquat Domestica ex semine sata, vitiatum oritur Pyrastrum. Pyrastrum autem Pyrus fieri non potest. Apud Dioscoridem Achras, species est Pyri sylvestris, quod tarde maturatur.

CAP. LXIII.

SORBVS arbor est recto caudice, materie robusta, nodosa: ramis erectis, & frequentibus: foliis in uno pediculo multis, coniugatim dispositis, excepto postremo, solitario, ut Rhus: flores multi ex summo quodam peciolo prodeunt candicantes: fructus paruis Piris similes flauescentes, succo ante maturitatem adeò austero, ut strangulent: Maturescunt autumno, & hyeme incipiente etiam decerpti, colore in rutilum transeunte, qualis in Mespilis succo dulci. Extat & sylvestris in Alpibus, baccas ferens rubentes similes Sorbo Torminali. Theophrastus arborem magnitudine & rectitudine præstantem scribit, forma concinna quasi nucis pineæ in uertice. Materiem solidam, spissam, coloratam, & ualidam: Radices non multas, nec alte descendentes, ualidas tamen, & crassas, & incorruptibiles: amat loca frigida, & humecta, sterile scit autem si ad loca feruentia venit: folia Lauri tenuifoliæ ambitu serrata, breuiora, & rotundiora, ordine disposita in vno prolixo, & neruaceo pediculo, lateribus, alarum modo, solum extremo impari existente, vt totum vnicum folium videatur, sed ad neruum vsque laciniatum ampliusculo distantibus particulis. Flos racematim singulari pediculo è multis minutis, & candidis constans: fructus quoq; cum large fructificatur racemi modo aceruatus producitur; quippè multa eidem cohærent peciolo; ita vt faui quodammodo speciem gerat. Eroditur hic à vermibus super arborem crudus adhùc, magis quam Mespila Pyraq;, quamuis hic maximè omnium sit acerbus. Ipsa quoque arbor uermibus est obnoxia, atque ita senescens exarescit. Noua admodum fructificat; nam trima continuò parit. Autumno, cum folium amiserit, protinus amentaceum gerit peciolum, pinguem, & turgidum, quasi iam parturiat germina, itaq; hyeme perdurat. Caret aculeis: constat noua læui cortice pinguiusculo, colore ad flauum albicante; annosæ autem scabro, nigroque. Duo genera tradunt; fæminam fructiferam; marem sterilem. Differunt quoque fructibus; nam aliæ orbiculatum; aliæ ouatum ferunt. Orbiculati magna ex parte odoratiores dulcioresq; ouati sæpe numero acidi, minusque odorati. Sylvestris maturior, suauiorque urbana; quia natura potius sylvestri constat, & cultum non patitur. Plinius quatuor

Sorborum genera recenſet: Aliis enim eorum rotunditas Mali; Aliis turbinatio Pyri; Aliis ouata ſpecies, ceu Malorum aliquibus: Hęc obnoxia, acri odore, nec ſuauitate iucunda: Cæteris uini ſapor: generoſiſſima, quibus circa pediculos tenera folia. Quartum genus Torminale appellant.

CAP. LXIIII.

SORBVS Torminalis arbor in montibus naſcitur, rectitudine caudicis, & ramorũ forma ſimili Sorbo, ſed unico in ſingulis pediculis folio lato, in angulos exeunte inſtar Platani. Floret, ut Sorbus, ſed fructus paruos fert ouatos, colore rubente: Semina intus non mẽbranis incluſa, ut in Sorbis, ſed oſſe, in quo bina ſunt cõceptacula, & in ſingulis cõceptaculis, bina ſemina oblõga. Alterum genus in alpeſtribus reperitur ſupradicto ſimile, ſed folio Mali, rotundiore, magis ſerrato, infernè candido; fructu rotundiore magnitudine fabę. Plinius priorem deſcribit, quartũ Sorbi genus, quod Torminale uocãt, remedio tãtum probabile aſſiduũ prouentu, minimumq; pomo, arbore diſſimili, foliis ferè Platani. Apud Theophraſtum uidetur Cratægus eſſe, quam & Cratægonem uocant, folio Meſpili (ideſt Azaroli noſtii) tenſo, ſed maiore, latiore, & longiore, neque ſerrato. Arbor nec admodum magna, nec craſſa: materies uerſicolor, ualida, flaua: cortex leuis Meſpilo ſimilis: Radix vt plurimum ſingularis in altum acta. fructus rotundus, qui poſt maturitatem ſiccus redditur, & nigricat, guſtu, & ſucco Meſpilaceus, ut veluti Meſpilus ſyluestris appareat. Eſt ſimplex ſpecie, & nullam ſortitur differentiam. Videtur igitur cum Meſpilo magis conuenire, quam cum Sorbo; nam fructus oſſiculum habet, ut Meſpilus, ſed unicum ex duobus coeuntibus; Meſpilus autem diſiuncta. Plinius in Italia Aquifolium uocari teſtatur.

Finis Libri Tertii.

AN-

ANDREAE CAESALPINI ARETINI

DE SVFFRVTICIBVS ET HERBIS. LIBER QVARTVS.

CAP. PRIMVM.

EXPLICATIS Arboribus & Fruticibus sequitur, ut eodem modo humiliorem materiam persequamur, Suffrutices scilicet & Herbas. In his igitur perquirendę sunt prius, quæ solitaria ferunt semina sub singulis floribus, aut solitarium seminum conceptaculum: secundo loco quæ bina sub eodem flore continent uel semina, uel seminum conceptacula: tertio, quæ terna eadem: quarto quæ quaterna, aut plura eadem ratione includunt: Quibus explicatis ultimo loco eas plantas percensebimus, quæ secundum propriam naturam nullum semen moliuntur, in quibus uniuersa plantarum historia erit absoluta. Solitaria autem ferunt semina etiam quædam inter eas, quę plura in vno conceptaculo ferre apta nata sunt, ut quædam Trifolij genera; Capnos; & alia quædam: & in genere arboreo Mespilus syluestris: At genus, quod hîc quærimus, ineptum est plura ferre, non enim in conceptaculo aliquo fert, quod sub flore contineatur, sed propemodum nuda ostendit semina, vt Valeriana, & eius affines, aut pericarpio circundata, vt, Thymela: Si quod autem seminis conceptaculum fuerit, id non intra florem continetur sed extra, florem regens, vt in Blito, & plerisque oleribus, & frumentaceis omnibus. Horum autem quædam & florem & seminis cor in summo ferunt, vt Valerianæ, & quæ Cassia lignea vocatur; quædam utrunq; intra habent, vt frumenta: quædam florem quidem intra, cor autem seminis extra, vt Thymelea, Blitum, & illis affinia. Incipiamus autem ab iis, quorum maximè nuda sunt semina, quæ Valerianę uocantur, quarum tùm flos tùm seminis cor exterius sita sunt. insident autem omnibus pappi quidam summis seminibus & omnes racematim in summis cauliculis florent exiguis flosculis, rotundos caules, & inanes, ac bina folia ex interuallis ferunt. Vidimus autem hucusque earum septem differentias, quarum quatuor odore præstant, reliquę sine odore.

CAP. II.

VALERIANA, quam optimam cognominant, radicem vnam fert digiti crassitudine, in obliquum tendentem, alias præterea deorsum ab eadem ortas multas, ac tenues vt in Elleboro albo, valde odoratas. Folia à radice oblonga quasi Lactucę partim integra, partim sectiones quasdam habentia prope pediculum: folia verò, quę in caule, frequentiores habent sectiones. Caulis rectus cubito altior, ac leuis est: flores fert candidos, quasi in Vmbella, paruos, & concauos dissectis labris: semina oblonga, & depressa, figura seminis lini in pappum desinentia: floret circa finem veris; colitur autem in hortis, & ad amatoria expetitur. Altera Valeriana, quæ sylueſtris cognominatur, oritur in montibus, locis riguis: radices habet ex eodem capite ortas, vt in Elleboro, non ex altera obliqua, vt in optima Valeriana: hę tenuiores, minusque odoratæ sunt. folia diuisa, vt Sorbi, ac subhirsuta: caulem alteri æqualem, striatum, flosculos ex candido purpurascentes. Dioscorides eas plantas Phu vocat, sed vnica descriptione videtur duas prædictus significare: Nam folia Olusatri, priori magis conueniunt. similitudo Elaphobosci secundæ magis: radicis descriptio priori quadrat: floris color secundæ. Quod autem de flore inquit esse Narcisso proximũ, maiorem, ac teneriorem, puto pro Narcisso Nardum legendum esse. Nardi enim Celticę flos luteus traditur: Phu, autem ex candido purpurascens, qui & maior ac tenerior est: ponitur autem Phu inter Nardi genera tum à Dioscoride, tum à Plinio Nardum sylueſtre & Creticum vocantibus. Galenus optimam illam Valerianam Carpesium vocauit, quæ herba est Phu appellato genere similis: valentior tamen, & odoratum quiddam spirans: Tenuia autem sunt sarmenta Cinnamomi virgultis similia: Duo genera Ponticum, quod præstantius, Laertium quod infirmius: Quidam pro Cinnamomo vtebantur per sarmenta igitur Cinnamomo similia, non fruticem intellexit: herba enim est, vt ipse inquit, sed radices, quæ Elleborum imitantur Teste Dioscoride, vt parua quoque Cinnamomi virgulta: Ellebori albi radicibus comparantur ab eodem libro primo de Antidotis: consentit quoque locus Natalis, vt enim Galenus Ponticum Carpesium præfert, sic Dioscorides Phu in Ponto nasci testatur. Serapio putauit Carpesium Ruscum esse: Cubebas vocans, vel quia de Carpesio nullibi Dioscorides egit, & de Rusco nullibi Galenus, vel quia radicibus Rusci adulterabatur Phu, teste Dioscoride. Sed officinæ pro Cubebis substituerunt grana quædam odorata forma Piperis, quem legittimi Amomi fructum puto, vt suo loco explicatum. Sed Carpesium apud Quintum Medicum, quo vice Cinnamomi vtebatur, non

has

has radices intelligi puto, ſed Gariophyllon nam & fructus expetebatur, vnde nomen Carpesij, & virgulta, vt in Cinnamomo.

CAP. III.

NARDVM Montanum radices tres, aut quatuor fert Glandis figura, Aſphodeli modo extra ſubnigras, intus candicantes, valde odoratas: folia molliora quam Betæ, alia integra, alia inferna diſſecta Erucæ ſimilitudine, caulem, non dum exacta hyeme, fert ſimplicem, infirmum, cubitalem: floſculos purpuraſcentes, vt Valeriana ſyluestris: aduentante vere caulem amittit; nam cito exareſcit, nec omnibus annis fert: Viuunt autem diutius effoſſæ eius radices, ac regerminant hyeme. Nuper hæc planta viſa eſt in Italia. Dioſcorides in Syria & Cilicia naſci tradit appellatam à quibuſdam Thylacitim, ab aliis Nerim: foliis Eringij minoribus, nequaquam ſpinoſis: radicibus duabus, aut pluribus Aſphodilo ſimilibus, tenuioribus, odoratis, ac nigris: carere autem & caule, & fructu, & flore, ex quibus patet male ſuperius in codicibus ſcriptum eſſe, folia & caules Eringij: nam quę adnectuntur, non caulibus, ſed foliis tantum redduntur. putata eſt autem caulem non ferre, aut quia non vbique ferat, vt contingit Helenio, aut quia cito perit, vt aliis quibuſdam contingit. Foliorum ſimilitudo cum Eringio non diſſonat, nam & in Eringio nuper nato folia quædam integra, quędam diſſecta ſunt. Theophraſtus Nerum appellat inter odorata, quibus ad vnguenta vtuntur.

CAP. IIII.

NARDVM Gallicum, quæ & Spica Celtica vocatur, herbula eſt, non excedens cum ſua radice quatuor digitos, nuper inuenta, primum in Iſtriæ, & Syriæ montibus, poſtea & in Liguria: tota odorata excepto flore: ideo colligenda antequam floreat: radiculas habet fibroſas: foliola denſe cauliculos veſtientia: figura quidem optimæ Valerianæ, ſed longe minora, nequaquam diſſecta, colore flaueſcente: ex mediis foliis cauliculus fermè nudus erigitur, concauus, vt in cęteris eius generis: Vmbella in ſummo parua, colore luteo. Dioſcorides ſimiliter deſcribit, ac Plinius: Videtur autem alibi Plinius eandem deſcribere ſub nomine Saliuncæ, quæ folioſa quidem eſt, ſed breuis, vt necti in coronas non poſſit, radici numeroſæ cohæret herba verius quam flos, denſa veluti manu præſſa, breuiterque ceſpes ſui generis odore ſuaui, in Pannonia, & Norici:

Dioſco-

Dioſcorides Aliungiam vocari ſcribit ab indigenis in Liguriæ alpibus, vbi naſcitur: Naſcitur & in Iſtria, frutex puſillus, qui cum radice vellitur, & in faſciculos manuales digeritur. Folia ei longiuſcula, leuiter flaueſcentia: flos luteus. Vſus eius in caule tantum atque radicibus; quoniam odorata: ſolum hæc habentur. Secerni quoque debere tradit ab alienis herbis & paleis prēmadefactum, ne in fragmēta abrumpatur: Herbam quoque, quæ Hirculus vocatur à grauitate odoris, intermiſcori, qua maxime adulteratur: Sed facilis diſtinctio; nam ſine cauliculo eſt, candidior, & minoribus foliis, radice nequaquam amara, neque odorata. Hodie adulterari ſolet quodam genere Muſci, quod loco proprio indicabimus.

CAP. V.

VALERIANAE in odore tres hucuſque compertæ apud nos, quarum prima oritur in vmbroſis montium iugis, Valerianæ optimæ ſimilis; ſed folio breuiori, latiorique, quaſi Violæ, nequaquam ſecto eò, quòd ab radice oritur: ſed quæ in caule, minora ſunt, & diuiſa: caules ab eadem radice plures cubitales: floſculi racemoſi, ex purpura candicantes: radices paucæ Iunceæ, guſtu ſubdulci non ſine aliqua ſuauitate. Altera palmi longitudine ſimilis ſylueſtris, oritur in Ilua ſine vllo odore. Tertia in ædificiis antiquis oritur, frequens in mēnibus Piſanis: ramis ab eadem radice pluribus, cubitalibus, leuibus, ſubcandidis: foliis oblongis, in acutum deſinentibus, nulla ex parte ſciſſis, leuibus, & ſubcandidis: floſculi multi racematim inſunt Punicei coloris Centaurio minori ſimiles, idcirco à quibuſdam inter Centaureas media cognominatur. Semina ſimiliter plumoſa, vt in cæteris Valerianis.

CAP. VI.

QVAE autem ſolitaria ferant ſemina protegente altero corpore, manifeſto multa ſunt; id autem aut pericarpium eſt, aut membranoſum quid, facile abſcedens à ſemine, idque aut intra florem continetur, aut ipſum floris inuolucrum, pro tegmine ſeminis eſt: intra florem igitur paucis datum eſt ſolitariis ſeminibus, alterum tegmen: hoc enim arboribus magis contingit. Sunt autem quædam in genere ſuffruticum, quibus magna ex parte ineſt pericarpium: Quibus igitur in hoc genere ſeminis cor exterius ſedet, flos interius, ſunt Thymelęa. Chamelęa. Daphnoides, & quæ, iis ſimilia ſunt. Daphnoides vulgo à noſtris Laureola vocatur, frutex eſt non altior cubito: ramis valde lentis; & cortice tenaci inſtar corij: folia fert Lauri breuiora, craſſa,

lentaque, ac leuore quodam ſplendentia: florem album; & baccas nigras Pipere craſſiores iuxta folia: ſed in maturitate folia interna decidunt: fructus autem relinquuntur, ramis herentes infra folia: radicem ramoſam fert, obſequioſam. Dioſcorides deſcribit cubiti altitudine, ramis flexilibus multis, à medio ſurſum verſus foliofis: cortice viſcoſo, foliis Lauri, gracilioribus, mollioribus, fractu contumacibus, quæ manducata os incendunt: floribus candidis: baccis nigris; oritur in montuoſis.

CAP. VII.

CHAMELAEA, quam vulgo in alpibus Oliuellam vocant, duplex eſt: vtraque paulo minor Daphnoide, obſequioſa: paucis ramis: folio Oleæ virentiori, ac latiore: fructu Piperis, nigro iuxta folia, vrentis facultatis: radix longa, ramoſa, ac lenta: diſtant folio & flore: nam alteri folium durum, & quadantenus piloſum: flos purpureus, oritur in Silicia. Alteri folium lęuius, ac mollius: flos candicans, Laureolę magis ſimilis, oritur in Appennino: Diſtant vtręque à Daphnoide, quod ſurculi in his ramoſi ſunt, in Daphnoide autem ſimplices. Dioſcorides Chamelęę folia tantum deſcribit, Oleę quidem ſimilia, ſed tenuiora, amara, lingua mordentia: ramos dodrantales: cum in noſtra Chamelęa folia ſint nequaquam Olea minora, ſed latiora potius, in eo præſertim genere, quod in Appennino oritur, tenuiora tamen ſunt mollioraque. Plinius Chamelęam in petroſis naſci tradit, non vltra palmi altitudinem, foliis Oleæ amaris, odoratis: videtur autem intelligere Cneorum candidam Theophraſti, quæ inter coronarias Caſia à Latinis vocatur.

CAP. VIII.

THYMELAEA ab eadem radice plures virgas rectas fert, cubitales, altioreſque, frequentibus foliolis vndique refertas, media quadam magnitudine, inter Oleam & Linum, duris & fauces exurentibus. Floret in ſummis virgis autumno, racemulos paruos ferens: floſculi candidi ſunt, Ligiſtro ſimiles: baccas fert oblongas, tenuiores Myrtho, in maturitate flauicantes ex rubro: ſemine intus nigro: ſed medulla candida & oleoſa: radicem craſſam gerit: ramis longis & obſequioſis: frequens oritur in maritimis incultis. Dioſcorides tradit, eius folia priuatim Cnereon appellari, fructum autem Coccum Gnidiũ: Deſcribit autem in hunc modum. Frutex eſt, in quo naſcitur Granum Gnidium, quod Syri Apolinon, alij Linon appellant à ſimilitudine

quam

quam cum Lino ſatiuo habet. Rami tenues, ſpecioſi, cubitorum binum aſſurgunt. Ipſa ſimilis Chameleę: foliis anguſtioribus, pinguioribus, gummoſis, ſi mordeantur, glutinoſisq;. flores albi, & inter eos ſemen, quale Myrthi, exiguum, rotundum, initio vireſcens, poſtmodum rubens: quod autem intra pericarpium continetur, durum, nigrumque intus album. Detrahuntur eo per aluum biles, aquę, pituitæ, ſi quis è viginti granis interiores nucleos bibat: vrit hoc fauces, ideo cum farina, polentaue deuorandum, aut acino vuæ incluſum, aut in melle decocto folia eius, quæ priuatim Cneoron vocantur, meſſibus lecta, & ſiccata in vmbra, ſeruantur, in vſu tunduntur venis exemptis, purgantur eo aquæ, & quæ ſequuntur. Ipſa herba inimica ſtomaco: Pecus quidem in vtero, vel admotum necat. Naſcitur in montibus ſolo gracili. falluntur, qui granum Gnidium è Chamelęa herba gigni autumnant, ſimilitudine foliorum decepti: Hęc Dioſcorides. Plinius inquit; in quo naſcitur granum Gnidium, quod aliqui Linum: fruticem verò Thymeleam, alij Chameleam (& alia nomina addit, quæ Dioſcorides Chamelæę tribuit) eſt ſimilis Oleaſtro: foliis anguſtioribus, gummoſis, ſi mordeantur, Myrthi magnitudine, ſemine, colore, & ſpecie foris, ad Medicinæ tantum vſum. In Gallia ſuccus Euforbio ſimilis, ſed multo inferior fit ex herba Chamelęa granum Cocci ferente: fractus Ammonico ſimilis eſt, etiam leui guſtu, os accenſum diu detinens, & magis ex interuallo, donec fauces quoque ſiccet. Cocco Gnidio color croci, magnitudo grano Piperis maior, vis ardens; itaque in pane deuoratur, ne adurat, cum gulam tranſit. Huic vis præſentanea contra Cicutam, ſiſtit aluum. At qui fieri poteſt, vt quod vehementer ſoluit, aluum ſiſtat? Arabes Mezereon vocant omnes has plantas, ſcilicet Chamelęam, Thimeleam, & amplius ipſam Daphnoidem, & forte Cneorum, cuius mox mentionem faciemus: Nam Serapio quidem initio deſcribit, vt Dioſcorides ſuam Chamelęam: ſed in proceſſu diſtinguit in album, & nigrum; in latifolium, & tenuifolium: laudat autem magis latifolium: Inſunt autem Chamelæę folia latiora, & albidiora, quam Thymeleæ. Meſues plures affert differentias: deſcribit autem primo loco Thymeleam, cum altitudinem bicubitalem tribuat, ſed in reliquis notis innuit reliquas; ſcilicet folia Oliuæ, ſed maiora; grana nigra Myrthi magnitudine; Species plures; quædã enim magna habet folia & tenuia; quædã verò parua, ſicut folia Oliuę, & ſpiſſa nimis; quędã criſpa, & aſpera: & ex eis aliud eſt colorẽ habens viridem, & aliud colorẽ ſubnigrũ producentem colorẽ Pauonis. laudat autem magis folia magna, & tenuia, & viridia habentem; indicans Laureolam, & noſtram Oliuellam: Damnat autem eam, quę habet folia parua & ſpiſſa, cuiuſmodi sũt in Thimelęa & Cneoro: item improbat habẽtẽ folia criſpa & aſpera, cuiuſmodi ſunt in Sicula Chamelęa.

GEL-

CAP. X.

GELSIMINVM vulgò appellatur frutex in viridari is opere topiario, & flore gratus: Sarmenta fert longissima, leuia, virentia, ac lenta, quæ circumuoluendo se scandunt, & sylua decora conuestiunt parietes, arcus, tuguria, & quæcunque fuerint amplexata: Crassescit vetustate ferè specie arborea coeuntibus viticulis instar caudicis. Folia fert Hederæ in longum mucronem producta appendicibus quibusdam pediculo adnexis coniugatim, oblongis. Flores veluti in vmbella pediculis ab eodem exortu prodeuntibus, vt in Hederæ corymbis, concauos, angustos, & oblongos, in extremo dilatatos, ac scissos, vt plurimum in quaterna foliola, candidos, odore gratissimo, vt figura Leucoion candidum imitentur. Floret post Rosam diutius in singulis foliorum alis. Fructum apud nos nequaquam perficit, sed incoationem tantum molitur; peregrinam enim quondam in Italia fuisse constat, licet nunc copiosissima sit, facillime enim prouenit surculo sata. Hyeme amittit folia. Duo alia genera ruper visuntur, humiliora, quæ nequaquam scandunt: eorum alterum flores fert grandiores, ac rariores, supernè candidos, inferne subrubentes, odore acriori: floret Autumno, & ferè per totam hyemem: Alterum luteos flores gerit in æstate, minores, atque sine odore. Huius fructus vidimus perfectos: baccæ sunt nigræ, vt Ligustri, tingentes, vnico intus semine depresso. Arabes Sambach vocant, eorum interpretes Iesminum. Flores tradunt esse in Aphrica trium generum, candidos, luteos, & cęruleos; præferri autem candidos; ex eis oleum parari Sambacinum, quod liberalius olfactum in calidioribus naturis sanguinem elicit è naribus: at cæruleum in hoc genere adhuc non vidimus, sed inter frutices ostendimus, quã vulgò Ligustrum Orientale vocant. Apud Dioscoridem Iasme inter vnguenta recensetur: fieri inquit apud Persas ex candidis Violæ floribus odoris gratia; at cum non describatur ab eodem hoc genus Violæ, tantum ex nomine colligere licet aliquod Gelsimini genus indicari, præcipue illud, quod hyeme floret; acriori enim odore constat. Testatur autem Dioscorides Iasminum vnguentum ob odoris grauitatem aliquibus minus placere. Dicta autem fuit Iasme quasi medicatus odor, aut immutata litera Iosme, quasi Violę odor. Sed vulgare Gelsiminum, quod repit arbores, videtur apud Dioscoridem Smilax leuis esse, de qua inquit: Constat foliis Hederę, mollioribus, tenuioribus, leuioribus; sarmentis, quæ arbores scandunt, Smilacis asperę modo, sed nullis spinis: in iis fructus instar Lupini niger, & paruus: Flores candidi multi ac rotundi continuè superioribus partibus oriuntur per totam Smilacem: vtilis in æstate ad vmbras parandas;

ſed autumno folia decidunt. Scio autem pro Smilace leui oſtendi vulgo Conuoluuli, cui non ſolum folia, ſed & caules cum tota planta hyeme inareſcunt; nec adeò adoleſcit, vt ad vmbras accomodari poſſit: Quamuis autem Dioſcorides odorem floris ſubticuerit; reperio tamen apud Homerum σμίλακος ὄξων: id eſt Smilacem redolens.

CAP. XI.

GELSIMINVM rubrum nuperrime viſum eſt in viridariis ſemine ſatum, ſed frutice valde diſſimili. Nam caules fert craſſos, bicubitales & ampliores, geniculatos; ramis multis in latera tendentibus. Folia hęrere latiora, mollia, nullis appendicibus. Flores puniceos ſine pediculo multos in alis infixos, duplo maiores, ac longiores albo; at ſine odore, aut exili: ideo magis colore placent: fructus nigros, rotundos, magnitudine Ciceris; aſpero cortice, medulla intus candida abſque pericarpio: floret propè finem æſtatis per totum autumnum; hyeme caules amittit; regerminat vere. Radice conſtat craſſa, exterius nigra, intus candida, ſed, cum ſcinditur, ruborem contrahit ſanguinis modo; multos ramos in altum dimittit, inuicem hærentes, & conuolutos, vt Mandragoras: carnoſa conſtat ſubſtantia, ſapore inſipido. Puto hanc Mandrogoram apud Theophraſtum vocari: longe enim diuerſam tradit, quam Dioſcorides, & Plinius: conuenit autem cum cæteris in radice tantum. Caulem, inquit Ferulæ proximum fert: fructum peculiarem ſcilicet nigrum, racematum, vinoſumque ſuo ſapore. Eam effodientes enſe ter circumſcribere iubent, & alterum ſuccidere ad occaſum ſpectando, alterum circumſaltare, plurimaque de re Venerea dicere. Folium vtile ad vlcera cum farina tradunt, radicem ad erysipelata raſam, & aceto ſubactam; & ad morbos podagricos, & ad ſomnum atque amores datur ex vino aut aceto: conſecant quoque eius orbiculos, ſicut radiculæ, quos transfixos in fumo ſuſpendunt. Alterum genus Gelſimini rubri nunc viſum eſt inter peregrinas plantas multis viticulis circumuoluens ſe, frequentibus foliis tenuiter ſciſſis inſtar Myriophylli, floribus prędicto ſimilibus.

CAP. XII.

FLOREM autem in ſummo fructu gerentia, & ſeminis cor, hucuſque noui Caſſiam ligneam vocatam, & alias nonnullas. Quę in officinis hactenus Caſſia lignea appellata eſt, paruus eſt frutex, ſimilis Geniſtæ, foliis anguſtioribus, quaſi Lini, pulpoſis, colore nigricante; fert floſculos herbaceos iuxta folia, & fructum initio oblongum,

in

in tres floris appendices desinentem, qui maturescens in autumno rotundus fit, & colore rubente, sapore & odore ingrato; oritur in collibus. Hæc putata est inter Sabinas esse, quæ scilicet folio Tamaricis constat. Quod autem Plinius de Sabina dixit accipi solitam in medicamentis duplicato pondere pro Cynnamomo, vt de Casia scribit Galenus, traditum fuit huic plantæ Cassiam ligneam vocãtibus. similem vidi in Agro Plumbinensi totam rubentem, & ramis, & foliis; ideo quidam Genistam rubram vocant, cum tamen initio nigra sit, vt superior. hęc apud Plinium Osyris videtur: inquit enim: ramulos fert nigros, tenues, lentos, & in iis folia nigra, ceu Lini; semenque in ramulis nigrum initio, dein colore mutato rubescens, smegmata mulieribus faciunt ex his, radicum decoctum potum sanat arquatos, eędem prius, quam maturescat, semen, concisæ & sole siccatæ aluum sistunt, post maturitatem vero collectæ, & in sorbitione decoctæ, reumatismis ventris medentur, & per se tritæ ex aqua cęlesti bibuntur: forte & eandem Dioscorides intellexit, quamuis de fructu mentionem non fecerit; nam in cæteris similis est descriptio: fruticulus est niger, virgas ferens tenues, lentas: folio'a tria, aliquando quatuor, quinque, & sex ceu Lini, initio nigra, mutata autem subrubra fiunt: hæc descriptio secundo generi, quam rubram Genistam diximus, conuenire possit, his conueniet quoque, quod Galenus inquit coremata ex ea fieri solere, id est scopas ad verrendum aptas.

CAP. XIII.

PARVVS quidam frutex in Alpibus nascitur similis Cassię ligneę, dodrantali altitudine; tenuibus ramulis: foliis angustioribus, similiter pulposis. Grana fert in alis foliorum parua, oblonga, in quorum summo flosculus est candidus. Alius in saxosis nascitur fragilissimus, foliis quoque fragilibus, paucis, Vermiculariæ modo pulposis, longioribus: flosculos fert herbaceos, summis cauliculis sparsos: sapor inest subsalsus in foliis. Tertius in maritimis asperis, bicubitalibus ramis, lignosis, frequentibus foliis quasi Ericę, sed crassioribus, & pulposis: Quidam Semperuiuum marittimum vocant, aut Vermiculariam arborescentem: flosculos fert iuxta folia pallidos, ac minutos Ericæ modo. Putarim Selaginem dici apud Plinium, quamuis non describatur, sed eo tantum argumento, quia similem herbæ Sabinæ tradit: Quædam enim Sabina Tamarici similis est, cui & Erica ipsa comparatur. Hanc inquit contra omnem perniciem habendam prodidere Druidæ Gallorum, & contra omnia oculorum vitia fumum eius prodesse. Sed colligi oportere modo quodam superstitioso.

CAP. XIIII.

BVPLEVERON herba est est in aruis nascens, geniculata binis foliis, geniculos cingentibus, oblongis costæ similitudine, leuibus: ramusculi ex singulis geniculis, bini prodeunt: flosculi sunt candicantes in summis ramulis paruæ Vmbellæ modo: granula autem tunica membranosa obducta, veluti ex tribus partibus constantia: in quarum vna semen est exiguum in acutum tendens, duæ reliquæ partes inanes sunt. Tenella hęc herba inter sylueſtres assumitur hyeme in acetariis vulgo Morbidellos vocant: Differt magnitudine; nam quædam parua non excedens dodrantalem altitudinem: foliis Lini latioribus: Altera quę maior est ferè ad cubitalem altitudinem accedit, foliis latitudine pollicis. Plinius hanc inter sponte nascentes tradit, caule cubitali, foliis multis longisque, capite Anethi, laudatam in cibis ab Hyppocrate.

CAP. XV.

QVIBVS autem pro seminis tegmine datum est floris inuoluctũ seminibus solitariis existentibus subsingulis floribus, multa sũt in genere herbarum: sedent enim in iis semina tanquam in vmbilico magna ex parte membranaceo: flosculi autem in plerisque ob exilitatem sensum fugiunt, cum præsertim lateant, vt plurimum sub folliculo. Duo autem genera summa eorum manifesta sunt, vnum quod seminis cor exterius profert, vt Beta, Vrtica, & olera multa, alterum quod idem inferius habet, vt frumentacea omnia, in vtroque genere, quædam reperiuntur, quibus flos sine fructu est, & fructus sine flore, vt in genere frumentaceo, quod Maiz, vocatur, & quę lachrymæ Iob dicuntur: in altero genere Vrtica, Lupulus, & alia nonnulla. Vrtica ob proprietatem notissima, quia lanugine potius, quam spinis, mordax est, vt leui tactu pruritum, & vredinem confestim exciteat. Tenella herba iuxta ædes, & in hortis nascens quadrato caule, foliis per interualla binis, latis, & in acutum desinentibus vndique serratis. Quatuor noui differentias, vnam lato folio, ac magis serrato, semine maiusculo, quodamodo ad Lini semen accedente, in rotundis racemis, globi modo farctis. hæc Romæ nascitur, alibi rara: hanc Dioscorides primo loco pingui sylueſtrem vocans, asperiorem, foliis latioribus, & nigrioribus, semine Lini minore. Plinius eandem videtur Caniam appellasse, quæ acrior, caule quoque mordaci, fimbriatis foliis. Altera in longitudine magis, quam latitudinem crescit, ad bina aliquando cubita, candidior molliori lanugine: foliis

liis longioribus: semina in oblongis racemulis, sine flore fert, exigua & depressa in asperis folliculis, lęuia colore nigricante: Dioscorides hanc secundo loco describit non æque asperam, minuto semine. In vtroque genere reperiuntur, quæ florent tantum, neque fructum ferunt, nam in genere Canię exigua quędam est, foliis quoque secundum proportionem paruis, sed simili figura, asperitateque: flosculos ædit purpurascentes, in tenuibus & oblongis racemulis; in altero autem genere hac quidem altior, sed breuior, fructifera, foliis similibus, flosculis candicantibus: Addit Plinius Vrticam Herculaneam, quæ odorata est: & innoxiam, quam Lamium vocat, de quibus alibi commodius dicendum erit. Illa enim inter Calamenti genera, hæc autem inter Marrubia continetur.

CAP. XVI.

CANNABIS herba est bicubitalis, & amplior, recto caule, & concauo, cuius cortex Lini vsum prestat, huiusque gratia seritur: folia fert in eodem pediculo, quinque aut plura, manus digitos imitantia, & subaspera, odore graui: quæ floret, fructum non fert: flores autem in racemis pendent subcandidi, lanuginei puluisculum quendam fundentes, quæ fructum fert, non floret: semina in alis foliorum aceruata sunt, in suis folliculis modice compressa, maculosa, & splendida. Dioscorides satiuam Cannabim vocat, ad funes pręcipue quęsitam ob firmitatem, foliis Fraxini: odoris grauis: caulibus proceris, innubis: semine rotundo. Galenus similem Vitici facit non solum figura, sed & facultate: genituręenim profluuium siccat, eius semen potum: Cannabis autem sylueſtris, apud Dioscoridem, & Cannabis Rosea apud Plinium, inter Maluas potius recensendæ sunt.

CAP. XVII.

LVPVLVS herba est nascens inter vepres, cuius viticulæ longæ, & tenues ac subasperæ, frutices scandunt, circumuoluentes se, huius recentes Asparagi in cibos veniunt cocti, folia insunt quasi Vitis, minora, rugosa, & subaspera. Quæ floret, sine fructu est; flores sunt similes Cannabi in Autumno prouenientes: Quæ fructum fert, non floret. semen rotundum labellis cutaneis adnexum in racemo veluti ex squamis compactili continetur, figura & magnitudine coni Cupressini, odore Allij. seruntur Germani potum ex eo parantes cum hordeo, quam Ceruisiam vocant. Apud Plinium iudicatur esse Lupus salictarius, inter herbas sponte nascentes ad cibos, quamuis eius nullæ afferantur notę. Mesues inter genera Volubilis numerat, foliis asperis, vt Citruli,

truli, cuius flos est sicut ampullæ hęrentes, quod de racemo seminis videtur dictum. Laudant recentiores ad atram bilem contemperandam, & reliquos humores adustos in potu ex aqua.

CAP. XVIII.

AMBROSIA, quæ vulgo à quibusdam Ambrosiana vocatur, ramosa est herba, cubito breuior: foliis Arthemisiæ minoribus, & nigrioribus, subasperis, & crispis, odore multo & graui: foliola autem in ramis minus incisa sunt, iuxta quæ semina fert rotunda, & spinosa, congesta, sine flore, quosdam tamen flores fert in æstate similes Absinthio herbaceos circa summos ramulos, sed sine fructu, quibus decidentibus in Autumno, semina fert in inferioribus ramulis. Apud Dioscoridem videtur hęc Ambrosia esse, frutex pusillus trium palmorum altitudine, ramosus, foliis Rutæ, paruis circa imum caulem, in ramulis semen est racematim sine flore, odore vinoso iucundo, nisi obstet odoris iucunditas; nam ob odoris grauitatem non ab re putant quidam apud Hippocratem libro de Mulieribus secundo esse Conizam Apio crispo similem, in marittimis, sabulosisque nascentem, odoris teterrimi & maxime fastidiendi. nam inter cætera nomina Dioscorides Apium rusticum appellari testari ipsam Ambrosiam. forte odor ingratus, dum virens est, gratus fit & iucundus, cum siccatur, vt contingit Coriandro. Plinius inter Artemisias secundo loco pingit, teneram tenuioribus, foliis, & non nisi in marittimis nascentem.

CAP. XIX.

BOTRYS herba est ramosa, in sabulosis, arenosisque locis, & torrentium alueis siccatis: altitudine eadem, qua Ambrosia, sed rectioribus ramis, tenuioribus, longioribusque: foliis Cerri, rarioribus diuisuris: colore ex viridi pallescente: ramuli pleni semine minuto, splendido, & nigricante in suis folliculis viridibus, admodum racemi, tota succo glutinoso veluti roscida est, odorataque: Dioscorides & Plinius, similiter describunt, fruticosam scilicet herbam, totam luteam, multis alis, semen circa totos ramulos: folia Cicorio similia (nam similiter laciniata, licet tota forma ad Quercum magis accedat) suauem odorem spirare, ideo vestimentis inter poni, nasci autem in torrentium ripis, & conuallibus.

CAP. XX.

HERBA Turca, vulgo appellatur herbula humi strata: ramulis dodrante minoribus: foliolis Polygoni breuioribus: seminibus racematim hęrentibus, per totos ramulos inter folia, minutis, vt Botrys, exili odore: nascitur in solo arenoso, cuius puluere pro efficaci remedio vtuntur ad vrinam mouendam, & calculos frangendos. quædam in montibus prouenit, locis sabulosis, palmi altitudine: foliolis angustioribus: ramulis densis, racemosis semine onustis, quod foliculo quodam barbato includitur, odore iucundo, sapor inest subamarus, & siccans. Hanc Ambrosiam esse quandam paruam non dubito.

CAP. XXI.

BELVEDERE vulgo appellatur herba ramis adeo densis & rectis, vt Cupressus videatur, vltra bicubiti altitudinem: folio numeroso, longiore quam Lini, læte virenti: seminibus exiguis, neque multis, iuxta folia sine flore, seritur in Viridariis spectaculi tantum gratia, nam per totam æstatem viret. An hæc fuerit apud Plinium Chamę cyparissus herba, quę ex vino pota contra venena serpentum omnium, & & scorpionum pollet.

CAP. XXII.

BETA olus est frequentissimum in cibis: foliis latis, subrotundis & crassis: caule striato, ramosoque, altitudine bicubitali & amplius, semina racematim fert, sine flore manifesto circa ramos, dura osiculis binis, aut ternis cohærentibus inæqualibus, tunica herbacea obductis, eius quatuor differentias habemus, vnam vulgarem, folio breuiori, & viridiori: alteram candicantibus foliis, longioribusque multo, & amplioribus quasi Brassicæ prelatam in cibis: Tertiam colore rubro, radice quoque rubra & magna, quæ condita seruatur in cibis. Quartam radice Buxea: caulibus quoque Buxeis: foliis virentibus. Dioscorides, Plinius, & Theophrastus, duo genera tantum faciunt, nigram, & candidam, Theophrastus candidā sapore præstantiori esse, pauciorumq; seminum, quam Siculam quidam appellauerunt. Betam excultu arborescere: caule carnoso, radice singulari, & carnosa, longa, crassa, & recta, vt Rafani, suaui, vt crudam nonnulli mandant: germinat radix à latere, ex semine paucæ prouenium anno primo, sed longo tempore post pullulant, anno scilicet sequente & tertio.

ATRIPLEX

CAP. XXIII.

ATRIPLEX Olus est, Betæ magnitudine: paucioribus ramis: altiore caule: folia latiora quam Betę & breuiora, & quasi triangula, vt Spinaciæ, colore ex viridi pallescente: semina sine flore fert, racematim circa summos ramulos, compressa, & rotunda, intra folliculum folliaceum contenta latitudine vnguis, colitur in hortis ad cibos, vt Beta in Gallia Cisalpina, & paucis Aetruria ruribus. est & sylueſtris sponte nascens in hortis & secus vias, lęto solo: breuior satiua Folio simili, sed minore ac nigriore: seminibus similiter depressis, nigris, in folliculo quadrato: folia quæ circa summum caulem, sunt, tenuiora & longiora sensim fiunt in vtroque genere. Dioscorides Atriplicem, & Chrysolachanum vocat, olus cognitum, satiuum & sylueſtre. Theophrastus radicem lignosam tradit, vnam alte descendentem, vnde aliæ exeant, copiose frutificare, nam protinus nodis singulis semen insidens racematim gerit à latere & in summis, semen foliatum, vt in Laserpitio. Plinius ex Pythagora damnat Atriplicis vsum, quoniam Hydropicos faciat, morbos regios & pallorem, & alios plurimos morbos, stomacho contrarium, lentigenes & papulas gignere, nec nisi mutata sæpius aqua concoquendum.

CAP. XXIIII.

HALIMVM olus est marittimum, ad fruticis naturam accedens; ramos fert cubito altiores, multos, & candidos: folia quoque candida Oleæ similia, pulposa, salso gustu: in summis ramulis racematim semina cohęrent autumno & per hyemem sine flore, Atriplici sylueſtri similia: eius duas notauimus differentias, vnam tenuiori folio, quam Oleæ, alteram latiore longioreque, quasi ad Atriplicem sylueſtrem accedentia. hæc quoque ramos crassiores fert & longiores, vt Rhannus alioqui videretur, nisi careret aculeis: Dioscorides, fruticem esse sępibus idoneum, similem Rhāno sine spinis, foliis Oleę latioribus, in sæpibus marittimis. Plinius similem descriptionem affert: Amplius ex aliorum sententia olus marittimum esse: foliis in rotunditate longis salsum, vnde nomen Halimi: duorum generum; sylueſtre, cui folia tenuiora sunt, efficacius in sananda scabie, mitius alterum, vtrumque mandi, & condiri in cibis. Theodorus apud Theophrastum Auronem vocat: inquit, cæteras plantas interimit, etiam Cytisum: perniciosior est Hedera; nam nimio pabuli desiderio & salsugine sibi ingenita arbores necat, prouenit locis salsis.

CYNO-

CAP. XXV.

CYNOCRAMBE olus est sylueſtre iuxta parietes hortorum naſcens, & prope ſterquilinia, ramis cubito minoribus, candicantibus: folia fert veluti cinere aſperſa, alioqui Atriplicis sylueſtris, ſed minora ac ſerrata Mercurialis modo: ſemina racematim fert ſine flore exigua, & rotunda. Alterum eſt in eiſdem locis foliis nigrioribus, latioribuſque, ſpecie quadam pedis anſeris, vnde à quibuſdam pes anſerinus vocatur: Tertium etiam vidimus in marittimis, ramis humi procumbentibus, candidis: foliis veluti puluiſculo argenteo aſperſis, rotundioribus. Dioſcorides deſcribit cauliculo duorum dodrantum, molli, ſubalbido: foliis Mercurialis aut Hederę ſimilibus per interualla, ſubcandidis: ſemine paruo, rotundo, foliis hęrente. Alia vero eſt Cynocrambe apud Galenum, & alios, quæ alias Apocynem vocatur foliis Hederę candicantibus, de qua alibi dicitur à nobis. Hermolaus teſtatur apud Plinium Chenopum ideſt herbam ſimili anſerino pedi in quibuſdam codicibus vetuſtis legi, quod in aliis acinos legitur, quam Epipetron vocant, quę nunquam floret. his affinis eſt herbula quędam, ſędiſſimi odoris, vulgo Connina, nam redolet muliebria, vt vel leui contactu, pertinaciſſime odor perſeueret, in ætate prouenit iuxta parietes præcipue, qui lotio aſperguntur: ramulos fert dodrantales humi procumbentes, ſubcãdidos: folia ſubrotunda, cãdicantia, quaſi cinere aſperſa, tenuiora, quam Cynocrambe, minime ſerrata: ſemina racematim fert ſine flore exigua, & rotunda: videretur Conyza tertia apud Dioſcoridem, craſſiori, & molliori caule: foliis mediæ magnitudinis, minime pinguibus, ſed multo grauiorис odoris iniucundioriſque, in locis humentibus proueniens: at hæc locis prædictis naſcitur.

CAP. XXVI.

BLITVM olus eſt sylueſtre, ſaporis ignaui, in eiſdem locis, vbi Cynocramben, cubiti altitudine: foliis ſubrotundis, criſpis, minime ſerratis: ſemina exigua fert, nigra, & ſplendentia, racematim in tenuibus membranis incluſa. eius duo genera, rubrum colore ſanguineo, tum caulis tum foliorum, mitius; Alterum sylueſtrius, colore herbaceo. Theophraſtus olus hoc ſcribit vtraque parte fructificare, ſcilicet cacuminibus, & lateribus, ideo copioſius, protinus enim nodis ſingulis ſemen inſidens, racematim gerit: caret radice illa ſingulari, quę in rectum tendit, ſed cõtinuo ab extremo multas craſſas, prolixiores, quam Atriplex gerit, lignoſas. Duo alia Bliti genera, peregrina hodie ſeruntur

in hortis non solum ad cibos, sed etiam magis pulchritudinis gratia ob coloris venustatem, quorum vnum grande est, specie fere arborea: folia sunt Blito longiora, rubentia, caulis crassus, striatus, tuberosusque ad quaterna cubita accedens, ex alis, & ex summis ramis paniculę longissimæ exeunt ac tenues, colore nigrantis Rosæ, speciem floris Amaranthi, sine odore: semina in iis multa continentur, candida, Panico exiliora, quę in cibos veniunt. An hæc Erysimum fuerit apud Theophrastum inter fruges? Trionum vertit Theodorus. Plinius Irionem vocat inter fruges æstiuas: foliis Sesami, caule Ferulaceo: cum virens est, à nullo animalium manditur, Sesamo pinguiusculum. Plinius folia tribuit sanguinea & cætera ex Theophrasto. Galenus huius meminit esse inter fruges, Sesema deterius, & insuauius, minus alens, temperamento calido. Alterum vero est apud Dioscoridem Erysimum, de quo inter Erucas, dicemus. Alterum Bliti peregrini genus breuius est cubito, numerosis foliis, ex lato in acutum tendentibus, alternis viridibus sanguineis flauisque. & plerumque in eodem folio tres colores spectantur, extremo flauo, medio Puniceo, reliquo viridi, vnde vulgo Merauiglia, idest miraculum vocat semina racematim sunt inter folia, vt in Blito nostro, scilicet nigra, exigua, & splendentia.

CAP. XXVII.

TRIBVLVS fructus est robustissimis aculeis armatus eo ordine, vt qualitercumque ponatur, vnus sursum spectet, tres deorsum, quibus tanquam pedibus fulcitur. Duo eius genera apud nos, aquaticum, & terrestre, quod in aquis degit pręcipue in paludibus reperitur, fructu nigro, magnitudine castaneæ, medulla intus dulci, quam commedunt more castanearum: eius planta multis ramis frutificat, superne crassioribus, qua folia & fructus gerit, inferne tenuioribus, sine foliis, qua veterum foliorum, quæ deciderunt, pediculi in capillamenta quædam extenuati caules conuestiunt. Folium est in rotunditate latum, ac pulposum longo pediculo. Theophrastus tradit, Tribulum aquaticum in fluminum palustribus tantum prouenire, profunditate ad summum quinorum cubitorum aut paulo altiore, nihil autem eius excedere præterquam ipsa folia inflexa quodamodo, & occultantia Tribulum, qui mersus in aquam pronus ad imum vergit: folio amplo ad effigiem Vlmei, pediculo admodum longo; caule parte summa crassiore; vnde folia & fructus dependent: inferna graciliore continuè vsque ad radicem capillamenta quædam gerente, quę assidue prope radicem ampliora sũt: Germina à latere multa terna, quaternaque, quorum maxima, quæ proxima sunt radici: fructus niger durusque vehementer. Dioscorides similiter

militer describit In Thracia è uirenti equos saginare, è semine dulci & esculento panem facere. hęc de Aquatico. Tribulus Terrestris in ruderibus æstate nascitur, & harenosis locis, ramulis multis, humi stratis, cubitalibus, tenuibus, foliis multipartitis, vt in Cicere tenuioribus, pinguibus, iuxta quæ parui fructus candidi inuicem herentes quinque ad summum vnicum constituentes veluti capitulum rotundum robustissimis aculeis. Dioscorides hanc describit foliis effigie Portulacæ, tenuioribus, viticulis in terra stratis, spinis secundum folia rigidis, præ duris, iuxta amnes & rudera. Theophrastus inquit, exit folio Ciceris, in terra stratus multifidus, fructu aculeigero, qui maturius prouenit. semen Sesame simile. Plinius non σησαμῶδες legit, sed ἀμμῶδες, idest arenaceum; Alterum genus terrestris tradit Theophrastus, quod similiter humi stratum, & multifidum est: serius germinat: spinoso quoque folio: rotundo semine, ac nigro in siliqua: prouenit apud septa villarum, quod genus adhuc nobis est incompertum. Plinius Theophrastum sequitur, vnum in paludibus tradens, quod excipitur in cibis, iuxta Nilum, & Strymonem, alibi dira res, nam in reliquo orbe, genera duo, vni Cicerculæ folia, alteri aculeata; hic & serius floret, magisque septa obsidet villarum: semen ei rotundius, nigrum in siliqua, alteri harenaceum. esse autem Tribulum inter frugum morbos, potius quam terræ pestem, vt Carduum, Lapparaque non minus quam Rubum.

CAP. XXVIII.

SPINACIA vulgo appellatur olus, alioqui Betæ simile, sed foliis in extremo angustioribus, figura ferme triangula appendicibus quibusdam prope pediculum: ramos breuiores fert, in quibus aut flores sine semine pallidi, aut sine flore aceruata sunt semina dura & spinosa: vnde nomen venit: in cibos cocta, vt Beta, appetentiam excitat lubacido sapore, cuius gratia seritur in hortis. quædam sylvestris reperitur in montibus breuiore, & latiore folio. Quid si Spinaciam dicamus Lapathum domesticum? quam Dioscorides tanquam notam nominauit tantum pro secundo genere, solum inquit non similem figura esse cum Oxylapatho, distat enim tum folio, tum semine, conuenit autem sapore cum cæteris Lapathis. Plinius tamen aliter scribit, Oxylapathum scilicet satiuo similius esse. At quod de Oxalide Plinius scribit, idem comprobat, cum inquit, esse Rumici satiuo proximum: foliorum enim figura eadem est, vt suo loco patebit.

CAP. XXIX.

LAPATHVM, seu Rumex olus est sylueſtre, paſſim in campis humecto ſolo naſcens: cubiti altitudine: radice Betæ carnoſa, intus Buxei coloris: folia ſunt Betę, ſed longiora, anguſtioraq;, in acutum deſinentia, ſubrubra, ſapore ſubacido: eius rami vndique ſemine onuſti ſunt, comam conſtituentes rectam, & denſam: ſemen triquetrum in acutum deſinit pendens in folliculis, qui veluti ex tribus labiolis conſtant membranaceis, colore rubro, ſapore auſtero. Dioſcorides Oxylapathum vocat, in paluſtribus naſcens, ſubacidum, & in ſummitatibus durum. Plinius non ſubacidum legit, ſed acutum, de foliorum figura intelligẽs, quæ & rubriora inquit eſſe, quam ſatiuum. Lapathum rubrum Cretenſe iam ſeritur in Italia, non ſolum foliis, ſed & caule ſanguinei coloris, ſucco quoque ſanguineo inficiente manus, ſimpliciori caule conſtat, quam noſtrum, & foliis paulo latioribus, rotundioribuſque. Eſt & magnum Lapathum in paludibus naſcens, quod Hyppolapathum vocatur, magnitudine tantum diſtans, ab Oxylapatho; nam radix craſſa eſt, vt Rhabarbarum imitetur, non ſolum colore ſed etiam facultate purgandi, cum aſtrictione: folia ſunt Betæ candidę, longiora: caulis erectus tricubitalis. Dioſcorides de Hippolapatho inquit, olus eſt magnum in paludibus. Plinius inquit maius ſatiuo eſſe, candidius, ac ſpiſſius: adiecit & Hydrolapathon in aqua natum, quæ eadem videtur eſſe. reperitur & Lapathum sylueſtre paſſim in ruderibus naſcẽs, & prope vias anguſto folio ſtrato, cui plerunque ſectio quædam eſt circa imam partem: caulem ramoſum fert: ramis non in rectum, ſed in latera tendentibus, in quibus ſemina tenuiora, & rariora ſunt. Dioſcorides hoc genus paruum inquit eſſe, humile ac molle Plantagini ſimile. Plinius genus sylueſtre non diſtinguit ab Oxalide. reperitur & in montibus quoddam foliis in latitudinem magis, quam longitudinem dilatatis: radice craſſa, & crocea, vt Rhabarbarum. Forte apud Plinium Bulapathum vocatur radicis tantum altitudine differens, efficacis remedij ad diſſentericos. Theophraſtus Rumicem, ſiue Lapathum deſcribit radice ſingulari omnium olerum altiſſima, maiore ſemipedibus ternis, carnoſa, viuaci, ideo diuturnitate vincit etiam sylueſtrem, & omnia olera, multicaulis, & ramoſus conſiſtit, & tota forma cum perfecta eſt Betæ proxima: sylueſtris radicem breuiorem agit, gratior quam vrbana: tamen ſucco acidior: olera cocta tantum cibo idonea. ex his videtur Vrbanam Rumicem Hippolapathum intellexiſſe, hęc enim radice multos annos viuit. Galenus meminit Lapathi, Oxylapathi, & Hippolapathi. eſſe autem Lapathum veluti sylueſtrem Betam, ex quibus colligitur non

eſſe

esse apud Galenum Rumicem satiuam, & forte per Oxylapathum accepit Oxalidem, per Lapathum autem simpliciter dictum vulgarem Rumicem tum maiorem, tum minorem. per Hippolapathum autem Rumicem magnam. ex hoc genere videtur esse Rheum ab antiquis appellatum, vt testatur quidam Hesiodi commentator, qui Lapathi radicem Rheon appellari asserit. Dioscorides stirpem non describit, sed radicem tantum ex locis vltra Basphorum allatam, quæ etiam Rha, & à Romanis Rhaponticum appellatur nigra, Centaurio magno similis, minor, rufior, fungosa aliquantum, leuis, sine odore, gustu cum astrictione lentescens: præterea commanducata reddit colorem pallidum, & croceum. Arabes Raued vocant, & Rheubarbarum, cuius non absimilis est descriptio apud Mesuem inter medicamenta purgantia, quamuis eius tria genera faciat, vnum Indicum, quod optimum est, & Rauedsceni vocant: alterum Barbarum; Tertium Turcicum deterius: laudat subnigrum tendens ad rubedinem, quod graue cum sua raritate, & in fracturis mixtum colorem reddit rufum cum glauco, tincturæ croceæ. Adulterari testatur infuso in aqua per dies quinque, postea exsiccato anima extracta. Idem Galenus in primo de Antidotis fieri testatur in Rhapontico. Paulus Aegineta vim purgandi in esse testatur in Rhapontico, quod alibi Rhabarbarum vocat in compositionibus. eius tamen facultatis nec Dioscorides, nec Galenus meminerunt. idcirco Auerroes eos accusat, quod huiusmodi vim non cognouerint in Rheubarbaro. Quamuis autem recentiorum quidam acriter contendant alterũ esse Rhaponticum à Rheubarbaro, quod & Rhabarbarum vocatur, quia testentur se vidisse legitimum Rhaponticum à Rheubarbaro diuersum: quia tamen video Arabes omnes, & Paulum rem eandem sensisse, putandum est radicem quam officinæ pro Rhapontico substituerunt adulterinam esse, vt nunc quoq; visitur, ipsam Centaurij maioris radicem pro Rhapontico vendentibus, deest autem color rufus, & succus croceus: rectius autem alij Hippolapathi nostri radicem substituerunt, Rhabarbarum vocantes. sed in genere Rhabarbari Turcicum apud Mesuem Rhaponticum fuerit, quod deterius est, quale illud est, quod officinæ acerbum Rhabarbamrum vocant, colore minus vario, minus croceo, minus odoratum, minus dẽsum, ac facultate minus soluente, vnde in fluxibus alui magis probatur.

CAP. XXX.

OXALIS, vulgo autem Acetosa inter olera domestica reponitur, quæ cruda comeduntur ex oleo & aceto; nam colitur in hortis, licet etiam sponte nascatur gracili solo, tenuis herbula: foliis digitalibus, in tres angulos desinentibus: figura quasi sagittæ:

sapore

ſapore ob multam aciditatem grato: cauliculum tenuem fert, dod rantalem: comam rubram, in qua ſemen vt in Oxylapatho pendet, tenuius Alteram in montibus maior, foliis ad Spinaciam accedentibus, ſapore ſimili. Tertia etiam eſt mediæ magnitudinis: rotundioribus foliis. Dioſcorides Oxalidem quartum genus Lapathi ponit, cuius folia ſylueſtri ſcilicet exiguo Rumici ſimilia: caulis non magnus: ſemen ſubacutum, rubens, acre in caule, & agnatis appendicibus, ex quibus paruum illud videtur ſignificare. Plinius Oxalidem ſylueſtre Lapathum eſſe, ſatiuo proximum: foliis aquoſis, colore Betæ candidæ, radice minima, ex quibus videtur ſignificare, reliqua genera maiora; illa enim Spinaciæ proxima ſunt, quod Lapathum domeſticum poſuimus ex Dioſcoride.

CAP. XXXI.

FORMENTONE vulgo vocatur, aliis Sareſinum, ſemen trilaterum, figura ſeminis Lapathi, grandius, cortice nigro, candida intus ſubſtantia, vt Frumenti, quod in cibis coquitur, Farris, & Orizæ modo, cuius gratia ſeritur inter æſtiuas Fruges: eius planta caules cubito maiores fert, infirmos colore ſanguineo, lęues: folia Oxalidis mediæ, quæ cum tota planta aliquando rubeſcunt, ex alis Foliorum racemuli exeunt cum floſculis candicantibus, è quibus pendent ſemina, qualia dicta ſunt. Alterum eius genus eſt, quod ſponte oritur, Conuolvulo ſimile, tenuibus cauliculis, vicinas plantas amplectens, ſemine Lapathi, hoc in gracili ſolo totum rubet.

CAP. XXXII.

LIMONIVM herba in paluſtribus, præcipue marittimis, oritur: radice craſſa, & rubra, ac ramoſa, aſtringenti, qua pro Been rubro vtuntur: folia à radice tantam fert Rumici ſimilia: caulem nudum, tenuem, cubito minorem, qui in ſummo finditur in ramos, in quibus hęrent floſculi parui quales in Polygono, alij candicantes, alij purpurei, alij punicei: in his ſemina Polygoni includuntur. Alterum eius genus exiguum reperitur, foliolis paruæ Oxalidis, cauliculis quatuor digitorum altitudine in locis aridis. Dioſcorides deſcribit foliis Betæ, tenuioribus, ac longioribus, decem aut pluribus, caulem tenuem, rectum, Lilio æqualem ſeminibus rubris ſcatentem, guſtu aſtringente. Plinius Limonium Betam ſylueſtrem vocari tradit, multo minoribus tenuioribuſque foliis ac denſioribus, vndecim ſæpę caulium. Galenus Betam ſylueſtrem nullam nouiſſe ſe teſtatur, niſi quis Rumicem accipiat. certe hæc plena eſt ſeminis rubri, & aſtringentis. Limonij tamen ſeorſum meminit, vires ex Dioſcoride examinans.

BISTORTA

CAP. XXXIII.

BISTORTA vulgo appellatur in alpibus radix conuoluta serpentis modo, vnde Serpentariam quidam vocant, colore rufo, astringentis saporis: folia fert ab radice Lapathi sylueſtris figura, plumbei coloris: in parte prona caulem ſimplicem fert & rectum raris foliolis, in cuius ſummo ſpica eſt Perſicariæ ſimilis ſemine rufo. Plinius Molybdenam, ideſt Plumbaginem appellat herbam, quæ vulgo naſcitur etiam in aruis folio Lapathi, craſſa radice, hiſpida: alibi videtur intelligere inter Dracontia ſibi demonſtrata, primum foliis Betæ non ſine Tyrſo, flore purpureo, reliqua vero genera cum Aro à nobis explicabuntur.

CAP. XXXIIII.

PERSICARIA vulgo dicitur herba, in humidis & paluſtribus locis fermè cubitalis, paucis ramis Calami modo geniculatis, colore rubro, foliis Perſici, aut Salicis, guſtu acerbo, in ſummis ramulis paruæ ſpicæ ſunt, refertæ ſemine candicante, aut ſubrubente, figura cuſpidis lanceæ, radice geniculata nititur pallida, aut rubente. eius duæ inueniuntur differentiæ, vna folio conſtat lęui, & maculoſo, macula in medio folio ſubrubente, figura triangula. Alteri folium aſperiuſculum eſt, ac ſine macula, acerbioris ſaporis. Dioſcorides Brittanicam vocat ſeu Bretanicam, quæ & Bettonica dicitur, cui folia ſylueſtris Lapathi, ſed nigriora & piloſiora, guſtu aſtringentia: radix tenuis, & breuis: caulis non magnus: exprimitur ſuccus è foliis, qui igne, aut ſole cogitur, vim habet aſtringentem, potiſſimum ad depaſcentia oris, & tonſillarum vlcera. eandem puto deſcribi iterum mox ſub nomine Bettonicę: radix enim rubens non ſine odore: caulis rectus, Calami modo geniculatus, in quo folia oblonga, & medio macula rubens triangula: inquit enim Bettonica naſcitur in fenariis campis, locis montuoſis, puris & placidis apud virgulta, animas hominum & corpora tuetur à maleficis, & piaculis omnibus ac periclis, contra peregrinationes nocturnas, itinera inſidioſa, difficiles ſonnos, in totumque per omnem medicinam ante cunctas celebratiſſima eſt: eius deſcriptio hoc modo legitur: habet radicem totam rubram & odoratam, folia autem praſina, & quod in medio foliorum puniceum, & recto calamo triangulum, & ſuper ipſa flores purpuraſcentes: eius virtus huiuſmodi eſt recens detrita vulneribus capitis imponitur ad dolorem leuandum, conglutinat, & oſſa fracta extrahit, quod ſingulis diebus fit donec ſanentur; feruefacta in aqua do-

lores

flores capitis sanat, si ea irrigetur, & cum bitumine temporibus inungatur: radix quoque suffita idem præstat, hæc Bettonicæ narratio à recentioribus tanquam spuria deleta est. Plinius Brittanicam vocat, miratque nominis causam, cum in Brittania non plurima nascatur, in Germania trans Rhenum marittimo tractu, fontem esse aquę dulcis, qua pota, dentes intra biennium deciderent, & compages in genibus solverentur, repertam auxilio herbam Brittanicam non solum neruis & oris malis salutarem, sed ad anginas & serpentes. folia habet oblonga nigra, radicem nigram, succus eius exprimitur & ex radice, florem Vibones vocant quia collectus antequam tonitrua audiantur, & deuoratus securos in totum reddit.

CAP. XXXV.

HYDROPIPER, aliqui Persicariam minorem vocant, in totum Persicariæ similis: tenuioribus, ac breuioribus foliis, leuibus, sine macula: ramis, & fructu magis rubentibus: sapore acri, similiter in aquosis nascitur. Dioscorides apud aquas stagnantes nasci tradit: caule geniculato, solido, multis alis: foliis Mentę maioribus, mollioribus, candidioribusque, gustu Piperis, citra odoris gratiam: fructum autem acrem in surculis paruis fert prope folia racematim: radicem paruam nullius vsus. ex hoc genere videtur apud eundem Dioscoridem Crateogonem esse, foliis Melampyri, multis calamis ex vna radice prodeuntibus, multorum geniculorum, semine Milij: nascitur in opacis, & frutetosis, parte plurima summopere acre. Plinius de eo scribit Spicæ Tritici simile est, id est Melampyro, multis calamis ab vna radice, multorumq; geniculorum, in opacis semine Milij vehementer aspero gustu, qui sapor Persicariæ magis conuenit. Theophrastus Crateum vocat, cuius fructus ex aqua semen prolificum facit, nascitur id, Lini modo ruffum, & fructum tanquam Milium fert.

CAP. XXXVI.

POLYGONVM, quæ vulgo Centinodia vocatur, herba est humi strata; in æstate passim proueniens multis ramulis Iunci modo lentis, tenuibus, geniculis frequentibus: singulari folio iuxta singulos geniculos, quod paruæ linguæ similitudinem gerit, ideo Lingua passerina à nonnullis vocatur: iuxta singula folia flosculi sunt pauci exigui, rubentes, aut candicantes: semen autem in suis folliculis triquetrum Acetosæ simile. reperitur quædam longiori tum semine, tum folio erecta in montibus: alia quoque in marittimis breuior & crassior, tota candida

dida & humi ſtrata. Dioſcorides Polygonum marem vocat, exilibus ramis, teneris, multis, Graminis modo geniculatis, humi ſtratis: foliis Rutæ mollioribus, longioribus: ſemine ſub omnibus foliis turgente: flore candido, aut puniceo. Plinius hanc in marem & fęminam diſtinguit. Mas non attollitur è terra, foliis Rutæ, ſimilis Gramini. Fęmina maior, minus nigra, geniculis denſior, ſemine ſub omnibus foliis turgente. Quidam hanc marem, illam fęminam vocant. Quamuis autem vtrique ſemen ſub omnibus foliis inſit: quam tamen erectam poſuimus, videtur Plinius poſteriorem intellexiſſe. Aliæ autem plantæ, eodem nomine appellantur, tum à Plinio, tum à Dioſcoride, de quibus alio loco dicendum eſt.

CAP. XXXVII.

ALSINE herbula eſt iuxta hortorum parietes, & in vmbroſis, læto ſolo alioqui ſimilis Helxine, ſed ramulis humi ſtratis, dodrantalibus: foliis per interualla binis, paulo Helxine minoribus, łęuibus, craſſis Portulacæ modo, odore omnino Cucumeris, ſi terantur digitis, fructum ſine flore fert in alis foliorum, more Polygoni, ſed rotundum, & durum hyeme & Vere tantum. Dioſcorides inquit, eadem eſſet quæ Helxine, niſi humilior, minoribus foliis, non hirſutis, cum teritur, odorem habet Cucumeris, naſcitur in opacis, & lucis, &, vt inquit Plinius, eadem fere ex Dioſcoride repetens, in hortis, & maxime in parietibus. appellatam etiam fuit Myoſotis, quia, cum prorepit, muſculorum aures imitatur foliis: Quamuis autem hæc deſcriptio ſatis conueniat alteri plantæ, quę vulgo Morſus Gallinæ, & Centumculus vocatur. affinior tamen Helxinę illa eſt quam deſcripſi, nam præter cæteras ſimilitudines, ſemina circa caulem ſine flore fert, alioqui hæc vix à Centumculo diſtinguitur, viſu, ſed inuentu rarior.

CAP. XXXVIII.

HELXINE vulgo autem Parietaria, herba eſt, vbique in parietibus naſcens: cauliculis ſubrubentibus, teneris & quadantenus perſpicuis: folia inſunt figura Hederę, parua, inſecta, ſubnigra, aſpera, vt veſtibus hęreant: ſemina in alis foliorum pauca racematim fert, folliculis aſperis incluſa: eius ſuccus maculas ex oleo abſtergit, propinant quidam eundem miro effectu ad vrinam mouendam, & renes à calculis purgandos. Dioſcorides tradit in parietinis, ſepibus, & maceriis naſcentem, foliis Mercurialis, hirſutis: cauliculis ſubrubentibus, circa quos veluti ſemina aſpera, veſtibus hęrentia inſunt. Plinius quan-

quam sub hoc nomine plures plantas intelligat. hanc tamen describens, multa ex Dioscoride mutuatus est, aliter autem foliorum similitudinem tradit, mixtæ scilicet similitudinis Plantaginis, & Marrubij, cauliculos densos, leuiter rubentes, semina in capitibus Lappaceis adherentia vestibus, vnde nomen Helxines, inficit lanas. forte commutauit cum Perdicio, quam herbam Vrceolarem à nostris appellari tradit: folio Ocymi tantum nigriori: nascitur in tegulis, parietinisq;: pręcipui remedij lapsis ex alto succus potus, monstrata somnio à Minerua Pericli Athenienſium principi, vnde & Parthenion vocatur. Galenus quoque Helxinem, & Perdicium & Parthenium vocari testatur: si igitur in Plinio folia Ocymo similia, sed nigriora accommodentur Helxine, cui Dioscorides Mercurialis similitudinem tribuit, licet non sint serrata: folia autem mixtæ similitudinis Plantaginis & Marrubij reddantur herbę Vrceolari, dicemus Vrceolarem herbam, cui vasculum Vrceo simile & folia Plãtaginis, vulgo autem Saponaria appellatur, quia lanas purgat, quanquam & illi congener sit, quę folio est Ocymi, vnde Ocymoides vocatur, de quibus inferius erit dicendum.

CAP. XXXIX.

QVIDAM Salsolam vocant, herbulam in marittimis nascentem, ramosam: foliolis thereti figura pulposis, vt Vermiculariæ, in aculeum tenuem, & pungentem desinentibus, flore rubente: aliquando tota rubet multis ramis humi sparsis, semen fert in autumno, veluti in fouea, ternis circundantibus foliolis pungentibus. Herba dum tenella est, assumitur in cibis cum oleo & aceto: quoddam genus colitur in hortis, vulgo Isgarum vocant: foliis nequaquam pungentibus, longioribus, ac viridibus: ramis maioribus: semine nigro simili Vermiculo in spiras conuoluto, quod gustu fauces vrit: herba ipsa assumitur inter olera. apud Dioscoridem putatur Tragos; at sapore non constat acerbo, nec acinis constat. Plinius inter genera Halimi recenset, cum inquit alij olus marittimum, salsum, & inde nomen, foliis in rotunditate longis, laudatum in cibis; Duorum generum sylueſtre & mitius, vtrumque dissentericis, & exulceratis. Sylueſtri tenuiora folia: efficacior in sananda scabie: vtrumque mandi & condiri. Crateas tertiam genus, longioribus foliis hirsutioribus, odore Cupressi, nasci sub Hedera. Quę autem intelligatur odore Cupressi adhuc incertum est. Quædam in marittimis nascitur foliis tenuioribus Isgaro, numerosioribusque, nequaquam pungentibus, rubris: in autumno copioso semine racematim ramulis hærente, nigro simili Blito: hæc quoque salso sapore constat: aliæ huic congeneres iuxta parietes, & sterquilinia nascuntur: foliis gracilioribus, viridibus: semine Polygoni, gustu insipido.

ALIVD

CAP. XL.

ALIVD genus Salsolę in marittimis nascitur, palustribus: fruticosa: nullis foliis: Cupresso nuper nascenti similis: pulposis ramulis: salso gustu: colore rubente in maturitate. aiunt ex hac combusta, Nitri quoddam genus facere, quam Sodam vocant, ad vitrum eliquandum necessariam: hæc summis ramulis turget in autumno: semina intra se condens tanquam in aluo: constat enim ramusculorum compago ex frequentibus squamulis pulposis, sub quibus instar Lentis, semina cõcipiuntur parua, quæ decidunt arescentibus squamulis in hyeme. eius duas notauimus differentias: vnum simplicius, & breuius dodrãtali altitudine, rectum, annuum: Alterum multis ramulis, fruticans, lignosum & grandius, perpetuum. plurimum in Ilua, portu Ferrario, aliquando in scopulis. Serapio Vsnem & Cali vocat, eo nomine intelligens tum plantam, tum Nitrum ex ea paratum. Plantam alicubi tantæ magnitudinis tradit, vt facile sub ea, quis vmbram inuenire, & meridiari possit: totam etiam num lignosam esse. huic Plantæ Tragos videretur conuenire, cum fruticosa sit ac sine foliis, non tamen acuto cacumine adhuc visa est. potius Empetron dici apud Dioscoridem puto, quæ & Phacoides appellata est à Lentis similitudine, sed apud Galenum, & Paulum deprauate, vt puto vocatur Prasoides. inquit Dioscorides de Empetro, nascitur in montibus marittimis, salsa, quo vero à mari longius recessit, magisque terrena fuerit, eo amarior sentitur. sumitur in iure aliquo aut hyrdomelite, pituitam inutilem trahit, & bilem, & aquam. Plinius eadem fere tradit. Empetron nostri Calcifragam vocat, nascitur in montibus marittimis ferè in saxo, quo proprius mari fuerit, minus salsa est, potaque bilem trahit, ac pituitas: quo longius magisque terrena, amarior sentitur, trahit aquam: vetustate vires perdit: recens vrinas cit: decoctum in aqua, vel tritum calculos frangit. Qui fidem huic promisso quærunt, affirmant lapillos, qui subseruefiunt, vnà rumpi. Videtur autem Plinius, Empetron, & Saxifragam Dioscoridis eandem plantam putasse, cum vtriusque vires & nomina vni huic tribuerit. Galenus certe Saxifragę non meminit in simplicium censu: Empetri meminit. alibi tamen idem Plinius Saxifragam à nostris appellari tradit ipsum Adiantum nigrum, nõ quod in saxis nasceretur, sed quod calculos mire pellit.

CAP. XLI.

FRVMENTA inter fruges numerantur non solum hominum, sed & iumentorum, cibus maxime proprius, cuius gratia singulis annis seruntur: annua enim sunt. seminibus inest multa vis alendi,

nec herba ipsa inutilis, cum depascantur illa tum viridi, tum sicca omne pecudum & iumẽtorum genus. peculiare in seminibus his; non enim ab eadem parte videntur radices in terram agere, & germen, sed radices quidem ab ea parte, qua cor est, quod inferius sedet: germen autem ab altera, & exteriori, quod nullis aliis contingit: eadem enim particula in omnibus seminibus principium est tum radicis, tum germinis. At vero neque in frumentis distant vere huiusmodi particulæ, sed intra corticem latente seminis corde, radix quidem inferius, germen autem superius emergens, corticem disrumpit in opposita parte: non enim semen biualue est, vt in leguminibus, & cæteris plerisque bina folia in ortu ostendentibus: nam in iis tota nouella plantula tanquam fętus, è cortice seminis erumpit vnica parte: in frumentis autem continetur intra corticem seminis corpulentia, vnde primum alimentum habetur, & tan diu hęret nuper natæ plantulæ, donec tota eius substantia in radices & germina abierit. Quod aliquando & biualuis contingit, cum prę crassitię seminis, & corticis duritie, binę illę seminis partes non erumpunt in folia, sed statim proprium foliorum genus ostendunt: sic frumentorum genus vniuersum se habet: radicem non vnicam in altum dimittit, sed statim plures fibras sine ramis spargunt: caules ferunt simplices, geniculatos, & concauos magna ex parte, sine cortice, sed folij pediculus circumquaque vestiens cortices vicem gerit, vt in ferulaceis, caules hoc culmos vocant, & calamos folia in longitudinem producta & indiuisa, neruosaq; : semina summis calamis continentur in spica, aut racemosa iuba, aridis folliculis inclusa, qui plerumque in aristas desinunt, id est tenues & asperas festucas: flosculos edunt lanugineos è seminũ folliculis erumpentes; frumentorum hyberna dicuntur, quæ hyeme & Vere sata, æstate perfecta sunt: æstiua autem, quæ in æstate sata, in autumnum prorogantur: hyberna spicis magis continent semina aristis munita: æstiua autem racemosis potius Iubis exposita, paruis auibus sunt, vt Milium, Panicum, eorum quoque alia folliculis multipartitis includuntur, à quibus facile absoluuntur, vt Triticum, Far, Secale: alia vno continuo folliculo inclusa permanent, vt Spelta, Hordeum, Auena.

CAP. XLII.

TRITICVM frumentorum optimum: nam ex eius farina panes fiunt ad homines alendos optimi: in granis subrotundis & lęuibus rimula per longitudinem discurrit; color aliis candidus: aliis subruffus: aliis rotundiora: alia oblongiora: grandiora quoque; vel tenuiora: in spicis quoque aliqua est differentia; plurimę enim aristis munitæ sunt: quædam illis carent: ramosæ quædam sunt, in quibus

gran-

grandiora sunt grana: plurimæ simplices. ex his genus, quoddam candidissimum in spica sine aristis gignitur, apud Aretinos Galbigiam vocant incolæ, quam Siliginem vocat Plinius Tritici delitias, cui candor est, & sine virtute & sine pondere, conuenit humidissimis tractibus, alibi transit in Triticum biennio, spicam fert sine aristis, similiter vt Far, excepta Laconica, nunquam maturescit pariter, & minime dilationem patitur decidentibus granis, sed minime in stipula periclitatur, quoniam stipulam habet rectam, nec rorem continet, qui rubiginem faciat. Galenus panem Siligineum purissimum esse testatur, Græcis tamen incognitam Siliginem fuisse: Aliud rotundo magis grano, quod seritur Veræ, vnde Vernellam vocant vnico culmo. Dioscorides Trimestre vocat, & Sitanium, quod leuiorem cibum & reddi faciliorem præbet. Farinæ autem differentiæ sunt Pollen, Similago, Secundarium, Furfur. Pollen vt Plinius inquit idem in Tritico est, quod flos in Siligine: vtuntur pro glutine libris glutinans teste Dioscoride. euolat autē Pollen, vt vicinis parietibus & molis hęreat. Similago est Tritici farina purissima, vnde panis similaceus, post Siliginem proximus, vt inquit Galenus, plus alit, quam cibarius, vt inquit Dioscorides. Fit etiam ex ea gluten, vt ex Polline: secundarium apud Plinium, ex quo cibarius vocatus panis fit, quem Dioscorides Syncomiston vocat. Videtur hoc quod secundo loco post Similaginem excernitur, medium inter Furfur & purissimam Farinam, ex quo pauperes panem conficiunt. Galenus tamen Syncomiston, & Autopyron vocari tradit panem, qui ex tota Farina cum Furfuribus paratur. Furfur pars est crassissima ex Tritici cortice constans ad panes pro canibus alendis commoda.

CAP. XLIII.

QVOD vulgò Far vocatur, non vnum semen est, sed aliud apud diuersas gentes intelligitur, vbiq; tamen Far vocant quodcumque semen quod à cortice mundatum, & confractum, elixatur in cibis. In Sicilia ex Hordeo parant, & in quibusdam Appennini locis: quoddam genus hordei habent paruum, alibi Spelta vtuntur. In Gallia Cisalpina semen est proprium, Tritico longius, dorso acuto, colore ruffo, in spica crassiori, quam Spelta, multiplici folliculo, binis ordinibus, & in singulis ordinibus, bina semina coniugatim disposita propriis membranis arcte inclusa, culmus multiplex, breuior Tritico, folia angustiora, amat loca pinguia, seriturque Vere: difficile exteritur à folliculis. Aliud nobilius, sed rarius in Italia seritur, longe crassiore grano, & candidiore, quod è suis folliculis facilius erumpit more Tritici: eius spica sine arista est. Plinius quoque multa genera Farris tradit: de iis autem,

autem, quæ modo descripsi, videtur intellexisse, cum inquit. Far spicam ferre sine arista, vt Siligo: nam de altero genere Farris, quod veteres Adoreum appellabant: quia difficulter exteritur, inquit condi cum sua palea, & stipula tantum, & aristis liberari; ad nostrum genus Farris etiam illud pertinere videtur quod inquit: Galliæ quoque suum genus Farris habent, illic Brancæ vocatum, apud nos Sandalum nitidissimi grani. quod plus panis affert quaternis libris, quam Far aliud. Quod præterea inquit in Aegypto fieri ex Olyra, ad alterũ nobilius Far pertinere videtur, quod etiam tempore Plinij in Italia serebatur, licet esset sub alio nomine Galliarum proprium. Quod enim Olyra in Aegypto est, Arinca in Gallia vocatur, qua decocta medicamentum fit, quod Aegyptij Atharam vocant infantibus vtilissimum. ex Arinca inquit dulcissimus fit panis, ipsa spissior, quam Far & maior spica & ponderosior: modius grani sexdecim libras implet. exteritur in Gręcia difficulter, ob id iumentis dari: in Aegypto facilis fertilisque. Dioscorides nostrum Far videtur Zeam Dicoccon appellasse, quæ duo grana in duobus folliculis iũcta gerit, ex qua Chondros fit, quam Alicam interpretantur multi non bene: Galenus ex genere Tritici esse Chondrum scribit. & Olyra Dioscoridis eiusdem generis cum Zea habetur: solum nutrit minus: panis ex ea fit & tunditur in crassiorem Farinam, vt Zea, quam Crimnon vocant pro pulte. Theophrastus Zeam, quam Theodorus semen vertit ex Plinio per quam similem Tritico esse scribit, & in Triticum mutari solere, si pistum eius granum seratur, idque non protinus, sed anno tertio, aliquando in Auenam: mature seritur, exit Tritico & Hordeo similis robustissima, & maxime terram extenuans, quia radix ei multiplex atque alta, culmusque numerosus constat, sed fructus facillimus, omnibus animalibus gratissimus: solum pingue, & lętum desiderat. Olyram autem quam Theodorus Siliginem auertit, molliorem Zea, & infirmiorem scribit mature seri, Tritico & Hordeo similem: semina multiplici folliculo includi.

CAP. XLIIII.

SPELTA vulgo appellatur veluti exiguum Triticum suo folliculo perpetue inclusum, qui singulis seminibus vnicus est, lęuis, candicans, & modice depressus, in aristam desinens subasperam, spica breuis est, & depressa, seminibus vtrinque vnico ordine disposius, culmus quoq; breuis: amat solum tenue & aridum: panem modicum quidem, sed suauem reddit; sed propter exilitatem iumentis datur. Dioscorides Zeam simplicem appellat, quæ vi panificia magis Hordeo, minus Tritico nutrit: ori grata, ex ea quoque fit Crimnon, quæ crassior est Farina, ex qua pultem faciunt, vt ex Tritico & Olyra; à pulte autem

Spelta

Spelta videtur appellata. Plinius testatur Romanos pulte non pane longo tempore vixisse, sed tam Grecię pultem ignotam, quam Italiæ polentam. idem Plinius à Grecis accipiens aliquando Zeam vocat, quod à Latinis semen appellatur, maxime in Campania: quia res præclara etiam Homero teste laudante arua Zeam ferentia: ex hoc semine Alicam fieri, de qua inquit, semen maxime nudum esse, vt Hordeum, quod nequaquam Chondro conuenire videtur: Tunditur granum eius in pila lignea, excussis inde tunicis, iterum nudata medulla conciditur in tria genera, minimum scilicet, secundarium, & grandissimum. Alica præterea res Romana est inquit, neque Pompei magni ętate in vsu fuisse traditur, Ptisanęq; antefertur sine dubio: nam laudes Ptisanę, quas Hiprocrates vno volumine condidit, omnes in Alicam nunc transeunt. Contra, quanto innocentior est Alica: Hippocrates tantum sorbitionis gratia laudauit: quoniam lubrica sitim arceret, in aluo non tumeresceret, facile redderetur, & assuetis hic solus cibus in febribus die possit dari, tantum remotus, ab istis, qui Medicinam fame exercent. de Alica confirmat & Paulus Aegineta, aliam esse à Chondro, cum inquit similem esse Chondro natura, nisi quod ventrem magis supprimit, vt Dioscorides testatur de Zea, præsertim tosta in Crimno. Galenus Speltam videtur intellexisse sub Tiphæ nomine, inquit enim esse veluti Triticum paruum, eo longe exilius, colore magis flauo, cortice vestitum vt Hordeum; equorum cibis commodum, decorticatum in panes recipitur, vel aqua elixatur, manditur cum sapa, aut sale.

CAP. XLV.

HORDEVM semen est in medio crassum, & rotundum vtrisque extremis in acutum desinentibus, cortice potius quam folliculo inclusum: adhęret enim semini, vt cum labore auellatur: ponuntur semina in spica nulla alia protegente membrana, ideo nuda videntur vt Speltæ: & similiter in aristam desinunt, longam, & asperam aliquando binis versibus, vt vnicum vtrinque semen ordine procedat: longissima spica, quod genus Ordeolam vulgo appellant: in montibus & locis frigidis satam, breuiori grano, ac rotundiori, candido, quo pro Farre vtuntur. Hoc forte fuerit Far Adoreum apud Plinium: inquit enim fuisse primum antiquis Latio cibum Far Adoreum magno argumento in Adoreę donis: ex omni genere durissimum, & contra hyemem firmissimum, patitur frigidissimos locos, & minus subactos, vel æstuosos sitientesque: purgari non potest nisi tostum: ideo spicam Farris tosti pinsunt ruuido pilo, sed ad fatus seruant cum suis vaginulis & non torrent: quia difficulter exteritur: conuenit cum palea sua condi, & stipu-

la

la tantum & aristis liberatur. Ad hoc genus referri videtur, quod alibi inquit, qui Zea vtuntur, non habent Far, per Zeam intelligit, quę in Campania semen appellatur, ex qua fit Alica. Alterum genus Hordei similem spicam fert paulo breuiorem; granis tenuibus, vtrinque alternatim ad latera inclinantibus, vt in Spelta, in montibus Lucensibus Scandellam vocant, ex qua panes faciunt reliquo Hordeo meliores: sed iumentis noxia est: nam aluum turbat. Galenus forte hęc genera Hordei inter Olyras recensuit, cum inquit, Olyram colore candido: corticem extrinsecus habere, vt Hordeum, & decorticatam assummi in panes, qui si ex optima Olyra fiant, post triticeos sunt præstantissimi: secundi ab his sunt Tiphini. Quod si Olyrini ex vitioso semine sint facti Tiphini non erunt eis inferiores. ex nobilissima quoque Olyra, cum, vt decet, fuerit decorticata, nominatum Tragum conficitur, quo plerique vtuntur primum in aqua decoquentes, deinde ea affusa, Sapam, aut Vinum dulce, aut mulsum infundentes super iniiciunt, & pineas nuces aqua prę maceratas, donec plurimum intumuerint. Quidam autem inquit, semen hoc genere quidem non tamen specie cum Olyris idem esse affirmant. hęc Galenus. Dioscorides Tragum inter fruges (nam & alia est Trages inter herbas medicas Scorpios cognominata) Chondro similem figura tradit, quę multo minus, quam Zea nutrit, quod multum aceris habeat, quare ægrius conficitur, aluumque magis mollit. Plinius Tragum externum esse semen ab Oriente inuectum Orizę simile.

CAP. XLVI.

HORDEI aliud genus est, crassius, in spica breuiori, rotundiorique, quinis ordinibus, raro quaternis aliquando senis, quo maxime vtuntur ad iumentorum nutrimentum, & rustici ex eo panes faciunt: primum metitur inter fruges, magnum in penuria suo præcoci aduentu afferens adiumentum: huius quoddam genus est, cui cortex sponte abscedit, vnde Hordeum mundum vocant, quod facilioris concoctionis est, & succulentius in ptisana conficienda. Plinius Hordeum Glabrum vocat in Beotia & Aphrica. Et Galenus Hordeum nudum in Capadocia corticis expers. Ex quocunque Hordeo polentam fieri, quæ in cibis præfertur apud Græcos. Theophrastus Hordeum describit latiore folio quam Triticum: calamo breuiori, tenuiorique: semine nudo: nam maximè omnium caret tegumento: spicatur inuerius: aliud binos: aliud ternos, aliud quaternos; aut quinos, ad summum senos. Quantò autem pluribus versibus construitur, eò spissius, & positu arctius constat. vt plurimum granum: aliud rotundius, minusque: aliud oblongius, maiusque, & in spica rarius: & aliud candidum:

didum: aliud accedens ad purpuram, quod aduersus frigora, & flatus & cæli mutationes validius candido resistit: in gracili solo proficere potest: In India quoddam genus Hordei sylueſtris est, ex quo Chondrum bonum faciunt. Dioscorides vnum tantum genus ponit, quod candidum purumque est.

CAP. XLVII.

AVENA vulgo appellatur semen Hordeo longius, tenuiusque: lęui cortice, crasso, ac duro: medulla intus molli, candida, & dulci, tenui quadam lanugine obducta: pendent bina in coma potius quam spica, longis, ac tenuibus pediculis, binis membranis amplectentibus, sine aristis, calami Tritico altiores, nodosioresque: inter segetes præcipue Tritici nascitur: seritur quoque per se ad pabulum iumentorum, vt Hordeum & Spelta: extat mitior, & sylueſtrior: mitior colore candido: crassiore grano: sylueſtrior nigra, tenuiorque. Tertium quoq; genus est omnino sylueſtre & immite: breuiori calamo: frequens in Hordeis: grano subrubente, multa lanugine obducto: arista nigra tanquam festuca robusta, medio semini impacta, vt alterum videatur semen, cum tamen bina tantum in hoc sint, vt in cæteris. Dioscorides prima duo genera Bromon vocat, quorum vnum inquit inter fruges Calamum esse, foliis Tritici, geniculatum, qui fructum in summo gerit, veluti paruas locustas, bimembres, in quibus semen continetur vtile ad cataplasmata, vt Hordeum: puls quoque ex eo fit aluum sistens: eiusdem cremor tussientibus prodest. Alterum inter medicas plantas Aegilopi simile ad Ozęnas laudatum, ex quibus manifestum est, Bromon inter fruges numeratum Auenam esse satiuam, & mitiorem, alteram autem Auenam nigram: hæc enim Aegilopi similior. Theophrastus Bromon inter eas numerat, quæ Tritico & Hordeo similes sunt: sed radice numerosiore constat, & multis dispergitur culmis, veluti sylueſtre quoddam & immite: semen multiplici tunica integitur. Plinius Bromon inter externa recenset ab Oriente inuecta Orizę similia, & alibi inter vitia segetis Auenę Gręcę genere, & folio & stipula Triticum imitatur: in cacuminibus dependentes, paruulas veluti locustas habet. Auenam alibi vocat Frumenti vitium, & Hordeum in eam degenerat. Germani edunt ex ea pultem, semen maxime nudum, vt Hordeum, & Alica, sed hoc aduersari videretur Theophrasto, qui Bromon multiplici tunica tegi testatur, & alibi inquit Auenam maxime natura operuit, vbi gręce Crocos legitur, quam vocem Auenam vertit Theodorus, sed Bromos, vt puto, legendum est. Sed Plinius nudum vocauit: quoniam membranę in maturitate dehiscentes maxime nudum ostendunt semen, proprio tamen

cortice intectum, vt Hordeum & Speltam. Galenus frequentissimam in Asia & potissimum in Misia, vbi Tiphæ & Oryzę multus est prouentus, sed iumentorum alimentum, non hominum, nisi extrema fame in panes digeritur, coctum ex aqua eius semen cum Sapa, aut Vino dulci, suauis est, vt Tipha, minus durum & minus nutrit, sed panis intuauis. Tertium autem genus Aegilops vocatur, manifeste quidem à Theophrasto, Auenam vertit Theodorus: sylueſtre quoddam & immite, quod magis in Hordeo nascitur, terram vehementer extenuat, & multipliciter tum calamo, tum radice, constat folio piloso: cultis melius erumpit: & solum frugale desiderat, & coli exposcit, sed deleri contumax, cum annis alternis nascatur: non enim simul prouenit ex omnibus seminibus, sed partim anno primo partim secundo: semen continuum, & bifidum cernitur, vt eius vna pars prius nascatur, altera posterius anno sequente. Dioscorides autem aliam videtur describere Aegilopis nomine, cum scribit herbulam esse foliis Tritici mollioribus, in summo capite bina ternaue semina gerit rubra, quibus aristæ quasi capillaceę exuunt: medetur oculorum morbo eiusdem nominis, & duritias discutit, quæ descriptio magis videtur conuenire Tritico sylueſtri in Sicilia appellato, quod apud nos quoque passim in incultis, & montosis nascitur palmi altitudine, duobus aut tribus capitibus in summo duris, quæ multas aristas in latera spargunt, colore candido, semen intus continetur Tritico simile exiliuſ. Siculum autem aliud candidum, aliud nigrum, & aristas magis subrectas habet. verum si hanc apud Dioscoridem Aegilopam dicamus, incertum fuerit, quid Bromos sit apud eundem Aegilopi similis: nihil enim habet Auena simile cum ea plantula, pręterquam quod neque rubri sint Tritici sylueſtris fructus, vt Aegilopis, sed candidi, aut nigri. Quod si per aristas capillaceas seminibus insidentes in Aegilope, interpretemur lanuginem, quam diximus in tertio genere Auenæ in esse, nihil obstabit, erit enim eadem Aegilops apud Dioscoridem & Theophrastum. Plinius festucam vocat, vt puto à similitudine aristæ ex medio semine erumpente, tanquam festuca in oculo impacta. Hordeum inquit necat Festuca, quæ vocatur Aegilops.

CAP. XLVIII.

AVENA greca, numeroso calamo nascitur, cubito breuior: seminibus rubris, ac nudis in aristas desinentibus, longis, Auenę modo, sed depressis, quæ ex ramosa coma pendent, paucis spicis, sex aut octo semina, continentibus duobus ordinibus, quæ nunquam cadunt: frequens est in aruis pręcipue in Scrobium superciliis: huic satis conueniret Dioscoridis Aegilops, nisi numerus seminum obstaret.

Plinius

Plinius Auenam græcam seri ad genus pabuli, quod Ocymum appellatur, quia cito prouenit, ei non cadit semen. Hermolaus non Ocymum, sed Ocynum legit, vt quoque apud Varronem, & Catonem legitur quod erat pabuli & farraginis quoddam genus, dictum ab ocys verbo, quod significat cito: Ocymum vero aliud est inter olera.

CAP. XLIX.

LOLIVM semen est in Tritici segete maxime nascens, cum præcipue hyems aquosa fuerit, quasi ex Tritici putredine fiat; granum est paruum, cortice fusco intectum, in acutum desinens & tenuem aristulam, quod etiam in parua quantitate Tritico admixtum, vertigines facit, & oculos hebetat: stipulam Tritico similem gerit, & folia colore virentiore nitentia: spicas longissimas gerit, alternis vtrinq; racemulis breuibus sursum spectantibus per interualla. Theophrastus Lolium græce Aera, sylueſtre penitus est: oritur in Tritico & Hordeo corruptis propter imbres frequentes, etiam ex Lino: semen cortice simplici intectum, quod caput tentat, graueque est: folium angustum, pilosum, pingue peculiari quadam pinguedine, Tritico viridius. Plinius aliquando Lolium vocat inter frugum morbos, ac terræ pestem, aliquando Aeram, cum inquit Triticum enecare, vt Orabanche Eruum. Eius granum minimum est in cortice aculeato, cum est in pane celerrime vertigines facit, carbonibus iniectum aiunt turbam pellere, & quamuis infelix à Vergilio dicatur, sanat tamen morbos multos exterius applicatum. Dioscorides Lolium, quod inter segetes nascitur, mollitam ad Gangrenas, vlcera putrescentia, feras lichenas, lepras, strumas, & alia multa laudat.

CAP. L.

ORYZA vulgo autem Risum, granum est in vaginula striata inclusum, cui parua insidet aristula, quod deglutitum lacteo colore spectatur, Auena breuius, crassiusque: manditur elixatum Farris modo: pendent semina ex coma ramosa, culmo alto, folio arundineo in gurgitibus, seritur in pluribus Italiæ locis, quamuis quondam esset peregrinum semen. Plinius inquit Oriza Italici maxime guadent, ex qua ptisanam conficiunt, quam reliqui mortales ex Hordeo: folia carnosa, Porro similia, latiora: altitudo cubitalis: flos purpureus: radix gemmeę rotunditatis. Theophrastus Oryzam in India seri inquit: id Zeæ simile esse pistumque Chondri modo reddi: concoctu perfacile: aspectu Loliis simile, statque magna parte temporis in aqua: effundit non spi-

cam, sed velut iubam modo Milij, atque Panici. Dioscorides Oryzam frumentorum speciem esse, in palustribus & riguis, quæ mediocriter nutrit, & aluum sistit.

CAP. LI.

MILIVM inter æstiuas fruges granum est ex candido flauescens, leuore quodam peculiari nitens, exiguum, & rotundum, quod à suo cortice deglutitum Oryzæ modo coquitur: eius farina in panes cogi nequit ob naturam friabilem, nisi feruenti aqua vtantur, vt lentorem quendam assumat, & sic quoque panes redduntur friabiles, dulces tamen: proueniunt semina in coma inclinata ac fusa, ex qualibet occasione decidua relicto tenui folliculo: culmus cubitalis Tritico crassior ac plenior: Folia latiora quasi Porri: alterum genus est colore nigro deterius, vtrunque auibus nutriendis expetitur, vt columbis & gallinis. Theophrastus Cenchron, idest Milium inter frumenta æstiua diebus quadraginta à satu perficitur: caulis Harundineus: flos lanugineus: iubam ferunt omnia Miliacia, quæ coma est fusa, vt in Harundine: minimum semen, in folliculo copiosum, quod seruari egregie potest. Plinius culmum geniculatum, & concauum tribuit, semen indefensum membranis, ideo paruis auibus expositum, non in spica, sed racemo pendens. Nequit purgari à folliculis nisi tostum: ex eo puls candida in Capania fit, & panis perdulcis, cum musto fermentum fit, in annuum tempus. Dioscorides Milium in panes coactum minus cæteris nutrit, aluum sistit, & vrinam mouet.

CAP. LII.

PANICVM gerit culmum Milio similem & folia: sed iubam, conctam in rotunditatem, longam: seminibus Milio exilioribus racematim farctis: colore flauo: expetitur paruis auiculis. Theophrastus eadem Panico tribuit, quæ Milio, sed dulcius & infirmius esse: Elymon, & Melinen vocat: sic Dioscorides inquit Milio simile, sed minus nutrit, & minus astringit. Plinius Panicum à paniculis dictum: cacumine languido nutante, paulatim extenuato culmo: aceruatur prędensis granis quasi in surculũ, cum longissimo pedali. Genera plura. Mammosum paruis paniculis, & cacumine gemino, candidum: nigrum: russum: purpureum: panis ex eo rarius fit, sed apud nos huiusmodi Panici differentiæ adhuc non visæ, nisi Milium sub Panici genere comprehendatur: extat enim Milium candidum, & nigrum: russum vero Panicum nostrum, purpureum vero quod vulgo Sagina vocatur & Melica.

CAP. LIII.

MELICA forte à Meline appellata, vnde etiam Milium deriuari videtur. Alij Saginam vocant, quia ea saginantur animalia: culmum altissimum gerit, plenum: & folia Harundinis modo, in cacumine comam ingentem fert & rectam, semine rubro, quod Milio est longe crassius: rustici ex eo panes conficiunt: si boues herbam virentem depascantur, intumescunt, & pereunt: si culmos exiccatos, proficiunt. seritur læto solo & humecto, ad agrorum luxuriam castigandam: nam radices multas agit robustas ex singulis geniculis. Plinius Milium Indicum vocat ex India inuectum: nigrum colore: amplum grano, Harundineum culmo: adolescit ad pedes altitudine septem pręgrãdibus culmis, Lobas vocant: omnium frugum fertilissimum, ex vno grano terni sestarij gignuntur: seri debet in humidis. ex hoc genere videtur esse Calamagrostis, idest gramen Harundinaceũ apud Dioscoridem, in omnibus gramine grandius, iumentis cauendum: necat enim deuoratum præsertim in Babylonis regione, id quod iuxta vias nascitur, & id, quod in Cicilia oritur Cinna ab indigenis vocatum, quod virides bobus appositum, amburit eos.

CAP. LIIII.

MAIZ vulgo appellatur apud Indos, semen in Italiam nuper traslatum, culmo Melicæ æquali, ac foliis, paniculam fert non in summo calamo, sed à latere in singulis geniculis foliis inclusam tanquam in vagina, ex cuius summo, cum floret, pendent capillamenta quædam purpurea, florem alium gerit in summo calamo sine fructu similem comę Harundinum: semina farcta sunt, magnitudine Ciceris nullo folliculo inclusa, & sine cortice, alia flauescentia, alia purpurea: coquitur Milij modo, & in panes recipitur. hoc Panicum Indicum imitatione Indici Milij appellari possit.

CAP. LV.

LACHRYMA vulgo appellatur, & Lachrymæ Iob, planta antedictæ similis, breuior, quæ floret tantum, at fructum non fert: flos in summo caule est comosus, à latere ex singulis geniculis ramusculi exeunt, in quibus rotunda quædam gignuntur candido colore nitentia tanquam Margaritæ in medio perforata, vnde alius surculus traiicitur: vtuntur traiectis ad coronas: iisdem propagatur sobole potius quam semine.

CAN-

CAP. LVI.

CANNA mellea vulgo appellatur similis Melice: colitur in Insulis Athalantici maris, Medera & sancti Thomæ, translata postea fuit. in Sycilia, Cyprum, Cretam, saccari tantum gratia, nam medullæ succus inest melleus, qui decoctione separatur, & cogitur in salem dulcissimum, quod saccarum vocatur. hoc prima quidem vice coactum, flauescit, postea arte repurgatum, candidius redditur, & durius in pyramidales metas digestum: prestantissimum ex Medera, quod autem ex Insula Sancti Thomę, quæ sub æquinoctiali sita est, affertur, solutum est paruis glebis, pingue & flauum, dulcedine quadam medicata, ob innatam pinguedinem, neque cogi neque dealbari potest: ideo vtuntur eo loco mellis ad excipienda medicamenta pro antidotis & serapiis. Alterum vero genus concretum & candidum, ad dulces confectiones bellaria & condimenta expetitur. paratur quoque ampliori coctione quoddam genus chrystallo simile quod saccarum candum vocant ad leniendam tussis asperitatem in ore detentum, vt liquescat. Dioscorides in Melle inquit. est & aliud concreti mellis genus, quod Saccharum vocatur, in India & felici Arabia in Harundinibus inuentum: consistentia sali simile: dentibus fragile: aluo idoneum, & stomacho vtile, si aqua dilutum bibatur: auxiliatur renibus, & vesicę: oculorum tenebras clarificat illitum. Plinius inquit Saccaron & Arabia fert, sed laudatius India. est autem mel in Harundinibus collectum gummium modo candidum, dentibus fragile, amplissimum nucis Auellanæ magnitune ad medicinæ tantum vsum. Serapio ex Arabibus varia genera affert in primis Zuccharum Labarzet, quod tanquam optimum video ab eisdem Arabibus in confectiones recipi: Alterum, quod ventrem magis mollit: Tertium, quod sali frustatim conciso simile: Quartum minus dulce astringentis saporis, quod in planta nascitur, cui folia sunt lata: stillat enim è ramulis foliorum cauis nõ parum amarescens, fructus fert testiculis Chamelorum similes, in quibus substantia continetur adurens. Inutiliter altercantur in his recentiores nostrum saccarum aliud esse ab eo, quod traditur ab antiquis, asserentes illud quidem sponte nasci in Harundinibus, aut Gummi modo, vt Plinius scribit, aut ex rore cęlesti, in foliis colligi veluti Mannam, Auicenna hoc testante de illo genere, quod quarto loco ex Serapione citauimus, nostrum autem non nisi artificio extrahi. At quis neget nostrum saccarum Arabibus fuisse cognitum? qui illius vsum frequentissimum non solum in medicamentis, sed & condimentis loco mellis inuenerunt. Quod autem præparationis modum non docent, quo ex Harundinibus extrahitur argumento non

est

est aliud genus intellexisse. Idem ad Dioscoridem dici potest, cum enim dicat in Harundinibus inueniri, siue sponte, siue artificio, non explicatur: nam & Galenus affirmare non audet cum inquit, saccarum, vt vocant, quod ex India & felici Arabia conuehitur, in Calamis, vt aiunt, concrescit. Sed Plinius aut vulgatam opinionem secutus, aut tertium genus à Serapione positum describens, inquit gummium modo in Harundinibus colligi amplissimum nucis Auellanæ magnitudine, cui adstipulatur, quod subiungit esse scilicet medicinæ tantum vtile, quod nequaquã de illo verum est, quod à Dioscoride & Galeno ponitur: est enim genus mellis tum ventriculo, tum aluo vtilius. Forte apud Theophrastum fuerit Melfrugum, quod inter loti genera ponitur diuersum, tum viribus in vtu cibario, tum quod non eadem loca desiderat. Inter genera Sacchari videtur esse id, quod apud Arabes Tabasir vocatur: conuertitur autem ab interprete Spodium errore manifesto. Refert enim Don Garzias Medicus Lusitanus hodie in India Tabaxir vocari, & ab incolis, vbi nascitur, Sacar de Mambu. Esse autem liquorem dulcem, crassum, similem farinę amidi, & simili candore, qui reperitur in Harundinibus quibusdam arboreę naturę: Arborem esse aliquando Populi altitudine, aliquando minorem: ramis rectis, internodiis palmum distantibus: foliis Oleę longioribus: Ramos tamen inflecti opere topiario ad viarum vmbras parandas, in singulis internodiis succum prædictum colligi, qui postea quam concreuerit, aliquando nigrescit, aut cinereus redditur vel propter humorem aliquem semiustum, vel propter diuturnam moram in ligno: non tamen ob id deterior censetur: nam id contingit & ramis, qui ab igne tacti non fuere. Non reperiri autem in omnibus ramis, neque in omnibus locis, sed in paucis quibusdam: vendi magno præcio: ex India asportari in Persiam, Arabiam, & apud Turcas. In Arabia iam æquare præcia argenti: vtuntur ad ardores tum internos, vt externos: in febribus biliosis: & dissenteriis. Serapio vires tantum scribit, at, quid nam sit, non explicat. Auicenna inquit radices esse Cannę adustæ: aiunt enim aduri propter fricationem extremorum, cum ventus eas perflat, nec alia habetur eius historia. Cum igitur hodie amplior eius notitia habeatur, & ex nomine, quod in hunc vsque diem seruatur apud omnes eas nationes, & ex historia prædicta tutò astruere possumus Spodium de Canna Auicennæ huiusmodi genus Saccari esse.

CAP. LVII.

GRAMEN herba est radice repens geniculata, candida, ac dulci, paruas ex singulis geniculis fibras spargente: difficilis adstirpandum: nam ea concisa renascitur fęcundius, & breui totum solum

lum implet tanquam agrorum pestis, dum prorepit: caulicos tenues sursum emittit: foliis Tritico breuioribus, paruas spicas in autumno fert diuisas in tres partes, aut quatuor, aut quinque veluti lineas, in quibus rubra semina sunt extremitate pungentia: iis pueri sanguinem é naribus eliciunt: vnde Sanguinella vocatur. Graminis radice equos reficiunt æstate: cum alia nulla herba viret: aquam ex eadem extrahunt per distillationem laudatam ad puerorum vermes & ad febres malignas. Audio in Germania quoddam genus seminis gratia seri; assumunt enim in cibis coctum, vocantes gramen Mannę. Theophrastus Graminis partes supernas, vt caules, breues & imbecillas esse scribit, infernas autem, grandes, frequentes, & validas, geniculatas, quibus concisis nascitur. Dioscorides describit geniculatis ramulis serpentem, à quibus radices spargit dulces, articulis pręcintas: folia acuta dura, & vt paruę Harundinis lata: ea depascuntur iumenta, & boues: Affert præterea Harundinaceum gramen, & cilicium, de quibus superius in Melica dictum est. Gramen vero Parnasium, quod in monte Parnasso densius fruticat: foliis Hederaceis: flore odorato, candido: semine paruo, non inutili: radicibus digitali crassitudine, quinis aut senis candidis, mollibus, & admodum dulcibus adhuc incompertum est. Plinius de nostro Gramine loquens inquit: geniculatis serpit internodiis, crebroque ab his & ex cacumine nouas radices spargit: folia eius in reliquo orbe in exilitatem fastigiantur. in Parnasso tãtum Hederacea specie: & paulo post cum inquit, sunt qui, & aculeatum gramen vocant trium generum, cum in cacumine aculei sunt plurimum quini Dactylon vocant, hos conuolutos naribus inserunt, extrahuntque, sanguinis eliciendi gratia. nostrum Gramen manifeste intelligit: sed alterum genus Aizoo simile: & tertium tenue, in tegulis & parietinis caustica ui incerta adhuc mihi sunt.

CAP. LVIII.

MVLTÆ aliæ sunt plantæ in genere frumentorum, sed semine inutili ac sæpe nullo, licet spicam omnia ferant, vt frumenta. Hęc multa quidem sunt, pauca autem nominata. Quædam igitur spicam simplicem ferunt Hordei, aut Tritici modo, sed sine aristis, vt cauda Vulpina vulgaris, & pauca alia: cum arista autem Hordeum murinum. Cauda Vulpina spicam mollissima lanugine constantem fert: capillis colore subfuluis, omnino imitantem vulpis caudam: tenuem culmum cubito breuiorem: folia subcandida, lanuginosa vt Hordei: oritur in tenui solo. Theophrastus spicosa quædam recenset inter olera, vt oculus Canis, Alopecuros idest cauda Vulpina. Stelephoros, idest Plantago, & alia quædam, de quibus in Plantagine dicemus:

alioqui

alioqui hæc maxime videretur Alopecuros, at non floret particulatim. Panicastrella vulgo vocata, oritur inter Vites & in hortis, spica figura caudæ Vulpinæ sub flaua, aspera, lanugine adhęrente vestibus non sine seminibus Panico exilioribus. Folia quoque & culmus parui Panici similitudinem gerunt: circum hanc obuersantur libenter perdices & Coturnices; Panicum sylueſtre id dici poteſt: eſt etiam paruus culmus non excedens dodrantem, ſpica tenui & longa, nequaquam lanuginoſa, ſed veluti ex minutiſſimis granis conſtante, dura, ac rotunda. Altera eſt cubitali prope culmo ſpica alioqui caudæ Vulpinæ, ſed ſine lanugine, ex folliculis latis denſe compacta candidis: alia huic ſimilis, ſolum ſpicæ, folliculis molliorib us, hirſutioribuſque conſtant ac ſubrotundis. In ſegetibus quædam eſt coacta in crassitudinem ſpica, magis quam in longitudinem veluti ex ſquamis conſtans. Hordeum Murinum paſsim iuxta vias naſcitur, breuior dodrante, folio & ſpica Hordei, tantum tenuioribus folliculis inanibus, eius mentio eſt apud Plinium, naſcitur inquit inter Hordea, at non deſcribitur. De Tritico sylueſtri diximus in Auena. Quæ autem ſpicam inæqualem ferunt, aut ramoſam, aut ex racemulis conſtantem, aut aliter diſiunctis ſeminibus, multas quidem habent differentias, ſed fere omnia innominata. Herba Luciola vulgo appellatur; quia noctu lucet, in montibus naſcitur, altitudine duorum dodrantum: foliis Tritici, quibus pauca lanugo ineſt, veluti pili oblongi: in cacumine inter folia racemoſum quid ineſt, potius quam ſpica, ex candidis folliculis & mollibus, conſtans, cui præcipua uis ad recentia vulnera, & ſanguinem ſiſtendum. Videtur autem Plinius Iſchęmon vocare, herba eſt inquit in Thracia, qua ſanguis ſiſtitur, non ſolum aperta vena, ſed etiam præciſa, ſerpit è terra Milio ſimilis, foliis aſperis & lanuginoſis, farcitur in nares: Quæ in Italia naſcitur, & ſanguinem eadem ad alligata ſiſtit. Duę ſunt ſpica molli & lanuginoſa, racemulis diſtincta Panici modo, foliis lanuginoſis, magnitudine tantum inter ſe diſtinctæ, vna cubitali ferme altitudine, altera breuior numeroſiore calamo. Quædam in ruderibus culmo inclinato, foliis candida lanugine obſitus Hordeo latioribus, ſpica comoſa, magis denſa quam Milij, ex tenuibus, ac mollibus folliculis conſtante candidis, quadam ſimilitudine Harundinis. Lolium sylueſtre paſſim ſecus vias naſcitur, & in agrorum aggeribus, pratiſque calamis Lolio minoribus, mollioribuſque, multis quaſi circulo diſpoſitis: circa radicem, ſpicas fert dodrantales Lolio ſimiles, ſeminibus exiguis: ſecatur ad fęnum. Phęnix puſilla quædam herba eſt in parietibus & tectis, vix palmi altitudine, ſpicis Lolii sylueſtris longe exilioribus ac magis diuiſis colore Puniceo. Dioſcorides inquit de Phęnice, herba folio conſtat Hordei breuiori, anguſtiorique: ſpi-

ca Lolij, ramis radicem circundantibus ſenum digitorum, quibus inſident ſpicæ ſeptem & octo: naſcitur in aruis & tectis recens oblitis: laudatur ad aluum ſiſtendam, & ſanguinem ex vulneribus, & vrinæ impetus compeſcendos: Plinius Phęniciam herbam meminit tantum, nec deſcribit. Perlara vulgo appellatur herba in montibus, radices ferẽs gemmeę rotunditatis cãdidas, veluti Margaritas quatuor aut quinque inuicẽ hęrentes, ac ſi ſtylo eſſent transfixæ, fibroſis alis ex poſtremo exeuntibus: culmos fert cubitales: foliis Tritici, iuba Milij, ſeminibus Auenę binis pendentibus tenuioribus à breuioribus aritis, vt Oryzæ: propagatur hæc radice Graminis modo: Oryza ſylueſtris dici poteſt: nam Plinius Oryzæ tribuit radices gemmeę rotunditatis: Herba capillaris in pratis Alpium naſcitur: folia ferens capillamenti modo tenuia: cauliculos quoque prętenues: paruis ſpicis: ramoſiſque: raris folliculis, mollibus, in tenuem apicem deſinentibus. Quædam in tenui ſolo oritur culmo cubitali, ſed ſpica parua in paucos ramos digeſta, qui ex folliculis latiuſculis denſe compacti ſunt in apicem deſinentibus. In parietibus & ripis fluminum pendet herbula Gramini ſimilis, quæ perpetue radicibus viuit, tenuiſſimis filamenti modo ſpicarum ramis, in quibus floſculi ſunt purpurei: extat huius generis maior & minor. In aruis duę naſcuntur inter ſegetes, quarum ſpicæ floccos habent triangulos ſparſim pendentes è ramulis: conſtant flocci ex latis folliculis ſine ariſta. Vna culmum habet ſimplicem, prope cubitalẽ altitudinẽ, altera breuior ex multis calamis conſtans, cuius flocci frequentiores & longiores pyramidali figura.

CAP. LIX.

CVM frugibus & ſpicoſis conueniunt & Calami & Iunci. Calamus ſiue Harundo frutex eſt in aquoſis, aut pingui ſolo naſcens: à radicibus geniculatis, & obliquis, craſſisq; rectos calamos ferens geniculatos, nullis ramis niſi anno ſecundo: germinant enim tunc è ſinguliis geniculis: folia fert totos geniculos cingentia neruoſa in multam longitudinem producta more Tritici, multo latiora: iubam in ſummo fert villoſam, & mollem: ſeminibus non cõſpicuis. Differentię apud nos non multæ ſunt, quædam enim craſſa & valida, colitur ad vites ſuſtinendas, amat ſolum pingue & bene ſubactum: ſeritur radicum geniculis, quæ oua appellantur: Alia gracili Calamo aſſurgit in paluſtribus, vtilis ad tegetes texendas, & tuguriorum tecta: Tertiam habemus in maritimis harenoſo ſolo ex longiſſimis calamis humi ſerpentem, ramoſam eadem tenuitate, ſed anguſtiore fiſtula. In omnibus autem anno primo latior fiſtula, corpus gracilius: contra ſequentibus annis: nam increſcente

ſcente corpore anguſtior fiſtula redditur. in omni genere reperiuntur quædam frequentioribus geniculis, quædam longioribus internodiis. At longe plures ab antiquis traduntur differentiæ, præcipue ob diuerſos vſus cognominatæ. Quoddam enim genus aptum ad cantus Tibiale appellatum fuit, greçe Auleticon, quia calami tibiarum vicem explebant: ex lacu hoc genus petebatur. Plinius Orchomenium vocari tradit ex loco, continuo foramine peruium: eius quoddam durante inundatione craſſatur, & plenius fit, carnoſiuſque, quem calamum Zeugitem Theophraſtus & Plinius vocant. Theodorus Armamentarium vertit. Quod autem gracilius deficiente aqua relinquitur, Bombycium, ſeu Bombycinum vocatur. hæc igitur in genere Tibialis recenſentur. Multa præterea alia ponuntur genera, vnum, quod in ripis expatiantis lacus oritur in pingui ſolo, Harundine craſſa, & valida, Characiam Theophraſtus & Plinius vocant. Theodorus Vallatoriam, qualis apud nos eſt, quę colitur: aliud in inſulis fluitantibus ſubtilius Plocimon Theophraſtus vocat. Textilem Theodorus, Plotiam Plinius: aliud fruticoſum communiſſimum, iuxta flumina & lacus Donax appellatur à gręcis, Cannam Theodorus vertit, Dioſcorides craſſam & concauam eſſe ſcribit. Syringa, ſeu Syringia alia dicta eſt, quaſi fiſtularis concaua fere nihil habens ligni & carnis, ſeu totus calamus concauus, vtiliſſimus fiſtulis. apud Dioſcoridem Syringias, cui multum ineſt carnis, crebris cincta geniculis ad librorum compoſitionem accommodata inter graciles: Nam alia tota ſolida apud Theophraſtum, & tota pene intus repleta matem vocat, fęminam vero inanem ad tibiarum ligulas. in iſtorum genere videtur eſſe ea, quam Sagittariam vocant, ex qua ſagittæ factitari ſolent. Dioſcorides Naſton vocat à ſoliditate, hæc nodis paucis geniculata, carnoſior omnibus, maxime flexum recipiens & omnino obſequens, quo libeat flecti calefacta. Plinius eſſe in Rheno Bononienſi, cui plurima ineſt medulla, pondusque volucre contra flatus quoque peruicax libra. Aliam Theophraſtus magnitudine præſtantem, vt vicem haſtæ prębeat, folio non longo, ſed ſimile Salici, huiuſmodi fuerit, quę Aucupatoria vocatur à Plinio. eſſe etiam in India amplitudine arborea, quarum ſingula internodia nauigiorum vicem expleant, cui folia ſimiliter breuia. Meminerunt quoque Plinius & Theophraſtus eius, quæ ſpargitur iuxta terram Graminis modo, ſuauiſſima animalibus in temeritate. vocatur à quibuſdam Elegia. Laconica folio verſicolor eſt. Spadones modica, aut nulla lanugine conſtant. Meminit amplius Dioſcorides Phragmitis quaſi fareta intus fiſtula. Sed præter omnia Calamus eſt Aromaticus ex India aduectus inter aromata: laudatur fuluus dēſe geniculatus, plena Arancorū fiſtula, aſſuloſis fragmētis albicātibus, lentus in mādendo & aſtringens cū aliqua acrimonia apud Dioſcoridē, ſed huiuſmodi hodie deſideratur.

CAP. LX.

IVNCI sunt caules enodes, & flexiles: ideo adnexus commodi. Alij nullis foliis, vt Iuncus rotundus: nam folia à caulibus nõ differunt, quibus insunt semina, vel potius indiscreta quædam lanugo vice seminis. Alij folia habent partim à radice, partim in summo caule, vt Iunci angulosi. Aliis folia tantum Iuncea sunt, caules nequaquam, vt Iuncus odoratus, Tipha palustris; omnia in paludibus oriuntur. Iuncus rotundus numerosissimas radices fert, nigras, Ellebori modo, in altum, descendentes, quę ex obliquo quodam callo oriuntur: ab hoc dum serpit aliæ radiculæ nascũtur exsiccatis prioribus, & Iunci prodeunt, qui primo exortu, veluti folia sunt se inuicem complexa, vt in frumentis: postea rotundantur in Iuncum: propè verticem exit à latere racemosum quid constans ex floccis, nullo manifesto semine, idque non ex omnibus Iuncis, multi enim steriles sunt. differunt magnitudine & paruitate: duritie & mollitie: extremitate, quæ in quibusdam acuta est & pungens, in quibusdam mollis: lenitate & asperitate: aliisque differentiis. Sed tria genera potissimum notantur. Duo parua cubitum excedentia, quorum vnum maximè leue, non pungens, tenellum, viride, floccis orbiculatis nigris: alterum robustum, extremitate pungens, colore flauescente, granis rotundis, Melicę similibus, in quibus non seminis medulla aliqua continetur, sed puluisculus quidam. Iuncis his vtuntur pro Spartho ad funes construendos prius contusis: robustissimi enim sunt: oriuntur in marittimis potissimum. Tertium genus magnum est, ad quatuor cubita accedens & amplius, colore virente, qui exsiccatus albescit: asperiori superficie, quam cæteri: substantia molli, ac fungosa: vtuntur ad contexendas tegetes, & vites palo alligandas: floccos fert subruffos, inęquales, non nisi in aquis prouenit. Primi & secundi generis aliquæ reperiuntur differentiæ, tum in semine, tum in Iunco. exigui enim quidam reperiuntur in marittimis: sed inutiles ob breuitatem: floccis inęqualibus, vel nigris, vel subrufis: ex granulis trilateris constantibus. Dioscorides tria eadem genera ponit eodem ordine, primum. Iuncum lęuem vocant: Alterum acutum, græce Oxyschęnum: quia in acutum mucronem desinit: eius sterilem quemdam esse tradit: alium semen ferentem nigrum, & rotundum, huius calami habitiores sunt, & carnosiores: Tertium Holoschęnum vocat, reliquis duobus multo carnosiorem & asperiorem, qui fructum similem supradictis fert, sed quod de Oxyscheno dixit reperiri sterilem, etiam in cæteris animaduersum est; propagantur enim omnes radicibus magis quam semine; Apud Galenum pro Holoschęno, deprauate (vt puto) legitur Oligoschęnos; nam

eodem

eodem ordine tria recenſet genera ex Dioſcoride, Iuncum lęuem, Iuncum acutum, & Oligoſchęnum: Acutum graciliorem inquit eſſe, & duriorem: Oligoſchęnum craſſiorem laxioremque. Theophraſtus quoq; tria genera recenſet: Primum acutum, quem Marem, & ſterilem eſſe teſtatur: Alterum fructiferum, quem Melancranim, quaſi atriferum vocat: quoniam ſemen nigrum ferat, eo craſſiorem, carnoſioremque: Tertium magnitudine, craſſitie, & carnoſitate inſignem, quem Holoſchęnon appellat, ex quibus videtur per Melacranim noſtrum primum intelexiſſe: nam reliqua manifeſta ſunt. Quod autem ſubiungit tanquam admirandum, ſcilicet ſterilem & Holoſchęnon ex eodem ceſpite oriri, abſurdum quidem eſſet, ſi cum acuto Holoſchęnos naſceretur: diuerſæ enim ſpecies ſunt: at ſterile & frugiferum nequaquam. addit præterea propagari radicibus emiſſis ex capite Iunci, per caput intelligens craſſum corpus, vnde & Iunci & radices exeunt, vt in Cępa, non Iunci cacumen vt Plinius accepit. Plinius aliter ea genera diſtinguit: nam primum genus Matiſcum appellari ſcribit ad tegetes texendas, quod conuenit magno: Alterum genus Marinum, & à Gręcis Oxyſchęnum. Acuti tria genera: ſterilem, quem marem, Ozyn Græci vocant: fęminini generis reliqui duo. Qui ſemen nigrum fert, Melancranis vocatur, craſſior, & fruticoſior mare. Tertius qui Holoſchęnos vocatur adhuc magis craſſus, & eodem ceſpite naſcitur cum mare, vtiliſſimus ad vtilia: quia mollis & carnoſus eſt: fert fructum vuarum cohęrentium modo: at Melancranis ſine aliis generibus naſcitur, accepit igitur pro tribus acuti teneribus, tria à Theophraſto poſita.

CAP. LXI.

CYPERVS inter Iuncos anguloſos eſt trilatera figura: foliis à radice frumentorum modo, ſed rima per medium diſcurrente, dorſo acuto, vt tanquam acies ſcindat euellentium manus, quod & ipſius Iunci anguli præſtant: in cacumine comam gerit, & breuioribus foliis conſtantem, interquę ramuli ſunt ſpicoſi, vt Graminis ſubruſſi, in quibus ſemina triangula continentur: radices multiplices fert geniculatas, odore ſuaui, ſapore ſubacri & amaro cum quadam aſtrictione. Duas nouimus differentias: vnum cubitali altitudine: foliis longiſſimis, digitali latitudine: radicibus Graminis, craſſioribus, intortis, exterius nigris, interius candicantibus: amat limoſa & paluſtria. Alterum exile palmi altitudine: numeroſis radiculis Oliuę figura, media quadam fibra tanquam filo connexis multum odoratis: amat loca arenoſa: ſimiles radices afferuntur inter externa longe craſſiores exterius rubentes. Dioſcorides deſcribit foliis Porraceis, longioribus, tenuioribuſque: caule

cubi-

cubitali, & maiore, angulofo, Iunceo: in cacumine folia parua, inter quę femen, radices Oliuæ figura oblongę, aut rotundæ, nigræ, odoratæ, amaræ, quarum eft vfus. optimæ oriuntur in Silicia, Syria, & Cycladibus, craffæ duræ, odoratæ cum quadam acrimonia: ex quibus patet noftrum Cyperum vtrunque aliqua ex parte ab eo differre, licet viribus forte non fit inferior. Qui enim apud nos radicem oliuarem fert, non ad eam altitudinem adolefcit: cui autem caulis altus eft, radix neque oliuaris eft, neque rotunda. Theophrafto Cypirum vocat, quem Theodorus Gladiolum vertit: peculiarem inquit in caule æqualitatem habet: radix inæquali, partim craffa, carnofaque, partim gracilis, & furculofa: in altum agitur, ideo contumax emori: caulis enodis: folia angularia, harundinea: in omnibus fere fluuiis, & ftagnis nafcitur, radice vtuntur vnguentarij. Plinius Cyperum differre putauit à Cypiro, quem Gladiolum effe inquit: vnde Theodorus in Theophrafto Gladiolum vertit, errore manifefto. Quæ enim afcribuntur à Plinio Cypiro, radix bulbofa: odore Nardo vicina, præfertim in Creta: in Ægypto inodora, eadem Cypero conueniunt eodem tefte, vnde inquit confundi intellectum: Cyperis autem ab eodem vocatur, cui radix oblonga. Cyperus Indicus à Diofcoride vocatur, radix Gingiberis effigie, Croci colore, fi manducetur, facultate depilatoria. Hæc vulgo Curcuma vocatur in officinis, ea vtuntur infectores lanarum. Arabes eo nomine intelligunt Chelidonij maioris radicem, quia crocea, & confectionem diacurcuma; quia recipit Crocum.

CAP. LXII.

GALANGA in officinis appellatur radix ex Oriente inuecta, effigie noftri Cyperi maioris, fubrufa intus & extra, fapore Piperis, modice odorata, Arabes fub eodem nomine defcribunt radicem Cafiæ craffitudine: cortice rubente: interius colore ex rubro in candido languefcente ex Syria: oris halitum commẽdat, & Venerem adauget, Græci recentiores Cyperum Babylonicum vocant: idcirco libuit inter Cyperos recenfere, quamuis herba à nomine defcribatur. hanc forte accepit Diofcorides pro Piperis radice obfimilitudinem faporis, quod alij de Zinzibere putauerunt. effe inquit Piperis radicem Cofto fimilem, quę ora guftantium accendit, & faliuam elicit. circumfertur & altera radix craffior ac tuberofior, quam Galangam maiorem vocant, de qua in Acoro dicemus. Vtriufque Galangæ hiftoriam tradit Garzias Lufitanus: Minorem, quę efficacior eft, oriri fponte in China: fruticem duorum palmorum altitudine: foliis Myrthi: radice nodofa. Maiorem in Iaua duorum cubitorum altitudine: foliis Myrthi, acutis inftar Lanceæ cuspidis:

ſpidis: radice craſſa, & nodoſa Harundinis modo: flore albo: plantam eſſe ſoporiferam: ſeri radice, non ſemine, Zinziberis modo, ex quibus ſignificatur has plantas cum noſtro Rufco congeneres eſſe.

CAP. LXIII.

TRASI vulgò appellantur in Agro Veronenſis, radicule Cypero oliuari ſimiles, ſed candidę, molles, ac dulces, quas eſitant Caſtanearum more, aliqui Zizolas terreſtres vocant: & ob ſimilem figuram, & facultatem, qua pollent ad tuſſim: caules, ac folia, & ſemina ſunt Cyperi media magnitudine inter magnum & paruum Cyperum: ſeruntur radices læto ſolo, & humecto. Theophraſtus Malinat hallam vocat: prouenit hoc non in aquis, ſed locis arenoſis haud procul à fluuio terrenum, figura rotundum, magnitudine Meſpili, ſine nucleo, ſine cortice: folia, vt Cyperus mittit, hęc incolæ legentes in brito Hordeaceo decoquunt, dulcia admodum efficiuntur, iiſque pro bellariis vtuntur.

CAP. LXIIII.

PSEVDOCYPERVS maiori Cypero ſimilis eſt, hirſutior, ſeminum floccis craſſioribus, nigricantibus, forma ſpicata: radices fert rotundas fere nucem æquantes, nigras, per longa interualla diſpoſitas, vt in Oliuari: ſine odore, ſapore aſtringente: alias radiculas fert fibroſas, ſumma tellure, idcirco rotundæ illę difficiles extirpatu ob profunditatem: inueniuntur in fluminum ripis detectæ: ob aquarum curſum: herbam tum huius tum Cyperi ſecant ad fęnum, & pro tomento lectis ſubſternunt Noccum vocantes in Etruria. cum tenella eſt, mellea quędam dulcedo ineſt prope radicem, quam brobrem pueri mandunt & exugunt ſuccum. in Paludibus clanę meminit Plinius Pſeudocyperi inquiens, fruticem eſſe, qui protinus floret & ſemen fert, & Dioſcorides in Antypodis inquit, quoddam fieri excremato Pſeudocypero, cuius gratia putandum eſt, radices eius rotundas aſſumi. Theophraſtus videtur Mnaſium appellaſſe, inquit. n. herbaceis annumerari in paludibus, nullo alio vſu quam in cibis, quia dulcedine præſtat, vt Papyrus, & Sari.

CAP. LXV.

PAPYRVS, quem vulgo in Sicilia Piperum vocant, iuncos fert Cypero longiores, craſſioreſque, ad quaterna aliquando cubita accedentes, angulis obtuſis: folia à radice breuia, adulto iunco

nulla,

nulla, in cacumine comam latam, ex numerosis paruis iuncis triangulis constantem, in quorum summis flocci sunt ruffi, Cypero similes inter foliola terna: radices habet lignosas, crassas Harundinis modo, geniculatas, numerosa sobole in obliquum tendentes, odore, & sapore Cyperum emulantes, sed infirmius, subrufas: ex inferna earum parte, radiculæ multæ descendunt fibrosæ: ex superna autem frequentes iunci assurgunt, qui dum tenelli sunt, dulci succo constant, venit in hortum Pisanum ex Siciliæ palustribus. Theophrastus duas describit plantas, magnitudine tantum inter se distantes, quæ nostro Papyro conueniunt, scilicet Papyrum & Sari, de Papyro inquit: nascitur non in altitudine gurgitum, sed prope intra duo cubita aut minus: radicis crassitudo brachialis, longitudo vltra dena cubita in obliquum summa tellure tendentis: vnde radices tenues & frequentes in limum demittunt, sursum autem quos Papyros vocant trilateros, magnitudine forme quatuor cubitorum, comam habentes inutilem, & tenuem, sine fructu, eos ex multis partibus fundunt, radice vtuntur & ad ignes & ad opera alia facienda, ob naturam lignosam & pulchram: Papyrus ipse ad multa vtilis: nam & nauigia ex eo construunt & è libro vela tegetesque texunt, & vestem quandam, & stragula, ac funes, aliaque plura, & celebratissimas externis hominibus chartas: in cibis quoque multam vtilitatem tribuunt, nam incolæ omnes, tum crudos tum elixos, & assos mandunt, succum deuorantes & corpus expuentes. Sari autem in aquis prouenit circa paludes, planaque, vbi annes recesserint, habet radicem pręduram, flexuosamque, ex qua, quæ Saria vocant, exeunt: his longitudo duorum cubitorum, crassitudo pollicaris, triangulum id quoque Papyri modo, & comam similem gerit, qui manducant, eius quoque manducamentum, expuunt: ex radicibus carbones faciunt, quibus fabri ferrarij vtuntur ob ligni duritiem. A Plinio Papyrum vocatur, quod nascitur in palustribus Aegypti, & quiescentibus Nili aquis, vbi euagatæ stagnant, describiturque simili modo, vt à Theophrasto: additur modus conficiendi chartas ex eo, diuidi enim in tabulas longitudine, qua est Papyrum, madescere Nili aqua, vndè turbidus liquor emanat, qui pro glutine est: texi omnes tabulas, & glutine illiniri postea transuersas crates peragi, præmi deinde prælis, & sole siccari: atque inter se plagulas iungi bonitate differentes. Dioscorides quoque meminit Papyri, vnde chartæ conficiuntur, quo Medici vtuntur ad asperiendas fistulas: ramenta enim eius madefacta, & filo coarctata donec siccentur fistulis intromissa intumescunt: quia bibula est eius natura. habet radix halibile quoddam ac tenerum esui, quod mandunt Aegyptij, vt succo expresso expuatur corpus, intelligit autem teneros iuncorum partus è radice prodeuntes: nam radice inquit, incolę pro ligno vtuntur. Venit in vsũ & charta ex Papyro

apud

apud Medicos: nam cinis eius nomas compescit, sed hodie nouo chartarum artificio inuento, dimisso Papyro, reuersi sunt ad lintea, quæ vsu attrita & flaccida tandiu terunt machinis aqua motis, donec in succum dissoluantur: hunc optime aqua dissolutum, non sine glutine, & conturbatum, cribris excipiunt, qui succi crassitiem retinentes paginam reddunt super stramenta ad hunc vsum parata, nam & ante vsum chartarum inter cætera linteis monumenta præsertim priuata conficiebant: & Parthi etiam inuento Papyri vsu, malunt, vt inquit Plinius, vestibus literas intexere.

CAP. LXVI.

PHALARIS, ambigit inter Iuncos & Calamos: nam ex denso cespite multos fert cauliculos, triangulos, iunceos: sed duobus aut tribus internodiis: cubito breuiores, obtusioribus angulis, vt quasi rotundi videãtur, prope radicẽ euidẽtioribus angulis: folia fert Cyperi angustiora, in cacumine non coma, vt cęteris iuncis triangulis, sed Spicę simplices ex alis foliorum dependentes, in quibus semina sunt Milio syluestri similia, in acutum tendentia, & modice depressa, viridi cortice intecta, radices tenues & fibrosas, quarum tenella germina, dulcedinem, quandam habent, vt reliqua huius generis: oritur in montibus iuxta aquas. reperiuntur eius aliquę differentiæ: nam quædam cauliculos fert breuiores, nullis internodiis, nudos, vnicam in cacumine spicam sustinentes rectam seminibus latioribus. Quædam parua & valde exilis: in cacumine tres aut quatuor ramulos fundit, quibus inest semen triangulum. Dioscorides describit, cauliculis numerosis, ex tenuibus inutilibusque radicibus, qui duorum palmorum longitudine geniculati calami modo Zeę similes assurgunt, graciliores & dulces, quibus semen inest candidum, ob longum Milij magnitudine, pollet ad vesicæ cruciatus. Plinius de eodem inquit. Thyrsum habet longum, tenuem, ceu calamum in summo flore inclinatum: semen simile Sesamæ, calculos frangit, & vitia vesicę sanat.

CAP. LXVII.

SPARGANIVM à radice fibrosa folia fert Cyperi latiora, & pauca quædam breuiora in caule ex interuallis: caulis nequaquam iunceus, sed nodosus, & rigidus, cubitalis circa summum pilulas fert tres aut quatuor distantes Platano similes, in quibus semina congesta, oblonga, Phalaride crassiora: oritur in palustribus: alias pilulas in oblongis peciolis fert inanes loco floris. Dioscorides, describit foliis Gla-

dioli arctioribus, ad terram magis inclinatis, in summo caule veluti pilulæ prominent, in quibus semen: radix in vino ad venena serpentum laudatur.

CAP. LXVIII.

TYPHA palustris, Vlua dicitur à Latinis, vt apud Virgilium. Limosoque lacu per noctem obscurus in Vlua Delitui. & alibi. Informi limo glaucaque exponit in Vlua, Herba Algę similis, sed longe maior: vnde vulgaris versus: Alga venit pelago, sed nascitur Vlua palude: vulgo Schianza dicitur in Etruria, quam ad multa opera expetunt, præcipue ad vitrea vasa conuestienda, ad tegetes, & mulierum sellas texendas: longissima enim sunt folia, plana, ac flexibilia, ex quorum medio caulis exit nudus, rectus, lignosus, lęuore quodam veluti perpolitus terna cubita aliquando excedens, qui in summo paniculam substinet ex densa lanugine constantem, quam vulgò vocant Mazza sorda: non nisi in limo aquarum stagnantium nascitur, ibique copiosa est. Dioscorides describit foliis Cyperi, caule albido, læui, enodi: obducitur in summo flos densus in pappum tendens: nascitur in palustribus, & circa aquas stagnantes: flos sanat ambusta cum suillo adipe eloto. Theophrastus radicem numerosam tradit: caulem enodem, æqualem, sed in lacu Orchomeno peculiare: quia folio caret, neque radice numerosa hæret: pars tenera ab radicibus proxima est, quam pueri mandunt, vtroque loco prouenit terra & aqua.

CAP. LXIX.

IVNCVS odoratus in officinis Squinanthũ vocatur: affertur ad nos inter aromata externa, plantula palmum alta, foliis alioqui Tritici, sed in tenuem rotunditatem iunceam desinentibus colore vario, qui enim prope radicem est, albidior est vel subflauus, prope verticem virescit, aut in purpuram vergit: odore iucundo: sapore subacri, præcipue circa summitates: visitur aliquando medius cauliculus lignosus, in quo fructus Harundini similis lanugineus sapore & odore infirmiori. Dioscorides eligi oportere inquit, recentem, rufum, flore refertum, tenuem, fragmentis in purpuram vergentibus, odore Rosę, cum teritur: sapore mordaci, igneo: in vsum esse florem, culmũ & radicem. Galenus miratur depasci florem à Chamelis, esse tamen optimam Iunci partem, quam Schęnianthon, id est Iunci florem vocant. Theophrastus oriri Iuncum cum Calamo odorato trans Libanum in valle minima iuxta lacum, qui odorem spirant ingredientibus in vallem, virides nequaquam esse videntur,

tur, sed sicci; forma vero nihil ab aliis differunt: in Arabia odoratiores longius spirant. Serapio describit herbam Paleę similem, ramulis tenuibus, numerosis, duris in summitate spicas ferentibus lanuginosas, qui flores odorati Iunci censentur esse autem Iunci fructum similem Harundinum floribus, tenuiorem & minorem: copiosissime oriri locis humectis, & pratensibus, vt vniuersum solum occupet, cum siccatur albescere, odore optimo cum teritur, sapore amaro. ex his autem colligimus, Iunci florem; qui cæteris partibus præfertur, non esse vere florem: Iunci enim & Calami non florent, sed statim aut floccos, aut lanuginosa quædam ferunt, sed per translationem tenuiores Iunci partes florem vocari, quæ sunt Iunci summitates, quas Chameli depascuntur, vt inquit Galenus. Sic enim hodie vulgo Fęniflorem vocant, & Pisis adhuc nomen Anthi apud rusticos seruatur: tenuiorem fęni partem significans, vt in aliis quoque multis solemus floris nomen vsurpare, vt farinæ florem, & salis, & iuuentutem ætatis florem, aliaque huiusmodi. erit igitur Iuncus flore refertus, cum eius folia iuncea ad perfectam magnitudinem adoleuerint, antequam caulescat, & floccos suos ferat minus validos, ob id raro affertur Iuncus cum fructu: colligunt enim antequam caulescat, cum foliorum cacumina floridum quendam colorem subrubentem habuerint, vnde eius fragmenta in purpuram vergentia laudat Dioscorides, ac tenuia: quæ conditiones hodie visuntur in Iunci cacuminibus; præterea cum dicit, esse in vsu florem, calamum & radicem, deteliquisse videretur folia ipsa iuncea, quibus Calami nomen nequaquam conuenit, neque radicis. hæc igitur attestantur Iunci florem huiusmodi folia significare. de Calamo autem Iunci, seu idem sit cum Calamo aromatico, seu differat, patet intelligi caulem lignosum Harundineum, qui nequaquam hodie adfertur, cum colligant antequam caulescat, optima enim pars est flos Iunci prædictus. At diuersas quidem esse plantas Calamum aromaticum & Iuncum tum ex Theophrasto colligere possumus, tum ex Dioscoride, qui Calamum ex India haberi scribit: Iuncum autem ex Aphrica & Arabia: congeneres autem plantas esse significat Iunci Harundinea coma, & calamus, visuntur aliquando inter Iunci merces adultiores culmi, qui pro Calamo assumi possunt.

CAP. LXX.

QVODDAM genus Iunci rotundi oritur in sicco, locis marittimis, vnico à radice caule nudo, pedali altitudine, aut amplius, in cacumine tria folia fert porracea, deorsum inflexa in quorum medio floccus quidam continetur rotundus: à radice nulla folia exeunt.

FINIS QVARTI LIBRI.

ANDREAE CAESALPINI ARETINI DE SVFFRVTICIBVS ET HERBIS. LIBER QVINTVS.

CAP. PRIMVM.

HACTENVS explicata sunt, quibus singula semina sub singulis floribus aut folliculo continentur: nunc pen sequamur, quibus eadem plura sunt; sed vnicum ac simplex datum est sub vno flore seminum conceptaculum: quod aut pericarpio constat, vt Solani fructus, Cucumeris, Cucurbitæ; aut ex sicciori materia, vt leguminum Siliquę, & alia quędam seminum vascula. Incipiamus autem ab iis, quorum fructus pericarpio constant. Quæ in hoc genere florem summo fructui intendentem ferunt, pleraque colunt ob fructus in cibis expetitos, vt Cucurbitę, Melopepones, Cucumeres: fructus, ingentes vt præ pondere sustineri etiam à natura arborea requirent, ideo humi iacent cum caulibus: quędam adminiculis innixæ scandunt, in multam altitudinem, vt altissimas etiam arbores superent vnica æstate, qua viuunt: nam primis frigoribus pereunt omnes huius generis; nec seruntur nisi frigora abierint: semina omnibus depressa, & copiosa carni infixa sunt pendentia ex mediis quibusdã fibris, tenui cortice carthilagineo tecta: flos figura calicis albus vel luteus: sunt inter fructus æstiuos refrigerantes, cum multa humiditate.

CAP. II.

CVCVRBITA satiua fructus est ingens, carnosus, qui elixus, aut assus, & tandem non nisi coctus venit in cibo. eius duo præcipua genera, longa scilicet, & rotunda: longa vt plurimum falcata figura crescit, quamuis varias assumat figuras, vel sponte, vel arte coercita: nam quædam rectitudine seruata prope ad bicubitalem longitudinem protenditur, si pendula sit, nec desint aquæ: nam gaudet irrigatione: quædam ceruicem tantum habet recuruam: quædam dilatatur

in

in ventrem ceruici adnexum, qua exsiccata, ac repurgata ab internis seminibus, & fungosa substantia, vtuntur pro dolio: in cibos autem hæ non veniunt, nisi tenellæ, antequam ætate obduruerint, ideo seruari ad hyemem nequeunt, nisi conditæ saccaro aut melle. Quoddam earum genus præciditur secundum longitudinem in tenues tabulas dimissa interna substantia fungosa, in qua semina continentur, quæ filo traiectæ siccantur, vt per hyemem asseruatæ, cum vsus exposcit, remollitæ coquantur in cibis: distant longę à rotundis semine quoque, & carnis substantia: nam semen in tres angulos desinit, candida constant carne, flore quoque candido: rotundæ figura constant Mali, sed ampla vastitate, vt earum quoddam genus amplecti vtrisque vlnis vix queat: carne constant pallida, dulciori quam longę: in medio, cum perfectæ sunt, inanes; asseruantur per se integrę tota hyeme: semina nequaquam angulosa: flores lutei. Distant colore corticis: nam quædam virides sulcis distinctę, vt Melopepones: Quædam candidæ: Quædam flauæ: Quædam paruæ ac tuberosæ sunt, alię maculoso cortice constant: Omnium plantæ scandunt, vbi adminicula nactæ fuerint ad multam altitudinem clauiculis amplexantes, alioqui humi serpunt, numerosis propaginibus luxuriantes, vt vni plantæ iugerum non sufficiat: folia longissimo pediculo attollunturlata, rotunda, & aspera, latiora in rotunda, & quandoque sinuata. Græci Colocyntham vocant. Theophrastus inquit: semina distantia fert, succum aquosum, florem in postremo fructus diu infixum seruat: erumpit circa diem quintum à satu, aut sexto, vel septimo: seminis ætas recentior maturius prouenit: radix breuis. Genera quædam traduntur, dulciores & molliores redduntur, puluerem surculo excitantes sine rigatione, cum venti anniuersarij perflant, hoc generi rotundo conuenit: restatur Atheneus longas quidem Cucurbitas vocari, rotundas autem Colocynthas, quæ & Indicæ vocantur, quas intellexit, cum inquit: Admirabamur Athenis Cucurbitas mense Ianuario comedentes, quæ virides durant, proprietatemque succi seruabant: erant enim ab iis compositæ condis. Plinius inter satiuas longam intellexit, cum inquit, Cucurbita omni modo fastigiatur, vaginis maxime vitilibus coniecta in eas, postquam defloruit, crescit, qua cogitur, forma, plerumque & Draconis intorti figura, libertate vero pensili concessa iam visa est nouem pedum longitudinis. Cucurbitarum numerosior vsus, & primus caulis in cibo: nuper in balnearum vsum venere vrceorum vice, iam pridem etiam cadorum ad vina condenda, cortex viridis tenet, deraditur nihilominus in cibis. semina, quæ proxima collo fuerint, proceras parunt, item ab imis, sed non comparandas supradictis, quæ in medio rotundas, quæ lateribus, crassas, breuioresque: siccantur in vmbra, & cum libeat serere, in aqua macerantur: cibis quoque longiores, tenuioresque

eò

eò gratiores, & ob id salubriores, quæ pendendo creuere, minimumque seminis tales habent, duritia eius in cibis gratiam terminante. Duo prima genera. Camerarium & Plebeium, quod humi repit, in priore mire tenui pediculo libratur, pondus immobile auræ, scandit parietum aspera intectum vsque, natura sublimitatis auida; vires sine adminiculo standi non sunt, velocitas pernix lęui vmbra camerasque & pergulas operiens, vnde Cameraria appellata: seruantur virides in scobe & opaco loco harena substrato, fęnoque sicco opertas ac deinde terra: hæc de longa intelligenda sunt: nam rotunda, quam Plebeiam videtur appellasse, per se seruatur aëri exposita loco sicco.

CAP. III.

CVCVRBITA sylueſtris, fructum fert paruum, & ob amaritudinem inguſtabilem: duo eius genera ſumma proportione reſpondentia ſatiuis. Quæ cum longa conuenit, figura Piri, & magnitudine conſtat, ceruice ſcilicet in gracilitatem producta, colore viridi aliquantum maculoſo: hęc ſimiliter vt longa, cum perficitur, dureſcit: nec alium vſum præſtat, quam paruæ ampullæ exemptis ſeminibus cum fungoſa ſubſtantia, poſtquam in aruit: ſeritur in viridariis ad parietes conueſtiendos. Plinius inter Cucurbitas sylueſtres Somphon à Gręcis appellari ſcribit: quia inanis digitali craſſitudine non niſi ſaxoſis naſcens. Quæ autem cum genere rotundarum conuenit, duplex viſa eſt, vna colore viridi, magnitudine, quæ vtramque manuum impleat. Altera minor colore flauo ſimilis Aurantiis Malis, medulla amariſſima: huius folia à cæteris diſtant: inciſa enim ſunt vt folia Anguriæ, ſed longe minora: huius medulla arida & fungoſa venditur in officinis inter purgantia medicamenta externa, Coloquintidam vocant: Apud Dioſcoridem Colocynthis appellatur: ſarmenta, inquit, & folia emittit Cucumeris ſatiui per terram repentia, diuiſa, fructum ſpecie mediocris pilæ conglomeratum, vehementer amarum, quem legere oportet, cum cæperit in pallidum colorem permutari. Medulla fructus purgatoriam vim habet. Plinius vtranque videtur nouiſſe, cum inquit, Colocynthis inter Cucurbitas sylueſtres vocatur, quæ plena, ſed minor, quam ſatiua, vtilior, pallida, quando eius ſunt medicinę. Herbacea arefacta per ſe inanit aluum. Meſues quandam tradit lanuginoſam, grauem, & duram, aſperamque tendentem ad nigredinem, quę mas vocatur, alteram fęminam à medicis receptam: laudat autem craſſam, & lęuem, laxam, & albam ac lenem completæ maturitatis, cuius pars interior pulpoſa, laxa & lenis, & alba vehementis albedinis.

BAL-

CAP. IIII.

BALSAMINA in hoc genere appellatur, ab aliis Caranza: fructus vtraque parte turbinatus, gracilior supradictis, tuberosa superficie, in maturitate croceus, & ferme rubens, seminibus intus latis & nigris, lituris quibusdam inscriptis: vtuntur fructu ad vulnera, & dolores coniecto in oleo vice balsami. Planta tenuibus viticulis, ac leuibus scandit opere topiario capreolis amplectens adminicula folia fert Vitis modo incisa mollia, & leuia.

CAP. V.

CITREOLVS vulgò appellatur fructus Malo Citrio similis, ternis aut quaternis sulcis discurrentibus, extuberantibus veluti pustulis: colore flauo in maturitate: seminibus oblongis, & angustis: carne succosa, candida, dulci, aliquantum nauseosa, cum matura est. Placet nouellus, antequam incremẽtum assumpserit: crudus enim cum sale esitatur, gratissimus stomacho calido, olfactu recreat animo delinquentes. eius planta viticulas fert breuiores Cucurbita, humi stratas, folia fert angulosa, aspera palmi latitudine: flores luteos: feritur in aruis optime subactis. Alter est fructus non absimili sapore, qui crudus ante maturitatem carne tenera, & fragili gratus est, sed forma dissimili: crescit enim, qua cogitur forma, vt plurimum anguis modo intorta pluribus sulcis vel potius striis discurrentibus, simili modo horridus, colore candicante. Florentiæ Mellonem vocant, sed huic minor authoritas quam Citreolo. eius planta assurgit in pergulas magis, vnde fructus pendent, qui si permittantur ad iustum incrementum peruenire, crassescunt in longitudine multum, vt Cucurbitæ. Nuper tertium genus aduectum est, fructu cubitali tenerrimo, prædicti ergo fructus recenter orti & immaturi gratiores sunt, quam perfecti & maturi, omnes oblonga figura constantes, Cucurbitis longis proportione respondentes. Duo vero alia genera sunt, quibus rotunda inest figura, & saporis suauitas maturis tantum. Eorum alter vulgo Melon, & Pepon vocatur, qui præfertur in cibis ob sapidam dulcedinem, & odorem: ideo stomacho gratissimus: experitur non solum primis mẽsis, vt vinum generosum superbibatur, sed & postremis: nec enim supernatat, sed aluo commodus cito descendens: nil tamen fallacius eo: nam vel ex eadem planta alius suauis, alius insipidus nascitur sapore Citreoli maturi, alius medio modo magis & minus ab optimo Pepone recedens: præceps quoque colligendi tempus: nam immaturus Cucurbitam crudam sapit: deest odor, & proprietas

dulce-

dulcedinis, perfecte maturus aquosior redditur, & gratiam amittit. optimis inest solidior caro: eliguntur ponderosi, vtpote ex toto pleni: seminibus carni infixis, exacte rotundi, & quibus pediculus sponte abscedit, lato quodam floris vestigio, qua odorem spirant: item quibus aliqua ex parte abruptus cortex est: minus probantur, quibus in medio cauitas in est, in qua semina cum fibrosa substantia distant à carne. Differentiæ eorum innumerabiles: nam in dies nouæ species accedunt: figura aliis perfectè rotunda: aliis modice depressa & sessilis: aliis oblonga: Peponissas vocant, qui ex ventre medio vtrinque fastigiantur similitudine quadam Citreoli magni: cortex aliis asper, rugosusque, tuberosus: aliis lęuis, nunc viridis, nunc cinereus, nunc pallidus, nunc varius: pulpa in terra aliis rufa, aliis candida, virensque: magnitudine quoque distant, maximus vix capitis humani amplitudinem excedit, minimum quoddam genus visum est magnitudine Mali rosei, cui & semen proportione minutum est: sunt, qui collecti, domi maturentur, ad hyemem vsque perdurantes incorrupti, vnde hyberni cognominantur, modice oblongi: cortice flauo; & semine pallescente. Cæteri æstiui: incipiunt enim maturescere mense Iulij ac per totum Augustum. Plerique sulcis distincti sunt: semina ferunt candida, paulo latiora Citereolis, gustui grata tum per se, tum saccaro incrustata vice bellariorum, impellunt vrinam, eiusque ardorem corrigunt: sunt, quibus semen sine cortice constat: ideo simul cum sua carne comeduntur: fibrosa substantia aqua semina enascũtur, in optimis nequaquam abiicitur, sed simul comeditur, quam quam nitrosum quid sapiat, sed in cæteris simul aufertur cum semine: nam sub amara est, qui sapor aliquando reliquę carni communicatur. Omnium sarmenta humi repunt longiora, quam Citreoli: folia aliquantum sinuata: flores lutei. Alter fructus, qui non nisi maturus expetitur, Cucumer vulgo appellatur, à quibusdam Anguria: hic in altissimam rotunditatem crescit, cortice lęui, nequaquam sulcis intercepto: exili floris vestigio veluti puncto: pediculo tenui: deprehenditur maturitas leuitate solum: non enim mutatur color, neque odoratus redditur: color aliis virens: aliis maculosis subcandidis maculis Ophitis modo: Caro interna aliis candida: aliis rubens: quę prope corticem durior & minus grata; quæ in meditullio mollior, & aquosa, veluti cõcreta pruinę modo, fragilis & fungosa, liquescens in ore: eius vsus post meridiem in æstu ad sitim arcendam per se non cum reliquis cibis: nam supernatat & ad vomitum prouocat. Sapor est aquosus cum quadam dulcedine: dulcior, cui caro rubens: nam veluti mellea: semina insunt latiora Pepone: crassioraque, lubrica veluti pinguedine oblita colore nigro, aut rubente, aut fuluo. Vidimus & sine semine. Quamuis autem humidior longe sit eius natura Pepone; diutius tamen asseruari potest decerptus,

vt

vt aliquando hyemem attingat. Quoddam genus syluestre vidimus translatum ad nos, carne intus lignosa, atque adeo dura vt pilę modo resiliat, nec frangatur proiectum. Omnium planta humi serpit: foliis multifariam dissectis, subcandidis, hirsutis: flore luteo. Apud Theophrastum & Dioscoridem duo tantum genera traduntur: appellat Theophrastus alterum quidem Sicyon, alterum vero Sicyan: vterque vertitur à Theodoro Cucumis, quamuis aliquando distinctionis gratia Sicyos Pepo, & Cucumer vocetur, Sycia autem Cucumis; vtrique communia hæc tribuit Theophrastus: florem in postremo fructus eo crescente diu infixum gerunt: radix inest breuis. priuatim autem de Sicyo inquit; seritur cum Cucurbita mense Martio; erumpit circa diem quintum aut sextum vel septimum: seminis ætas recentior maturius prouenit, celerius præmaceratum. Megarenses dulciores & molliores reddunt puluerem surculo excitantes, cum venti anniuersarij perflant, sine rigatione: semen lacte pręmaceratum saporis differentiam facit: fructus ex carne & neruo constat: succus aquosus. Eius genera tria notant, Laconicum, Scytalicum, Beotium: ex his Laconicum melius euadit rigatum, reliqua non rigata pręstantiora sunt, ad Sicyam autem ea pertinent: Alios flores simplices in postremis sarmentorum fert, qui auferuntur, ne incrementum impediant, figuram accipit loci, in quo posita fuerit: semina fert non congesta sed distantia: ex his colligere licet Sicyam apud Theophrastum significare Citreolum nostrum: hic enim figuram accipit loci, pręcipue genus illud intortum anguis modo. forte & idem inter Sicyos intelligitur scilicet Laconicus, qui melius euadit rigatus: id enim conuenit nostris Citreolis: gaudent enim aqua, vt Cucurbita longa: reliqua autem Sicyorum genera, quę non rigata præstantiora sunt, optimè quadrabũt nostris Peponibus & Cucumeribus, qui maturi cibis expetũtur: hi enim puluere æstiuo gaudent, aquas oderunt. Dioscorides Sicyn masculino genere vocat, quam Theophrastus Sicyan appellat. Peponem autem, quem Theophrastus Sicyon. Sicys inquit satiuus stomacho, & aluo vtilis est, refrigerans, & corruptionem non sentiens; vesicę prodest; olfactu reuocat animo delinquentes, & quæ sequuntur. hæc profecto conueniunt nostris Citreolis. De Pepone autem inquit eius caro in cibis vrinam cit: illita sedat oculorum inflammationes: eius testa puerorum caluarię imponitur aduersus ardores, & fronti ad oculorum fluxiones, succus cum semine adiecta farina siccatus in sole abstersorium fit faciem purgans, & nitorem afferens, & quæ sequuntur. Ex nomine quidem colligere licet Peponem accipi debere aliquem ex iis, qui maturi expetuntur in cibis, vt nostrum Peponem, aut Cucumerem, aut vtrunque sed ex eo vsu quo βλέγμα αὐτῶ κατὰ τῶ βλέγματος παιδίοις ἐπιτίθεται: id est eius testa veluti caluaria pueris imponitur ad caluariam,

ſignificatur potius noſter Cucumer; rotundum enim eius corium, & teſtę modo fragile, & planitie ac lęuitate caluariam æmulatur: idem comprobat & facultas refrigeratoria, & vis repellendi: hæc enim in Cucumere magis eſt manifeſta, quam in noſtro Pepone. Apud Galenum reperitur Sicyos & Pepon, & Melopepon: de Sicyis inquit, ſubſtantia conſtare minus humida quam Pepones: ideo non facile in ventriculo corrumpi, vt illos, vrinam cient minus quam illi, ex largo eorum vſu, licet concoquantur in ventriculo, ſuccus frigidus & mediocriter craſſus in venis colligitur, qui non probe mutatur in ſanguinem. hæc profecto cum Sicy Dioſcoridis conueniunt, ideſt cum noſtris Citreolis. De Pepone inquit, vniuerſa natura frigidior eſt, quam Cucurbita, cum humiditate multa: habet autem vim quandam abſtergendi, cuius beneficio vrinam ciet & deorſum expeditius permeat quā Cucurbita & Melopepon, abſtergit & cutem, vitia faciei aufert præſertim ſemen, quod & calculos renum deterget: ſuccum in corpore vitioſum gignit, cum prope non fuerit concoctum: antequam corrumpatur, ad vomitum excitat, reddit choleræ obnoxios. hæc omnia cum Dioſcoridis Pepone conueniunt, & noſtris Cucumeribus quadrant: Sed vnum tantum anſam dubitandi præbet, quod ipſe inquit, homines in Peponibus, à carne intima, in qua ſemen habetur, abſtinent: contra enim apud nos vſu venit: gratior enim eſt Cucumeris interna caro, in qua ſemina quam externa prope corticē: De Melopepone autem inquit, hi minus humidi ſunt, quam Pepones, nec adeo praui ſucci, minus item vrinas mouent, tardiuſque deorſum deſcendunt, ad vomitum pręterea excitandum non tantum quantum Peponeshabent momenti; ſicut nec celeriter adeo vt illi in ventriculo corrumpuntur, cum prauus humor in eo collectus fuerit, aut alia quæpiam corruptionis cauſa ipſum pręhenderit. cæterum tametſi in iuuando ſtomacho autumnalibus fructibus longe ſint inferiores, haud quaquam tamen ei, vt Pepones ſunt noxij, neque enim vomitum vt illi excitant. hæc adamuſſim noſtris Melonibus quadrant, ſed quod ſubiungit eādem dubitationem affert, quam in Pepone indicauimus, inquit enim in Melopeponibus homines carnem intimam, in qua ſemina continentur mandunt; idque ipſis ad deiectionem confert. Qui vero eorum quaſi carne tantum veſcuntur, nō tam cito eam, ac Peponum excernunt: raro enim ex noſtris Melonibus internam ſubſtantiam, fibroſam comedimus, ſed: vnà cum ſemine auferimus: idcirco ſuſpicor errore aliquo commutata eſſe in eo loco vocabula Peponis & Melopeponis, vt rectius in hunc modum reſtituatur Galeni locus: huc accedit, quod in Melopeponibus homines à carne intima, in qua ſemen habetur, abſtinent, in Peponibus autem mandunt, idque ipſis ad deiectionem confert. Qui vero eorum, quaſi carne tantum veſcuntur: non tam cito eam ac Melopeponum excernunt.

nunt. Quasi hoc sit in causa, cur Melopepones tardius discedant quam Pepones: quia interna caro eorum nõ comeditur vt Peponum; vis enim ad deiectionem faciens magis in ea parte est: ideo si ex Pepone aliquis tantum carnem duriorem assumeret, vt fit ex Melopepone, sentiret tardiorem Peponis discensum. Plinius omnes hos fructus, Cucumeres vocat: nam Pepones & Melopepones inter eos recenset, quasi species. Cucumis tamen priuatim ab eo intelligitur Citreolus noster: inquit enim, fructum esse cartilaginei generis: crescunt, qua coguntur, forma: in Italia virides, & quam minimi, in prouinciis quam maximi, & citrini, aut nigri. Placent copiosissimi Aphricę, grandissimi Męsię. at cum magnitudinem excessere, Pepones vocantur; viuunt hausti in stomacho in posterum diem, nec perfici queunt, in cibis non insalubres; tamen plurimum natant, oleum odore mire, nec minus aquas diligunt, in fistula flore dimisso mira longitudine crescunt: ex his significantur non solum Italici Citreoli, qui parui sunt, sed & grandes, qui peregrini sunt apud nos. cum autem inquit: Pepones vocantur, cum magnitudinem excessere, consentit cum nostris Cucumeribus, seu Anguriis: grandissimi enim sunt inter hos fructus. cum præterea inquit: ecce cum maxime noua forma eorum in Campania prouenit, Mali cotonei effigie. forte primo natum ita audio vnum, mox semine ex illo genus factum Melopeponas vocant, non pendent hi, sed humi rotundantur. mirum in his, pręter figuram coloremque & odorem, quod maturitatem adepti, quam quam non pendentes, statim à pediculo recedunt: ex his manifeste indicantur nostri Melones. Atheneus de Cucumere Authores citat indicantes fructus miram longitudinem: est Cucumis visus mihi terręfilius almę, inter grata iacens olera mensasque tenebat ille nouem: iterum inquit: augetur veluti Cucumis regione madenti. Paruos autem Cucumeres, quales Italici sunt, diminutiue Cucumerculos appellatos tradit. De Pepone autem inquit, Cucumerem seminarium nuncupatum à Cratino in rebus Vlixis: emptum enim in Paro Athenis Cucumerem maximum seminarium: ediles autem esse sine semine, Peponas, atque maturos tantum. Arabes pręter tria dicta genera ex Galeno desumpta afferunt quartum genus, quod Dullaha vocant, interpretes vertunt Melonem magnum, viridem, cui vim tribuunt insignem ad humectandum & extinguendum feruorem in febribus ardentibus, & contemperandos acres humores, qui magis praua qualitate infestant, quam quantitate: Puto intelligi fructus ingentes, quos in Alexandria Batecas vocant, similes nostris Cucumeribus, sed eorum caro sponte in succum conuertitur prę dulcem in maturitate, quem per ostiolum in cortice excisum hauriunt, & æstuantibus publicè vendunt eius laticis calyces: quamquam hoc nomine Batecha Arabibus nostrum Cucumerem significet. Auicenna Me

lonem Indum vocat; quia primum ex India habuerunt hunc fructum. In India Batice vocant, de quo Garzias inquit: fructus ingens, rotundus ouata figura: scinditur transuersus: eius caro suauis, soluitur in succum aquosum, febrientibus optimum: semen nigrum.

CAP. VI.

CVCVMIS sylueſtris, vulgò Cucumer Aſininus, ſponte naſcitur in ruderibus: radice craſſa: foliis Citreoli minoribus, candidioribus, & valde hirſutis: fructu paruo, oblongo, candida lanugine horrido; huic in maturitate pediculus ſpontè abſcedit, oſtiolo relicto, vnde confeſtim totus internus humor, vnà cum ſeminibus proiicitur in longinquum, contrahente ſe neruoſa corticis ſubſtantia, vt colligentes ſępe illudat, non ſine oculorum pediculo: ſemina ſunt nigra, longe minora ſatiuo. Theophraſtus Sicyon sylueſtrem vocat, ſatiuo pęnitus incomparabilem, ſed aſpectus tantum ſimilitudinem gerit: loca algentia quærit: medicamen liquatum ex eius fructu Elaterium vocatur: Theodorus Agitatorium vertit. Dioſcorides inquit ſolo fructu diſtat à ſatiuo, quem longe minorem parit, oblongis glandibus non abſimilem: folia atque ſarmenta ſatiui: radice candida, magna: naſcitur in ſalubetis, & ruderibus: frutice in totum amaro: ex fructu huius medicamentum fit, quod Elaterium vocatur. Decerpti fructus, qui tacti protinus exiliunt, ſeruantur nocte vna, poſtridie cultro ſupino ſcinduntur, vt deorſum humor labatur in ſubiectum vas interpoſito cribro, & ramẽta aqua dulci perfundunt, premuntque in ſubiectam peluim: humor collectus in ſole ſiccatur: medicamentum vehementer purgans pituitam & bilem. De hoc Theophraſtus inquit, extrahit tam ſuperius, quam inferius, omnium medicamentorum diuturniſſimum; oportunumque quod vetuſtiſſimum. Quidam Medicus ſeruabat annorum ducentorum, cauſa eius humoris copia, qui nec in cinere ſiccari poſſit, & vſq; ad quinquageſimum annum lucernis ad motum lumen extinguit: Dioſcorides tamẽ aliter laudat, quod ſcilicet lucernæ ad motum facile flagrat, hoc ab innatu ad decenniũ deiectionibus vtile eſt. Plinius Cucumin sylueſtrem inquit multi hunc eſſe apud nos, qui Anguinus vocatur, ab aliis erraticus, arbitrantur, quo decocto mures de eius ſparſa medicina non attingunt: eſt multo infra magnitudinem ſatiui. ex eo fit Elaterium ſucco expreſſo ex ſemine, cuius cauſa niſi maturius incidatur, ſemen exilit, oculorum etiam periculo. Aliqui inquit, in Arabia natum magnificant, mox Cyrenis, alij in Archadia tradunt, ſimilem Heliotropio, cuius inter folia, & ramos prouenire magnitudine Nucis iuglandis ſemen. eſſe autem ad ſpeciem ſcorpionis, cauda inflexa ſed candida, aliqui etiam ab

eo ſcorpionum Cucumin vocant, efficaciſſimum contra ſcorpionum ictus, & ſemine, & Elaterio, ſed hoc genus apud nos non viſum eſt.

CAP. VII.

NON multum ab his recedit Bryoniæ natura, quæ à quibuſdam Cucurbita ſylueſtris vocatur: diſtat fructu, quę exiguę ſunt baccę in raris racemulis in maturitate ex rubro flaueſcentes: inſident in iis floſculi concaui, & candicantes. At radix vaſta, & breuis, alba, ſucco acri prædita: viticulas fert tenues, & aſperas, quę clauiculis frutices vicinos ſcandunt: folia quoque hirſuta, anguloſa, minora Cucumere ſylueſtri: oritur in ſyluis: viuit hęc radice multis annis, vt Cucumis ſylueſtris. Dioſcorides Vitem albam appellat, & Bryoniam, hæc inquit, foliis, viticulis, & clauiculis, ſatiuam Vitem imitatur, ſed hirſutiora ſunt omnia: proximis fruticibus implicatur ſuis clauiculis amplectens: fructum habet in racemis rubentem, quo coria denudantur. ex ea Aſparagi, qui prima germinatione exeunt decocti in cibo, aluum & vrinam cient: folia, fructus, radix, acrem vim ſortiuntur. Plinius de Vite alba inquit à Græcis Ampeloleucem, ab aliis Ophioſtaphylon, ab aliis Melothron appellari, atq; aliis multis nominibus: huius ſarmenta longis, & exilibus internodiis geniculata: folia pampinoſa, ad magnitudinem Hederę diuiduntur ut Vitium: radix alba, grandis Raphano ſimilis, initio ex ea caules Aſparagi ſimilitudine exeunt: hi decocti in cibo aluum & urinam cient, folia & caules exulcerant corpus. ſemen in Vua raris acinis dependet, ſucco rubente, poſtea Croci: nouere id, qui coria perficiunt: illo enim vtuntur. Theophraſtus de Melothro inter ſuf frutices fructum inquit Smilaci ſimilem fert.

CAP. VIII.

BRYONIAE nigræ radix aliquando ad noſtras manus uenit, nautis cauſa pro uictu circumferentibus: uocitant panem Turcharum: Eſt radix brachiali craſſitudine amplior, ſed breuis, carnoſa, colore intus ſubrubente, ut diuiſa in taleolas, Farciminis ſpeciem gerat. hæc quamuis multo ante eruta, aduentate Vere germinare cępit. Quamprimum igitur eam terrę mandaui, ut plantę ſpeciem addiſcerem; protulit autem caulem circumuoluentem ſe adminiculis ad multam altitudinem, & folia Hęderę mucronata, colore ſubrubente, uixit uſquè in Autumnum; frigore uero aduentate pęnitus extincta eſt, eius nequè florem, nequè fructum uidere licuit. Dioſcorides Vitem nigram, & Bryoniam nigram uocat: folia inquit fert Hęderę Smilaceis proxima, ſed ma

iora:

iora : caules etiam cognatos, qui arbores circumuolutionibus apprehendunt : fructus inest racemosus initio uiridis, in maturitate niger : radix foris nigra, intus Buxei coloris. Viticulæ, quæ primò germinum partu erumpunt, in olera recipiuntur. radix eadem præstat, quę alba, sed minus efficax. Plinius inquit, est & Vitis nigra similis albæ præterquam colore, huius enim color niger, cuius Asparagos similes Diocles prætulit ueris Asparagis in cibo urinæ ciendæ, lieniq; minuẽdo in frutetis : & harundinetis maxime nascitur : radix foris nigra, intus Buxei coloris, ossa fracta efficacius extrahit, quam alba.

CAP. IX.

TAMARVM vulgo appellatur, ab aliis Cerasiola ob fructus parua Cerasia imitantes : radicem subrotundam fert, & tuberosam, colore candido, acrem : viticulas simili modo circumuoluentes se vicinis fruticibus arboribusque, tenui cortice, & candido : folia Hederę mucronata, lente virentia, racemulos frequentes suis viticulis implexos instar clauiculorum : flosculis candicantibus minutis, granulis rotundis rubentibusque : oritur in collibus locis vmbrosis & riguis : huius recentes cauliculi à veris Asparagis non discernuntur, ac similiter in cibos veniunt. Plinius vuam Tamniam appellari tradit, eandemq; esse putat cum Vite sylueſtri ; inquit enim, quæ à Græcis Ampelosagria appellatur, spissis & candicantibus foliis geniculata, rimoso cortice, fert vuas rubentes Cocci modo, quæ cutem in facie mulierum purgant, & variis coxendicum, & lumborum vitiis tusę cum foliis, & succo prosunt, radix decocta in aqua pota in vini Coi cyathis duobus, humorem aluiciet, ideo hydropicis datur, vtuntur ea pro Amuleto. Dioscorides de Vite sylueſtri inquit, longas fert viticulas, Vitis modo lignosas : asperas, rimoso cortice : folia autem similia Solano hortensi, latiora, longioraq; : flores capillaceos muscosos : fructum paruis vuis similem, in maturitate rubentem, rotunda figura. Eius radix in vino decocta, & cum aqua pota purgat, datur & hydropicis, & quæ sequuntur. Theophrastus eius radicem scribit anno vtilem esse, si in vmbra, & sine ictu seruetur : nam alioqui, putrescit, & inanis fit ac fungosa, excalfactoria & acrem vim habet, idoneam ad Psilothri vsum, & vitia cutis in facie : Fructu eius de foliare arbores solent : succiditur omni tempore præcipue Autumno : at puto corrupte in codice græco legi pro δέρματα : δένδρα : eius enim fructu denudari coria magis verisimile est, quam arbores, vt Dioscorides testatur de fructu Vitis albæ.

SA-

CAP. X.

SALICASTRVM uocatum à Plinio, prouenit in humectis & læto solo, sarmenta ferens pollicis crassitudine, vt plurimum humi iacentia: cortice albo, læui: folia fert mollia, mucronata; appendicibus binis ad pediculum, aliquando nullis, aut vno tantum: flores in racemulis latis, figura Solatri, colore cęruleo: ampliores: apicibus quibusdam in medio luteis, sine odore: fructus fert in rotunditate oblongos, qui in maturitate rubent, succo aquoso, seminibus multis ac depressis, vt omni ex parte videatur Solatro congener. Inquit Plinius de ea: est Viti sylueſtri similis, sed in salictis nascens, ideò distinguitur nomine, cum eosdem vsus habeat, & Salicastrum vocatur. Scabiem & prurigineſm hominum, & quadrupedum aceto mulso trita hæc efficacius tollit. Videtur Dioscorides hanc intellexisse, cum de Vite sylueſtri dixit: folia habere Solano similia, at reliquę conditiones magis Tamarum indicāt.

CAP. XI.

QVOD vulgò Vinciboscum vocant: quia Frutices amplectendo connectit, nascitur in syluis, sarmenta ferens lignosa, candida, nec crassa: scandunt hæc circumuoluentes se arboribus: folia ex interuallis bina insunt, subrotunda, candicantia, & subhirsuta: hæc circa supremas viticulas inuicem connexa, vnicum folium constituunt concauum vmbilici figura, in cuius sinu flores oblongi in extremo hiantes, albi, aut subrufi ramulos ambiunt odorati, & baccæ in maturitate flauæ pertinaciter hærentes, ingrati saporis, seminibus intus duobus, aut tribus depressis. Multi hanc pro Matrisylua accipiunt, quę dicenda est inter Hyperici genera: radice nititur tenui in ramulos producta. Dioscorides bis videtur hanc plantam describere: modò Periclymenum: modò Cyclaminum alteram vocans. De Periclymeno inquit: simplex fruticat, ex interuallis parua folia habens caulem amplectentia, subcandida, Hederacea: inter folia surculi exeunt, in quibus baccæ Hederæ similes: flos Fabæ candidus aliquantenus, rotundus, & quasi insertus in folio: fructus durus, & difficilis ad euellendum; radix crassa, & rotunda: nascitur in ruderibus ac sæpibus conuoluens se vicinis adminiculis. Hæc descriptio in cæteris quidem congruit excepta radice: at Plinius radicis non meminit, cum in cęteris consentiat cum Dioscoride inquiens. Periclimenos fruticat & ipsa, ex interuallo duo folia habens, subcandida, mollia: in cacumine autem semen inter folia durum, & quod difficilè euellatur: nascitur in aruis, sępibusque conuoluens

uens se adminiculis quibuscumque: semen eius in vmbra siccatum tunditur, & in pastillos digeritur, qui in vino albo poti tricenis diebus vrina cruenta, aut per alnum lienem absumunt. De altero autem Cyclamino inquit Dioscorides. folia fert Hederæ minora: geniculatos caules, crassosque, qui vicinas arbores instar capreolorum se conuoluunt: Florem candidum, odoratum: acinos Hederę molles, lenti gustus, aliquantum acris: radicem super vacuam: nascitur in asperis: huius acini drachmæ vnius pondere poti cum Vini albi cyathis duobus quadraginta diebus, lienem per vrinam, & aluum absumunt, & quæ sequuntur, in quibus eædem prorsus facultates leguntur, quæ in Periclymeno. Affert quoque Plinius alterius Cyclamini descriptionem nequaquam diuersam à Dioscoridis enarratione; Ex quibus patet prædictam plantam magis conuenire cum altero Cyclamino ob fructus mollitiem, & radicem superuacuam. si igitur eidem accommodari possit Periclymenum, & fructus durities de semine intelligatur, auferaturq; conditio radicis rotundæ, & crassæ, error erit in repetitione eiusdem diuersis nominibus: probabilius igitur dicendum videtur, legitimum Periclymenum adhùc non compertum esse, non tamen à prædicta planta multum differre. Plinius alibi Climenum vocat: foliis Hederę; ramosum; articulis præcinctum; graui odore; seminibus Hederæ.

CAP. XII.

SMILAX aspera, vulgò autem Hedera spinosa, viticulas fert longas, aculeis aduncis, & paruis horridas: folia Hederæ, nullis angulis in gracilitatem fastigiata, dura: & capreolos tenues, quibus arbores scandit ad multam altitudinem: floret in Autumno racemulos ferens Labruscę modo, flosculis candidis, odoratisque: baccas rubentes subdulces; officulis intus duobus, aut tribus solidis, vt Asparagi: radicem pollicis crassitudine geniculatam, candidam, & lignosam, prælongam, fibrosis alis paruis circa genicula exeuntibus. Dioscorides inquit Smilax aspera folia habet Periclymeni: sarmenta tenuia multa, Rubi modo, aut Paliuri aculeata: arbores scandit, ab imo ad summa perreptans, se conuoluens eis: fert racemulos exiles, qui maturi rubescunt, gustumque leniter mordent: nascitur in palustribus, & asperis: radice dura, crassaque. Theophrastus simpliciter Smilacem vocat, quam Theodorus Hederam Ciliciam vertit: Amplexi caulis inquit assurgit; caule aculeato, & præhorrido: folio Hederę paruo sine angulis in acutum producto, iuxta pediculi nexum excauato: proprium huius, quòd medius neruus, qui spinę animalium respondet, tenuis est, & stamina non ex medio illo neruo dispensantur vt in cæteris, sed circa illum circulariter ducuntur,

cuntur, orta ab annexu pediculi cum folio. Ad caulem autem infirmum secundum foliorum interualla adnascitur ex eisdem pediculis Iulus quidam tenuis, specie clauiculi: flos candidus suauis, olens Lilium. (Theodorus non κρίνον, sed ἠρινὸν legit, idest vernum, quasi vere floreat, non in Autumno: fructus Solano proximus, ac Melethro, maximeq; similis vuæ Labruscæ: racemi pensiles, vt Hederæ ad Labruscam accedentes: ab eodem enim puncto acinorum pediculi oriuntur: fructus rubens, nucleos habens plurimum duos, aut ternos, in maioribus, vnicum in minoribus, nucleus verò valde durus, colore exterius nigro. peculiare racemis, quod tùm à lateribus caulium continuus, tum in extremo maximus exoritur, vt In Rhanno & Rubo: in his autem fructus est conspicuus, vtpote qui in summo, & à latere perpetua serie feratur. Plinius Smilacem è Cilicia primum profectam scribit Hederæ similem, densis caulibus geniculatam, spinosam: ramis fruticosam: folio Hederaceo, paruo, non anguloso, à pediculo emittente pampinos: flore candido, olente Lilium: fert racemos Labruscæ modo, non Hederę, colore rubro complexa: acinis maioribus nucleos ternos, minoribus singulos nigros durosque: infausta omnibus sacris & coronis, quoniam sit lugubris. Alibi de eadem inquit quidam duo genera Smilacis dixere. Alterum immortalitati proximum, in conuallibus opacis, scandentem arbores comantibus acinorum corymbis, contra venena omnia efficacissimis est tantum, vt acinorum succo infantibus sæpe instillato, nulla postea venena nocitura sint. Alterum genus culta amare, & in his gigni nullius effectus, illam esse Smilacem priorem, cuius lignum ad aures sonare diximus: hæc Plinius. At nostræ Smilaci nequaquam lignosa inest natura, aut crassities. Alterum vero genus Smilacis in cultis nascens fuerit Smilax ęnus à Dioscoride tradita.

CAP. XIII.

EBVLVS iuxta oppida frequens, nascitur in aggeribus: caule crasso, simplici, ac recto: frequentibus geniculis, in quibus folia diuisa, vt Sambuci; frequentioribus segmentis, angustioribusque; vmbellas fert in cacumine; & flosculos candicantes in summis fructibus, qui in maturitate nigri, vt Sambuci; succo inficiente manus: radices fert tenues, & longas, iunceas: tota graue olet. Dioscorides Chamæacten vocat, quasi humilem Sambucum: est inquit longe humilior Sambuco, magisque herbaceo generi assignandus: caule quadrangulo, geniculato: foliis Amygdalæ ex interuallo longioribus, geniculatim expansis, graue olentibus, in ambitu serratis: vmbella Sambuci: flore & acino eiusdem; radice nititur longa, crassitudine digitali.

CAP. XIIII.

BACCOLAE vulgò in Alpibus appellantur, quasi bacculæ, fructus dulces, & subacidi, paruis vuis similes, in maturitate nigri, quos esitant Alpini: fert eos paruus frutex dodrantali altitudine: ramulis virentibus, & striatis: foliolis in rotunditate oblongis, lęuiter serratis, sine pediculo adnexis alternatim: flosculis radicantibus, concauis, vt Arbuti, qui summis fructibus insident; Alterum genus fructu minori constat, & paucioribus intus seminibus: foliolis inferne albicantibus, specie Malicotonei, sed pusillis: Videntur hi frutices, quasi humiles Mespili.

CAP. XV.

SOLANI genera à supradictis distant, quod florem non in summo fructu, sed infra enascentem ferunt, simili modo concauum, aliquando dissectis labris: fructum numerosis seminibus refertum, compressis, & subrotundis: inter hæc hortense seritur inter olera æstiua, eius enim fructus venit in cibos, vt Cucurbita, vocant Manum insanum, & Pyrum insanum, quia Mali, aut Pyri effigie constat, alij Melanzanam, & Petroncianum vocant. Pyra igitur insana turbinata figura constant, magnitudine Cotonei, alia colore flauo, alia purpureo: extat & genus candidum candore Eboris, oblongiore figura, veluti parua Cucurbita, gratius in cibis: omnium planta cubiti altitudine attollitur: caule crasso, subhirsuto, ternis assidue ramis fisso: foliis Mali cotonei, aliquantum angulosis, latioribus, nigrioribusque: flore purpureo, aut candido, dissecto: fructus ante maturitatem elixus, aut assus fungorum more esitatur, sapore fungos imitante, at non sine condimentis acribus, vt Pipere, ad castigandam saporis feritatem: ægre concoquitur in ventriculo: refrigerantis & humectantis facultatis. Græci Stychnon vocant. Dioscorides de hortensi inquit, esculentus, est paruus frutex multis alis concauus: folio nigro, maiore, quam Ocymi & latiore: fructu rotundo, viridi, qui post maturitatem nigricat, aut fluuescit: herba autem innocentis est gustus; facultatem habet refrigerandi. Apud Theophrastum Theodorus omne genus Stychni Vesicariam vertit, nomen inquit æquiuocum esse: de Vrbana inquit, cibo idonea est, fructum acinosum ferens: recensetur alibi inter olera, quæ coqui exigunt licet cruda etiam mandatur: interpretandus igitur est fructus acinosus, non vuæ modo granula ferens, sed cuius interna substãtia numerosis granulis referta est. Ex hoc genere videtur esse & Corcorus, de quo mox inquit Theophrastus, ob amaritudinem in prouerbio est: folium eius Ocymũ emulatur.

Plinius

Plinius tertium inquit in genere Stychni est, quod in cibis sumitur: foliis Ocymi, licet præferatur hortensis saporibus. Galenus de esculento inquit, in hortis nasci omnibus notum.

CAP. XVI.

MALA insana rotundiora sunt, veluti Mala: eorum quoq; duas nouimus differentias; vnum colore aureo, specie Mali Appij; vnde quidam Malum aureum vocant; alterum depressius, & latius, specie Mali rosei, sulcis distinctum, colore rubenti, quasi igneo. Vtrique caules sunt veluti sarmenta, longitudine duorum, aut trium cubitorum, qui, nisi habeant adminicula, procumbunt in terram: folia vtrique hirsuta ac diuisa, Erucæ modo, sed multo longiora, ac latiora: flores albicantes: Vtraque peregrina: coluntur in hortis ad spectaculum potius, quam vsum. Quidam tamen fructus in patinis paratos comedunt, vt Pyra Insana, sed ferinus quidam odor inest, præcipué rubris. existimo hæc ad Solani furiosi genera pertinere: Non enim vnica apud Dioscoridem insinuatur planta, quamuis ex continua verborum serie vnicam videatur describere: vnde factum est, vt hodie occultum sit Solanum Manicum; nulli enim ex nostris tota descriptio conuenit, nec verisimile est eandem plantam capitula ferre similia Platani pilulis, & fructum racemosum granis constantem similibus Hederæ corymbis, sed in his verisimilius est plures plantas insinuari, quod si hoc modo intelligamus, habebimus plantas, quibus optimè notæ omnes quadrabunt. Ac primum Mala insana, quæ descripsimus, ad primum genus Solani furiosi reducenda erunt, cuius Dioscorides folia tantum, & caules describit in hunc modum, Solanum Manicum folio constat simili Erucæ, sed maiore quasi Acanthi: caules autem fert ab radice decem, aut duodecim proceros, altitudine vlnæ: hucusque descriptio est primi generis; nam quæ sequuntur, ad alia pertinent, de quibus mox dicemus: Eadem verba leguntur apud Theophrastum, vnde videtur Dioscorides totum caput Solani Manici mutuasse; ideo eadem apud eundem difficultas. Plinius consulto præterit eius descriptionem; nam paruo succo insaniam facit: hoc inquit est venenum, quod innocentissimi authores Dorycnium appellauere, ab eo, quod cuspides in præliis tingerentur, illo passim nascente. qui parcius spectauerant, Manicon appellauere; qui nequius occultabant, Erythron, aut Neurita, vt nonnulli Perisson, ne cauendi quidem causa curiosius dicendum.

CAP. XVII.

MALVM spinosum à quibusdam Stramonia vocatur herba inter æstiuas, cubiti altitudine; caule crasso, lęui, in ramos fisso: foliis Pyri Insani, candidioribus, lęuibus, quibus odor quasi Opij: flores fert prægrandes, figura calycis, aut tubæ, colore candido: fructum rotundum, hispidum, Mali amplitudine, aut Nucis: colore viridi, qui in maturitate dehiscens, semina intus ostendit vehementer congesta, vt Mali granati, colore candido, compressa, & ferme triangula, media fructus parte carnosa, externo cortice membranoso: Peregrina est planta, quæ seritur in Viridariis spectaculi gratia: huic alterum genus Solani Manici ascribendum censeo, quod innuitur à Dioscoride cum inquit: caput fert in cacumine instar Oliuæ, sed hirsutius, veluti Platani pilula, maius tamen, & latius. Theophrastus inquit: caput fert instar Gethyi, sed minus, atq; hirsutius, simile fructui Platani. Apud Auicennam Nux Methel appellatur, de qua inquit. Est venenum obstupefaciens similis nuci, super quam sunt spinę breues, & crassæ, & est similis Nuci Vomicæ, & eius semen est simile semini Citri, pondus trium granorum inebriat. drachma vna interficit eadem die.

CAP. XVIII.

SOLATRVM vulgo appellatum, duorum generum est apud nos: vnum maius, quod montanum est, Alterum minus, quod passim in ruderibus nascitur. Maius in syluis montium nascitur: pluribus ab eadem radice caulibus, crassis, nigris, bicubitalibus, altioribusque: ramis ternis in latera tendentibus: foliis Mali cotonei, nigris, lęuibus: flores fert concauos, oblongos, nigros, ordine dispositos in ramis per interualla singulos: fructum vuæ acino similem, grandius culum, in maturitate nigrum, vinosum, seminibus paruis, vt Hyoscyami, nigris: viuit hęc radice, quæ crassa est, ramosa, alba, strumosa, atque admodum fragilis, & excauata. Dioscorides in Solano Manico postremo loco hanc ostendit, inquiens: flos niger, quo decidente, fructus vuæ specie, rotundus, niger, acini sunt decem, aut duodecim, similes Hederę corymbis, molles, vt Vua. radix subest candida, crassa, caua, cubitalis: gignitur in montibus, vento perflatis, & riguis. Theophrastus de hoc genere inquit Strychnon, quod insanire facit, constat radice candida, & longa, ad cubitum, caua: dabitur eius radicis drachmę pondus, si, vt quis ludat, seque pulcherrimum putet; voluerit; at si uis, vt magis insaniat, drachmis duabus opus est; sin autem nunquam insania solui, malueris,

lueris, tres dabis: & quatuor, si interimendum sit. huic baccas nigras alibi tradit, vbi inquit, in Archadia nascitur vtrumque genus Solani, quod fructum puniceum fert, idest somniferum, & quod nigrum, idest manicum: duo enim esse Solani genera tradit, pręter hortense: somniferum: & furiosum. Plinius hoc genus Cucubalum appellauit, de quo inquit; Quidam hanc alio nomine Strumum appellant; alij græce Strychnon: acinos habet nigros.

CAP. XIX.

SOLATRVM minus nascitur passim in æstate secus vias, locis fimosis: caule subhirsuto, nigricante, similiter diuiso in ternos ramos, breuiores tamen, quam ante dictum: folia quoque breuiora, aliquantum angulosa, nigricantia, subhirsuta: flores fert in interuallis foliorum plures in vno pediculo, candidos, dissectos, medio quodam apice luteo: fructus paruis vuis similes, in maturitate nigros, aut flauos, humore plenos, & seminibus paruis, candidis, similibus Hyoscyamo: radix candida, quę hyeme emoritur: vtuntur hac herba frequenter medici simpliciter Solatrum vocantes ad vlcera vehementer inflammata, & humores candidos tusam in cataplasmate, aut succo illito, aut aqua stillatitia irrigata: infunditur & in intestinorum exulcerationibus: propinant aquam, aut succum ad ventriculi & reliquorum viscerum inflammationes; vrinæ ardorem, & calculum: aqua sudorem elicit tribus vnciis pota cum totidem aquę Absinthij. putatur hęc Solanum hortense vocari à Dioscoride, cum tamẽ nullibi seratur, nec vllo pacto esculenta sit: suspicor autem hanc à medicis assumi pro Hyoscyamo albo, reiectis duobus aliis Hyoscyami generibus, vt testatur Dioscorides: inquiens id placidissimum esse, pinguius cęteris, molle & lanuginosum; flore, & semine candido: nascitur in maritimis, & ruderibus: excipitur succus ex fructu tenero; item ex caulibus foliisque tundendo, & in solem siccando, & quæ sequuntur. Cum igitur dicat succum excipi ex fructu tenero, profecto innuit huius fructum non Cytinis similem esse durum & aridum, vt in cæteris: reliquę conditiones manifestissimę sunt.

CAP. XX.

VESICARIA, quæ in officinis vocatur Alchechengi, in agrorum limitibus nascitur, & sępibus: caule, vt plurimũ simplici, aut paucis ramis: folia fert maiora supra dicto, iuxta quę singuli flores candicantes, & fructus exacte rotundi, magnitudine Cerasorum, colore puniceo, vesicis inclusi rubentibus, sed ante maturitatem viridibus:

semina

semina in carne continentur, depressa, & candida: singulare remedium ad vrinam impellendam, & vesicę cruciatus, & calculum, si tres fructus, aut quatuor ex vino bibantur, quasi natura vesicę remedia ostendat, dum fructum vesica conditum gignit. Dioscorides inter Solani genera, Halicacabum vocat; foliis Solani hortensis, latioribus: caulibus, cum adoleuere, ad terram inclinatis; folliculis orbiculatis, veluti vesiculis, in quibus fructus continetur, rubens, rotundus, lęuis, figura acini vuæ: vtuntur coronarij corallis intexentes. Plinius hanc diligenter ostendit, inquiens: cui acini coccinei, granosi folliculi, Halicacabum vocant, nostri Vesicariam; quoniam vesicæ, & calculis prodest: frutex est surculosus, verius, quam herba; folliculis magnis, latisque, & turbinatis: grandi intus acino, qui maturescat Nouembri mense.

CAP. XXI.

SOLANVM somniferum peregrina est planta apud nos: fruticat ab eadem radice, multis caulibus, bicubitalibus, altioribusq;, lignosis, candida lanugine obductis, in quibus folia Mali cotonei candidiora, & flosculi in alis numerosis, ex luteo subrubentes, ac folliculi exiles, in quibus grana longe minora Vesicaria, simili colore, sed quasi ad croceum inclinante: seminibus intus flauis: radix crassa, & ramosa, subrufa, viuit diutius: Dioscorides paulo diuersum describit inquiens: fruticat multis ramis, densis, caudicosis, fractu contumacibus: foliis numerosis, pinguibus, Malo cotoneæ similibus: flore rubro, grandi: fructu in folliculis croceo: radice prægrandi, cortice subrubro: nascitur in locis petrosis, non procul à mari: vim somniferam in radice esse, sed blandiorem, quam in Opio: dari drachmam vnam corticis in vino: fructus vrinam vehementer impellit: dantur hydropicis duodecim corymbi: si amplius, alienationem mentis faciunt, & quæ sequuntur. At nostræ, quam descripsimus, non videtur conuenire flos grandis, nisi ramum onustum flore accipiamus: neque radix subrubra, quod & Theophrastus confirmat inquiens: somnificum Strichnon radice constat rubra, sanguinis modo, quæ siccata albescit: fructu Coccorubicundiore. folio Tithymali, aut Mali dulcis, piloso, & prope radicem magno; nascitur in rupibus, & saxibus, atque sepulcris: radicis corticem tusum in vino meraciore dant, vt dormire faciant. Plinius nequaquam describit; vocari Halicacabon, quod soporiferum est, atque etiam Opio velocius ad mortem.

PIPER

CAP. XXII.

PIPER Indicum vulgò appellatur fructus acerrimi saporis, ex Occidentali India primum illatus, nunc frequentissimus in hortis condimenti gratia satus inter æstiua: caulem fert cubitalem, virentem, aut subnigrum, læuem, paucis ramis: folia Solatri, angustiora, longioraque, ac magis fastigiata, læte virentia: flores in alis singulos, candidos, dissectos: fructus longitudine digitali, fastigiatos, colore rubente in quibus semina similia Vesicariæ, latiora: vrit vehementius, quam Piper, adeo vt pustulas excitet, tundunt cum mica panis; deinde torrent, sic castigata mordacitate obsoniis inspergunt, loco Piperis extant quædam differentiæ in fructu; nam color in initio aliis viridis, aliis niger, in maturitate autem rubicundus, aut croceus: figura quoque; aliis breuior, & crassior: aliis longior & gracilior. putatur apud Plinium Siliquastrum esse, quę & Piperitis dicta est: describitur autem Castore Authore, caule rubro, & longo, densis geniculis: foliis Lauri, semine albo, tenui, gustu Piperis; vtilis gingiuis, dentibus, oris suauitati, & ructibus; bibitur contra morbos comitiales: seritur vbi Smirnium, locis scilicet putridis, & macris, & roscidis: ex hoc genere videtur esse, Circæa apud Dioscoridem: inquit enim, foliis constat Solani hortensis, agnatis, multis: floribus nigris, paruis, multis: semine Milij nascente in quibusdam veluti corniculis: radice dodrantali, triplici, aut quatruplici, candida, odorata, excalfaciente: Nascitur in apricis, saxis, & vento perflatis: eadem fermè ad verbum habet Plinius.

CAP. XXIII.

SOLANVM arborescens nuper inter peregrinas allata est: planta, caudice constans crassitudine brachij, hispido, non tamen aculeato, subnigro: ramis ad latera fusis: folio Siliquastri, ac flore: fructu rotundo, rubro; grandiore quam Vesicaria, at sine vesica; semina intus eadem habentur. laudant fructum ad vrinam impellendam; at in foliis vis venefica inest.

CAP. XXIIII.

MANDRAGORAS planta est in montibus nascens, vnde translata est in hortos, radice constat crassa, & longa, candida, diuisa in duos, aut tres ramos, veluti crura, tenuibus fibris hirsuta, germinat mense Decembri; folia edens in orbem disposita

posita circa radicem, similia Lactucæ; simul & flores, singulis pediculis inter folia, candidos: procedente tempore folia longiora redduntur, veluti Betæ candidæ, aut Hippolapathi,; & fructus gerit in terra iacentes, rotundos, virides, qui in fine Veris maturescunt, colore flauo, magnitudine Mali Apij, odore iucundo cum quadam grauitate; semina intus candicantia, & farcta, figura renum. Duo alia genera virent in horto Pisano, flore purpureo; eorum alterum folio constat hirsuto, vt Anchusa, similiter strato in orbem, breuiore tamen, & latiore: floret circa brumam, vt superior: fructum nunquam perficit: radix exterius nigra. Alterum ex Sicilia aduectum est, foliis Lactucæ, vt primum genus: fructu turbinato, vt parui Sorbi, qui in maturitate flauescit: radice candida: hæc germinat, & floret circa æquinoctium Autumni: perficit autem bruma, quo tempore prioribus amissis foliis, & fructu, iterum germinat, noua folia edens, at sine flore & fructu: omnia autem genera aduentante æstate folia amittunt: nulla caulem ferunt, præter tenues florum pediculos ab radice. Dioscorides tria eadē genera Mandragoræ describit; albam quidem scilicet priorem, Marem vocans; nigram verò feminam: Tertiam Morion: incipit autem à nigra inquiens: angustioribus foliis constat, & minoribus quam Lactucæ, virosis, & graue olentibus, in terra sparsis: Mala gerit Sorbi similia, pallida, odorata, in quibus semen veluti Pyrorum: radicibus inhęret magnis, binis, ternisq; inter se conuolutis, foris nigris, intus albis, crasso cortice: caulem non fert. de candida autem, quam nos primo loco descripsimus; quia notissima est, inquit; huius folia magna, alba, lata, læuia, vt Betæ: mala altero duplo maiora, colore in croceum inclinante, iucundè olentia cum quadā grauitate, quorum cibo pastores aliquantum soponratur: radix alteri similis, maior, & candidior: hæc quoq; orbata caule. Morion postremo ex aliorum relatu tradit, in opacis iuxta specus enatum: foliis albis Mandragoræ, minoribus, albis, dodrantalibus circa radicem, quæ mollis est, & candida, paulo maior palmo, crassitudine pollicis. Plinius duo tantum priora genera describit ex Dioscoride inquiens: niger, quæ fęmina existimatur, angustioribus foliis quam Lactucæ, hirsutis, & caulibus: radicibus binis, ternisue, nigris foris, intus albis, carnosis tenerisq; penè cubitalibus: ferunt mala Auellanarum nucum magnitudine, & iis semen ceu Pirorum. Candidus, qui mas; huius folia alba, quam alterius latiora, vt Lapathi sativæ: cauent effosuri contrarium ventum, & tribus circulis ante gladio circunscribunt, postea fodiunt ad occasum spectantes; sed hęc ex Theophrasto desumpta sunt, qui tamen diuersam ab iis omnibus Mandragoram ostendit.

CAP. XXV.

QVAEDAM est planta in Alpibus, quam quidam barbam Capri appellant: folio constat ramoso, instar Ferularum, in multas partes secto, similitudine folij vulgaris Sicomori: caule simplici, recto, cubitali: in cacumine baccas fert, in maturitate nigras; in racemo Ligustro similes, in quibus multa semina continentur depressa & farcta.

CAP. XXVI.

QVIBVS pauciora in fructu semina sunt in hoc genere, magna ex parte eadem ossea sunt, aut cartilaginea, vt Asparagi, & Rusci: later autem seminis medulla; quia ob exilitatem inuisibilis fermè est in ossis meatu quodam inclusa, vt Palmæ contigit inter arbores: Asparagus caules multos ab eodem globo radicum fert, qui vere dum tenelli sunt, in cibis expetuntur tum crudi, tum cocti, quorum exemplo & cæterorum virgultorũ tenera germina esui apta Asparagi vocantur. hi procedente tempore in multam longitudinẽ attolluntur, cęteris fruticibus innixi, lignosi tamen, sed ob tenuitatem infirmi, candicantes, aduncis quibusdam aculeis prope solum, qui facile decidunt; ramuli circundant per tota sarmenta, breues, ac duri; foliolis numerosis, capillaribus, robustis, acutisque, vt ex toto aculei videantur: flosculos fert mense Augusti sub foliolis tenui pediculo pendentes, albicantes, in sex particulas scissos: fructum rotundum Piperis magnitudine, in maturitate rubrum: radices ex globo quodam multæ descendunt in profundum, candidæ, junceæ: oritur locis saxosis inter vepres. Alterum genus colitur in hortis, cuius Asparagi crassiores, & gustui gratiores, sapore quodam fungos Prunulos imitante; caules breuiores, per sestantes: longioribus ramulis: foliolis mollibus, non pungentibus: flosculi longiore pediculo pendent: fructus paulo crassiores, in quibus semina ad summum sex nigra continentur: amat vmbrosa: florer verè. Tertium satiuo simile, tenuius, & breuius: oritur in incultis solo harenoso, vulgò Palatium leporis vocant; quia sub ea latitant lepores. Quartum genus vixit quondam in horto Pisano peregrinum, cui pro folio verè aculei erant, crassi, robustissimiq;, similiter virentes: radices ex communi callo exeuntes, crassiores cæteris. Dioscorides duo genera ostendit: primum Asparagum petręum vocat, & Myacantham, quasi maris spinam, quam tanquam notam nequaquam describit, at ex cognomine facilè coniectari possumus intelligi id, quod primò descripsimus, genus

scilicet spinosum, quod inter vepres frequentissimum est: de altero autem genere inquit: Tradiderunt quidam nasci Asparagum, arietis cornibus contusis, atque defossis, quod non creditur. hic tamen Asparagus multis ramis fruticat: foliis longis, numerosis, Fęniculo similibus: radice rotunda, magna, nodum habente. hæc optime conueniunt nostro satiuo, cuius radix maiori globo constat, quam sylueſtre, & est quasi multarum radicum nodus. Theophrastus vnius tantum meminit, scilicet sylueſtris, quem Theodorus modò Asparagum, modò Corrudam vertit. est inquit inter suffrutices spinosos, quibus nullum folium iuxta aculeum est, sed ex toto aculei sunt, nisi ipsi aculei folia dicantur: pauca autem huiusmodi sunt; nam prętęr Corrudam, & Nepam diffi ile est alios suffrutices inuenire, quę post ęquinoctium Autumni florescunt. Corruda iuxta aculeos peciolum quendam pusillum producit, ex quo flosculus tandem erumpit: innititur radice alta, numerosa, & adeo crebra, vt pars suprema radicum tota connexa, & cōtinua reddatur, ex qua vel ipsorum caulium factitatur prouentus; exit vere caulis ex Asparagia, ciboque idoneus est, deinde durescit; florescitque sequenti tempore; flos non solum ex hoc, verum etiam de primoribus emergit caulibus: non enim annuo constat caule. hæc Theophrastus, quæ omnia adamussim vulgari Asparago sylueſtri conueniunt. Plinius genus satiuum Asparagum vocat; sylueſtre Corrudam: de satiuo inquit; omnium hortensium laudatissimam esse curam Asparagis: iubebat Cato in harundinetis seri; seritur spongiis (spongias autem vocat globum radicum) est enim plurimę radicis, altissimęque germinat; potest & semine seri; viret Thyrso primum emicante, qui caulem educens tempore ipso, quo fastigiatus est, in toros stringitur: nullum gratius his solum, quam Rauennatium: hæc est hortorum Corruda. De sylueſtri prętęrea inquit; Hunc intelligimus sylueſtrem Asparagum, quem Gręci Horminum, aut Myacanthon vocant, aliisque nominibus, in totum spina, cui efficacior vis, & candidiori maior: addit & tertium, cum inquit: est & aliud genus incultius Asparago, mitius Corruda, passim etiam in montibus nascens, refertis superioris Germaniæ campis, non in Scito Tiberij Cæsaris dicto. Herbam ibi quandam nasci simillimam Asparago. ex quibus manifestum est intelligi per postremum hoc genus, id quod à nostris Palatium Leporis vocari diximus: nasci prętęrea tradit sponte in Heside Campaniæ insula, quod longe optimum existimatur. Galenus in alimentis Asparagos vocat, omnia tenera germina, seu ex oleribus & herbis, seu ex suffruticibus, seu ex arboribus, fruticibusque: & inter suffrutices numerat Asparagum ex Oxymyrsine, Chamædaphne, & Oxyacantha (ego potius Myacantha legendum puto) nam Oxyacantham non inter suffrutices est, cum arborea natura constet. ab his prętęrea alij sunt diuersi-

quorum

quorum alius regius, alius paluſtris vocatur, quemadmodum alius eſt Bryoniæ ab iis diuerſus. in ſimplicium autem cenſu vnius Aſparagi meminit, quem Petreum, & Myacãthinum vocat, vt Dioſcorides primum genus. Quid autem per regium Aſparagum, & paluſtrem intelligat, difficile eſt diuinare, cum nullæ eorum tradantur notæ; ex nomine tamen coniectari licet regium Aſparagum vocari Haſtulæ regię germen, quod apud antiquos in maximo erant pręcio: in paluſtribus autem nullum aliud germen in cibos aſſumi inuenio, præter id, quod ex Polygono fœmina erumpit ante caulium exortum: figura enim conſtat Aſparagi, nuper erumpentis, ſed colore candicante, Menzuculum vulgo appellant. Reperio etiam apud Athenęum paluſtris Aſparagi mentionem, & montani, quorum optimi non ſeruntur, cum omnium hortenſium maxime cultum excipiant; qui ſeminantur, grandes admodum naſcuntur. In libię Getulia naſci non nulli dicuntur, qui Calami Cyprij magnitudinem conſequuntur, & duodecim pedum longitudinem. Apud Oceanum in montibus craſſitie magnarum Ferularum, longitudine viginti ferè cubitorum: Braſicæ Aſparagus proprio nomine Orminus dicitur: hæc Athenæus.

CAP. XXVII.

SARZAPARILLA ab Hiſpanis appellata radix eſt in India occidentali Aſparago noſtro ſimillima; nam ex globo quodam craſſo, multę, ac longiſſimæ exeunt iunceæ, candidæ, aut nigræ, ſapore nullo conſpicuo, aliquantum glutinoſo, viſus aliquando eſt caulis, ſed abruptus pollicis craſſitudine, paruis ſpinulis horridus, vt aliqua ex parte Smilacem aſperam æmuletur. referunt Hiſpani Sarzaparillæ vſum ab Indis acceptum eſſe, ad multos, & varios morbos ſanandos. Eſſe plantam multas ferentem radices, in profundum actas vltra bicubitalem longitudinem, vt integras eruere ſit difficile; ramos ferre nodoſos, lignoſoſque, qui facile ateſcunt: flores, ac fructus adhuc non viſos; oriri in noua Hiſpania radicibus colore albo ad flauum vergente, tenuibus. Alterum genus in Hondura efficacius, iuxta flumen quoddam, craſſioribus radicibus, ac magis fuluis, aut ſubnigris, qui color magis probatur: in totum expeti maxime recentem, ſcilicet quæ, dum frangitur, puluerem non ſpargit, nec corroſa eſt, quæ in rectum facile finditur perpetua fiſſura, ſine puluere flexibilis, item grauior, & cui cortex craſſus, carnoſus, medulla interna neruoſa exigua; virtus enim in cortice eſt. Inditum ab Hiſpanis hoc nomen ob ſimilitudinem cum Smilace aſpera, quam Sarzaparillam vocant; ei namque ſimillima eſt, quæ in noua Hiſpania naſcitur, at non ea, quæ in Hondura, ſapor inoſt inſipidus, ſine vlla acri-

monia, & aqua, in qua decocta fuerit, non magis ſapida eſt quam aqua Hordei: vtuntur ea ad morbum Gallicum, & reliquos morbos diuturnos; ſanat ſudorem prouocando: initio longe diuerſus eius erat vſus, quam hodie: ſic enim Indi vtebantur: aſſumebant radicum in paruas partes conciſarum corde exempto, libram dimidiam, & amplius, contundebantque, & aquę ſufficientem quãtitatem affundebant, ſinebantq; donec per infuſionem emollitę eſſent, ſi ſiccæ aſſumerentur, qua emollitione recentes non egent; poſtea in mortario optime contundebant, exprimebantque craſſum quendam ſuccum; huius ſucci calentis matutino tempore propinabant ęgroto vaſculum ſatis amplum, à cuius aſſumptione large ſudabat duabis horis ſubſtragulis; iterum veſperi alteram menſuram, ſimilem exhibebant, operiebantque, vt ſudor eliceretur. quidam hæc tribus diebus continuis faciebant, quo tempore nil aliud æger deguſtabat, neque potum, neque cibum, ſed prędicti ſucci quantum libuerit interdiu. alij cum cibo ſufficienti nouem diebus ſucco vtebãtur: poſteaquam verò aſperior hic curandi modus viſus eſſet, licet valde efficax, cæperunt decoctionem parare duplicem, vt de ligno Guaiaco fieri ſolet, accipientes Sarzaparillæ minutim cõciſę & parum contuſę vncias duas, aquæ libras duodecim, ſimiliter infundendo, & decoquendo, vt de Guaiaco fit: & ad ſecundariam aquam ollam implendo, & vnico tantum feruore decoquendo: exhibebant autem ægrotis præpurgatis, & in thalamo clauſis quindecim diebus continuis, cum eadem victus ratione exſiccante, & ſi perferre nequeant, concedunt paruum pullum gallinaceum aſſum; poſtea iterum ęquiter purgant, & aliis quindecim diebus aquas prædictas exhibent cum ea victus ratione, quę in Guaiaco præſcribitur: poſt quos dies ad reliqua cibaria optimi ſucci transferunt, vt tamen per quadraginta dies à vino, & Venere abſtineãt, & bibant aquam Sarzaparillę ſimpliciorem, quę in libras ſexdecim aquę aſſumpſerit Sarzaparillę vnciam dimidiam, ferbueritque, donec relinquantur libręduodecim: alij præſtantius accipiunt Sarzaparillæ vncias quatuor à corde interno mundatas, aquæ autẽ libras ſexdecim: coquunt ad dimidias, & decocto ſolo vtuntur, pro medicamẽto, & pro potu ſingulis diebus prę parantes. Quoniam verò ſæpe fit, vt propter ægrotantium temperamentum calidius, non ſine periculo remedium id exhibeatur, excogitatæ ſũt à medicis variæ mixtiones, quibus contẽperetur medicamenti vis: compertum autem experientia. eſt Sarzaparillam fęlicius commixtiones pati, quam lignum Guaiacum eſt autem Sarzaparillæ temperamẽtum paulo calidius, Guaiaci autem paulo ſiccius; idcirco vtrunq; commiſcent, & Guaiacci ſiccitatem humectantibus contemperant; Sarzaparillæ autẽ caliditatem refrigerantibus in hunc modum: aſſumunt Sarzaparillę vncias duas, ligni Guaiacci vncias quatuor, Iuiubas numero triginta ſex

demptis

demptis ossibus, pruna passa demptis ossibus numero vigintiquatuor, florum Borraginis, Violarum vtriusque vnciam dimidiam, Hordei mundi pugillum, Aquæ libras duodecim: coquuntur donec redeant libræ quatuor: huius decocti exhibent mane & vesperi vncias decem, addentes Syrupi violati vnciam vnam. alio modo simplicius: Sarzaparillę vncias octo, aquæ libras sexdecim: coquitur donec redeant libræ quatuor, quibus adduntur saccari libræ quatuor, exhibent vncias tres, mane & vesperi. Alio modo puluis paratur tenuissimus ex pulpa Sarzaparillę dempto interno neruo, cuius exhibetur pondus drachmæ vnius cum aqua decoctionis simplicis Sarzaparillę, mane ieiuno ventriculo, & vesperi post cenam, cum victu boni nutrimenti, & potu aquę eiusdem. Quidam cum vino eundem puluerem exhibent; sic enim ventriculum minus dissoluit; alij addunt medicamenta purgantia. sed hæc præter institutum nostrum ob remedij nouitatem subtexere libuit.

CAP. XXVIII.

RVscvs in officinis Bruscus vocatur, suffrutex in sæpibus, locis saxosis, vmbrosisque; numerosis caulibus, læuibus, virentibus, duris, fractu contumacibus, altitudine duorum dodrantum: foliis figura Myrthi, robustis, in aculeum desinentibus; hæc nullo pediculo ramis hærent parte prona, flexa ad latus, vt non sursum, & deorsum spectent, sed dextra, & sinistra: flosculum fert Asparago similem in medio folio; quod huic peculiare est, & iis, quæ illi sunt affinia: est enim eorum folium de natura caulis, admodum durum, ac robustum: fructum rotundum, ac rubentem, crassiorem Asparago, duobus intus osculis, candidis, rotundis, quasi carnea substantia: floret hyeme, & fructus seruat vsque ad alterum prouentum: radices fert albas Asparago similes, magis intortas: ramis, vtpote pungentibus, arcentibus Mures, idcirco quidam vulgò Pungitopum vocant, imitatione græci nominis Myacanthe, quo nomine Asparagus dictus est ob eundem vsum. Dioscorides Myrthum sylueſtrem vocat, & Myrthum acutum: folio Myrthi latiore, mucronato, in formam lanceę: baccis in maturitate rubentibus rotundis, à medio folio dependentibus, osseo intus nucleo: ramis cubitalibus, ab radice lentis vitilium modo, fractu contumacibus, foliosis: radice Graminis simili, acerba, & subamara: cauliculi recentes Asparagorum vice in cibo sumuntur; amari tamen sunt, & vrinam mouent. Plinius de Myrtho sylueſtri inter arbores agit cum satiua, eademque illi ascribit, quæ Dioscorides, alibi de Rusco medicas tantum facultates scribit. Quamuis idem sit Ruscus Romanis, & Myrthus sylueſtris, seu Oximyrine Græcis teste Dioscoride. Arabes Rusci fructum

Cubebas

Cubebas vocant, putantes esse Carpesium apud Galenum; quia nullibi Dioscorides, de Carpesio, & nullibi Galenus de Rusco egit: sed de Carpesio diximus in Phu, cuius radices Dioscorides tradit adulterari solitas Rusci radicibus.

CAP. XXIX.

RVSCO affines tres hucusque nouimus, sed nequaquam pungentes: quarum prima vulgò Bislingua dicitur, & Bonifatia; numerosis ab radice caulibus, simplicibus, dodrantalibus, & fractu contumacibus, vt Rusci: folia fert Lauro similia, quibus alterum foliolum insidet ex medio folio exortum; vnde flos pendet, & fructus Rusco similis, minor, vnico vt plurimum osficulo: in vmbrosis nascitur, montanis: laudatur ad vteri strangulationes; nam folia vel radices in puluerem redacta, cochleari mensura in vino, aut iure hausta, præsentaneo sunt remedio: sanant quoque Enterocelas puerorum, si diutius eundem puluerem sumant pondere drachmæ vnius, cum dimidio ex decocto Consolidæ maioris: sed in primis diebus pulsum in ramice concitant, vt impelli foras intestina videantur. Dioscorides Hypoglossum appellare videtur, de qua pauca hæc scribit: paruus est frutex; folia habens similia Myrtho syluestri, & tenui, comam autem spinosam habenti, & in cacumine veluti paruas linguas è foliis exeuntes: Si in hunc sensum vertantur eius verba, nulla erit difficultas; sed si vt vulgati codices habent, Hypoglosso ascribatur coma spinosa, nequaquam nostræ Bislinguæ id conueniat, præter quamquod ex iis verbis innui videtur Hypoglossum tenui folio constare, cum comparentur eius folia Myrtho syluestri, & tenui, imò etiam significatur Myrthum syluestrem comam non spinosam ferre, cum de Hypoglosso dicat, similem quidem esse Myrtho syluestri, sed comam spinosam ferre: idcirco locum hunc, aut eo modo, vt dixi, esse interpretandum censeo, quasi dicat: Hypoglossum folio constare simili Myrtho syluestri, non quidem illi, quæ inter arbores est, sed exili, cui coma spinosa est, idest Rusco; aut, si placeat Hypoglosso verba illa ascribere, comam autem spinosam habet, addendam censeo negationem. Plinius Hypoglottion vocari tradit, & Laurum Alexandrinam; ab aliis Ideam; & aliis nominibus: ramos inquit spargit à radice dodrantales, Topiarij ac coronarij operis: folio acutiore, quam Myrthi, molliore, & candidiore, maiore; semine inter folia rubro: plurima in Ida, & circa Heracleam Ponti, nec nisi in montosis. Theophrastus de Lauro Alexandrina inquit; circa Idam nasci; fructum super folia gignit, quemadmodum Myrthus syluestris, quippe fructum ambæ super dorsum folij ferunt: Dioscorides tamen aliam tradit Laurum Alexandrinam, diuersam ab Hypoglosso, vt mox patebit.

AL-

CAP. XXX.

ALTERA in cæteris omnibus Bislinguę similis est; sed caule constat altiore, ad cubiti altitudinem accedente, simili modo sine ramis: fructus ex medio folio similiter pendet rubens, sed magis ex parte prona: caret quoque foliolo imitante linguam: allata hæc ad nos ex Sicilia: Dioscorides Chamędaphnem vocat, quasi humilem Laurum: inquit enim: Quidam & hanc Laurum Alexandrinam vocarunt: virgas emittit cubitales, rectas, tenues, & læues: folia Lauri similitudine, læuiora multo, ac viridiora: fructum rotundum, rubentem, foliis ad nexum: folia trita & illita, capitis dolores, & stomachi ardores mulcent, ad sedanda tormina cum vino bibũtur: succus cum vino potus menses, & vrinam ciet, idem facit pesso appositus: hæ facultates satis conueniunt cum viribus Bislinguę: affines enim plantę, etiam plerumque in viribus conueniunt. Galenus assumi in cibos eius Asparagos testatur: esse viribus persimilem Lauro Alexandrinæ. Plinius inquit Chamædaphnæ est syluestris frutex inter genera Lauri, est & Alexandrina, & quæ sequuntur: Alibi Chamedaphnem pro Vincaprouinca accipit: describit & alibi Chamædaphnem ferè vt Dioscorides vnico inquit ramulo est, cubitali ferè; folio tenui, Lauri similitudine: semen rubens, ad mixtum foliis, sed per vnicum ramulum simplicem intelligere videtur; nam alioqui numerosis virgis constat, syluosa sobole, ab eadem radice prodeuntibus.

CAP. XXXI.

TERTIA ramoso constat caule: ramis in latera sparsis: foliis candidioribus, caulem cingentibus, vt in Perfoliata: fructum fert rubentem, qui è sinu folij exit, longo pediculo pendens, vt partim ex folio exire videatur, vt in prædictis, partim ex caule; quoniam caulis folium perforat: radice constat Rusci, candidiore: oritur in montibus. Dioscorides, vt puto, hanc Laurum Alexandrinam vocat; sic enim scribit: folia Rusco similia habet, maiora, molliora, & candidiora: fructum in mediis illis rubentem, magnitudine ciceris: ramos ad terram spargit, dodrantales, aut maiores: radicem Rusco similem, maiorem, molliorem, odoratam: nascitur in montosis. Aliam diximus esse Laurum Alexandrinam, apud Plinium, & Theophrastum.

CAP. XXXII.

FRASSINELLA vulgò appellatur, in montibus, & vmbrosis nascens: caule simplici, inclinato ad terram, longitudine duorum dodrantum: foliis Lauri, latioribus, neruis secundum longitudinem discurrentibus, nullo pediculo in caule alternatim dispositis: ex singulis foliorum alis pediculus exit; vnde plures flores pendent, candidi, oblongi: fructus rotundi, albidi; duobus, aut tribus intus osiculis, depressis: radicem habet candidam, in obliquum tendentem, geniculis veluti nodis distinctam, teneram, odore graui, sapore totius plantæ insuaui, subamaro: radice vtuntur mulieres ad nitorem faciei præstandum, aquam per distillationem elicientes. Dioscorides Polygonaton vocat: nascitur inquit in montibus; frutice cubito altiore: foliis Lauri latioribus, & lęuioribus: sapore Mali cotonei, aut Punici, cum quandam astrictione: flores per singulos exortus foliorum edit, candidos, numerosiores, quam folia, supputando à radice: radicem habet albam, mollem, longam, crebro geniculatam, densam, graue olentem, digiti crassitudine, quæ vulneribus efficaciter illinitur, & maculas in facie delet. Plinius inter genera Polygoni recenset, quibus vis inspissandi, & refrigerandi: at non describit.

CAP. XXXIII.

QVAEDAM in Alpibus nascitur similis Polygonato, flore, fructu, ac radice; sed caule altiore, recto, aliquando bicubitali; foliis per interualla quaternis, aut quinis, angustis, lōgitudine digitali; colore cæsio: appellant multi Polygonaton angustifolium. hanc puto apud Dioscoridem esse Ephemeron non lætale, de quo inquit: folia habet Lilij, sed tenuiora; caulem parem; florem candidum, amarum: semen molle; radicem vnam, digitali crassitudine, longam, astringentem, odoratam: nascitur in syluis, & opacis. Plinius florem cæruleum tradit; & semen superuacuum, reliqua consentiunt cum Dioscoride.

CAP. XXXIIII.

LILIVM conuallium vulgò appellatur in syluis vmbrosis, planta breuis; duobus aut tribus foliis, Polygonato longioribus, ceu Ellebori candidi, è quorum latere cauliculus erumpit nudus, in quo flosculi ordine dispositi deorsum nutantes, cōcaui, labris parum sectis,

sectis, candidi, odoratissimiq;, Vere erumpentes: in Etruria Mughettos vocant; fructus fert Asparago similes, in maturitate rubentes: radices tenues, Graminis modo summa tellure serpentes, implicatas: vtuntur in Germania floribus in vino vindemmiæ, aut aqua eorumdem cum vino distillata ad cordis palpitationem, comitiales, paralysim, ictus venenatos.

CAP. XXXV.

PECVLIARIS inter hæc est natura Dracunculi, & Ari, & reliquorum huius generis: Dracunculus, quæ vulgò Dragontea vocatur, & Serpentaria, nascitur in vmbrosis; caule crasso, & maculoso, specie serpentis, valde lęui, qui tunicis constat ex foliorum pediculis conuestientibus: folia in plures partes scissa, tanquam palmę digitos, vt singulæ folij partes, Rumicis folia videantur, inuicem implexa, & maculosa, candidis maculis, lęuia, & mollia: nulli insunt rami, imò neque folia; nudus enim caulis, & simplex vnà cum foliis ab radice exoritur: induitur autem à foliorum pediculis sic, vt ex caule folia exoriri videantur: In cacumine ægreditur tamquam cornu, longitudine duorum dodrantum, coloris purpurei, intus inane, tenerum: conuestit id, veluti teca, quędam foliacea, quæ cum dehiscit, colorem eundem ostendit, decidente cornu cum sua teca: fructus ostenditur in summo caule congestus, magnitudine Fabarum, qui æstate maturescit colore croceo, seminibus intus rotundis, & candidis, non osseis, sed cartilagineis, duobus, aut tribus, aut ad summum quinis, aliquando singulis: radix rotunda, colore lacteo, succosa, pustulas excitans, similiter & fructus: tota planta grauiter olet, præcipue cornu cum sua teca. Est aut in hoc genere cornu loco floris, aut amenti, ex summa fructuum sede enatum: teca autem ex inferna. Dioscorides Dracontiam magnam vocat, in vmbrosis circumseptam nascitur: caulem habet rectum, lęuem, duum cubitorum baculi crassitudine, versicoloribus draconum maculis, purpureis tamen euincentibus: folia Rumicis sibi inuicem implicata: fructum in summo caule racemosum, coloris primum cineracei, mox per maturitatem in crocum, & purpuram vergentis: radicem pręgrandem, rotundam, candidam, cortice tenui vestitam. Theophrastus Dracontion vocat, id est Dracunculum: radicem inquit habet cibo ineptam pęnitus, & medicis tantum commodam; nam data cum melle vtilis ad tusses: eius semine nulla in re vti solent: caulis varietatem quandam habet; nam versicolore serpentis speciem repręsentat. Plinius Dracunculi nomine duas ostendit: Dracontij autem, vt Græci vocant, tres: sed Dracunculum, de quo hic mētio, in Lusitania à se visum testatur, in agro hospitis nuper re-

pertum: caulem pollicari crassitudine, versicoloribus Viperarum maculis, quem ferebant contra omnium morsus esse remedium: ei alia figura inquit inest, quam Dracunculo alibi à se dicto, aliudue miraculum, exeuntis è terra ad primas serpentum vernationes, bipedali ferè altitudine, rursusque cum iisdem in terram se condentis, nec omnino occultato eo, apparet serpens, vel hoc per se satis officioso naturæ munere, si tantum præmoneret, tempusque formidinis demonstraret.

CAP. XXXVI.

GICHERVM, seu Gigarum vulgò appellatum, oritur in sæpibus, & iuxta oppidorum męnia: foliis magnis, figura sagittæ, quasi triangulis, læuibus, ac maculosis; maculis candidis, vel nigris, hyeme exeuntibus è terra: vere caulem fert, crassum, purpurascentem, dodrantis altitudine: in cacumine tecam herbaceam, ac modice pallescentem fert, quæ cum dehiscit, auriculę oblongæ figuram pręsefert, corniculo intus tenerrimo incluso, pallescente, fętidi odoris: fructus Dragonteæ similis, primum viridis, postea croceus in æstate, quo tempore folia exaruerunt, solo relicto caule, tamquam pistillo: radix initio oblonga, & recurua serpentis modo; postea crassescit in rotunditatem: hęc quoque tactu pustulas excitat, mulieres tamen vtuntur ad maculas faciei tollendas, & nitorem præstandum: parant quoque ex ea contusa, & diligenter abluta succum Ceruſſæ similem. Dioscorides hanc non Dracontiam, sed Dracontion paruum appellat; quamquam superflua quædam in eius descriptione legantur, assumpta ex altera Dracontia: iis igitur resecatis apertissima erit hystoria: inquit enim: folio constat Hederę, magno, candidis maculis respersо, (quæ postea de caule subiunguntur superflua sunt): fructus in summo caule racematim cohęret, colore primum herbaceo, & cum maturuerit, croceo, gustu feruens, & mordax: radix aliquatenus rotunda, bulbosa, Aro non absimilis, tenui obducta cortice: nascitur in sæpibus vmbrosis, & quę sequuntur. Plinius Dracunculum vocat, diuersum ab eo, quem vidit in Lusitania: hic inquit radicem habet subrutilam, & draconis conuoluti modo, vnde ei nomen: Quidam ab Aro non distinguunt; semen eius feruens, mordaxq; tantumque ei virus inest, vt olfactum grauidis abortum inferat: effoditur Hordeo maturescente, crescente luna; omnino habentem serpentes fugiunt; ideo percussis prodesse in potu, aiunt maiorem; quasi hæc minor sit.

CAP. XXXVII.

ARON paruum in locis asperis nascitur, & inter saxa, plurimum in monte Sancti Iuliani prope Pisas: folia hyeme fert multò minora Gichero, simillima Hederæ, subrotunda, sine maculis: cauliculos inter folia fert, nudos, palmi altitudine, punctis quibusdam purpureis insignitos: in cacumine parua est veluti auricula, herbacea, dura, recuruo labro, è cuius sinu corniculus paruus exit. Vere decidente auricula, grana ostenduntur quatuor, aut quinque, Gichero crassiora, & aridiora, primum viridia, deinde nigrescentia: radix rotunda, magnitudine Auellanę, subdulcis, innocentis gustus. Dioscorides de Aro inquit: folia fert Dracunculi minora, & minus maculosa: caulem subpurpureum, dodrantalem, pistilli specie, in quo fructus est croceus: radix alba, Dracunculo similis, quæ decocta estur, vtpote cum minus acris sit: folia ad esum condiuntur, & ipsa per se siccata, & cocta manduntur. hæc descriptio, ratione fructus crocei, prædictę plantæ non conuenit: at minus conuenire possit Gichero, tum ratione foliorum, tum facultatis, quæ in radice. Theophrastus hoc genus intellexisse videtur, cum inquit: sunt, qui genus quoddam Dracunculi Arum appellent, quod eius caulis varietatem habeat quandam; nam alterum est Arum apud eumdem, quod caulem non fert, vt mox patebit.

CAP. XXXVIII.

ARON magnum, vulgò Colocasia vocatur, oritur in Sicilia: folio grandi, amplitudine ferme Personate, figura Gicheri, sed coniunctis infernis foliorum angulis, vt sinus quidam in folio relinquatur, superficie valde lęui & admodum virente, non sine maculis quibusdam, effigie vndarum læte virentium: pediculus id sustinet crassus baculi crassitudine, cubitalis, & amplior; à quo folium pendet deorsum spectans. Vocant incolæ Pampina Paradisi: vtuntur iis ad recentes fructus excipiendos, & caseum recentem: radix subest rotunda, & crassa, vt maior Dracunculus, acris quidem, sed innocentis gustus: hęc neque caulem, neque fructum fert: tota ęstate viret: hyeme amittit folia: gaudet multa irrigatione. Theophrastus Aron appellat, & Aron esculentum: hęc sparsim de eo tradit: folia admodum ampla sparguntur, eadem cum latitudine caua sunt, & Cucumeracea: caulis nullus: neque flos: radix cibo idonea: & folia in aceto cocta; suauis, & ad fracta vtilis: radix est toto corpore mollis, quasi sine cortice, carnosa; alteram habet tenuem & neruosam, vt dubitetur, an radicis nomine dici debeat,

quemadmodum & in Cypero hæc, vt incrementum capiat, cum foliis luxuriatur, folia deflectentes ipsa circum obtuere solent, quo planta non in germina excrescat, sed totum alimentum in suum attrahat caput. Plinius de Aro loquens similiter esculentum intelligit, magnę cum Dracontio litis. Quidam enim eamdem esse dixerunt. Glaucias satu discreuit, Dracontion sylueſtrem Arum pronunciando. aliqui radicem Aron appellauere, caulem vero Dracontion, in totum alium: nam Ari radix nigra in latitudinem rotunda, multo quoque maior, & qua manus impleatur, miris laudibus celebrata, & in cibis & in medicaminibus. In foliis Ari caseus optime seruari traditur. In Aegypto Aron vocant inter genera Bulborum; Scyllæ proximum amplitudine; foliis Lapathi: caule recto, duum cubitorum baculi crassitudine: radice mollioris naturæ, quæ edatur, & cruda. sed hoc genus Aegyptium adhuc visum non est à nobis. Ex his colligere licet Dioscoridis codices perturbatos esse, cum in minori Dracunculo multa legantur, quæ Aro esculento conueniunt, vt verba illa: caseus foliis inuolutus à putredine defenditur: radix cocta, crudaue ad sanorum vsus pro olere recipitur. In Insulis Balearibus coctam radicem cum melle multo in conuiuiis placentarum loco offerunt: & in Aro quædam leguntur, quæ Dracunculo minori cõueniunt, vt fructus croceus. inter cætera autem nomina reperitur apud Dioscoridem Cyprios vocare Colocasion, quod nomen hodie seruatur apud nos, quamquam ęquiuocum cum Faba Aegyptia; quam Plinius Colocasiam vocari tradit.

CAP. XXXIX.

ARISARON inter sæpes nascitur, non longè ab vrbe Roma, herbula, quæ in fine æstatis floret ante foliorum exortum; exerit enim à terra corniculum cum sua teca purpureum, Serpentariæ similem, sed longe minorem, palmum non excedentem, quo arefacto semina intra terram concipiuntur, breuissimo cauliculo intra terram latente: Hyeme folia fert ab radice, angusta, & oblonga, Lilio similia: vere semina iam perfecta sunt, colore candicante: aduentante æstate siccantur folia: radix est rotunda, vt Serpentarię, quæ perfecta est, Nucis magnitudinem implet, cui cauliculus inest cum semine, reliquæ multæ circa eam minores Oliuæ magnitudine. Alterum genus ex Sicilia aduectum est, cuius radix digitali longitudine constat, ad modum tenella, & quasi perspicua, cui alia rotunda insidet durior, & nigra exterius: huius folia maiora sunt, quasi Rumicis; corniculus quoque maior: germinat hæc quoque iisdem temporibus, vt altera: & semen intra terram condit. Dioscorides Arisarum vocat: exigua inquit herbula est, cuius

radix

radix Oleæ magnitudinem implet, lõge maioris acrimonię, quam Aron. Aris à Plinio vocatur: nascitur inquit in Aegypto, similis Aro, minor tantum: minoribusque foliis; & vbique radice, quæ tamen Oliuæ grandis magnitudinem implet. Alba geminum caulem: altera vnum tantum emittens. vnum mirandum ingens: contactu genitali cuiusque fęminini sexus, animal in perniciem agi. an id abortum significatur. Quod autem ei tradit folia Aro similia, sed minora, innuere videtur id genus, quod nos ex Sicilia habuimus: folia enim insunt Rumicis, qualia Aro Aegyptio tradidit.

CAP. XL.

AD genera Dracontij tradita à Plinio ea est reducenda, quę in palustribus nascitur Germaniæ: radice oblonga, geniculata, quæ à singulis geniculis, vnum pediculum sursum attollit, in cuius cacumine vnicum folium est Hederę figura, in acutum desinens, & in sinu eiusdem fructum fert racemosum, rubentem, & acrem, Gichero similem. De hac Plinius inquit inter Dracontia, tertia demonstratio fuit; folio maiore, quam cornus: radice Harundinea, totidem, vt affirmabant, geniculata nodis, quot haberet annos; totidemque esse folia. Hi ea ex vino vel aqua contra serpentes dabant. Primum autem Dracontium apud eumdem puto esse Bistortam vulgò appellatam, de qua alibi sermo est. secundum vero genus adhuc incompertum est.

Finis Libri Quinti.

AN-

ANDREAE CAESALPINI ARETINI

DE SVFFRVTICIBVS ET HERBIS. LIBER SEXTVS.

CAP. PRIMVM.

LEGVMINA inter fruges numerantur; quia eorum semina in cibos veniunt: condita hæc sunt in vascu lis oblongis, chartilagineis, quę siliquas vocant, ex altero earum latere pendentia, adnexaque, qua parte cor est, superno siliquæ dorso, in quibusdam adeò farctè, vt ex contactu angulosa reddantur, vt Cicercula, Mochus: in aliis distantia, vt quodammodo septis intercisa siliqua videatur, vt in Faba, & Lupino: flores in omnibus inferius sedent, & tamquam vaginulæ nascentem siliquam amplectuntur, ex duplici folio constantes, quorum alterum inferiorem siliquę carinam tegit; alterum supra eius dorsum protenditur in labrum desinens, latum, & superius reflexum: folia ferunt magna ex parte diuisa, coniugatim pediculo adnexa, postremo tamen in quibusdam impari, vt in Fasiolo, Trifoliis, & Ciceri: in aliis capreolus datus est, ex postremo folij pediculo exortus, vt Piso, Vicię: caulis plerisque infirmus adminiculo egens.

CAP. II.

FABA semen est inter legumina maximum, & quò maius, eò magis in longitudinem depressum est; minora autem rotundiora sunt, & modice oblonga: color aliis albicans; aliis niger: rubras quo que fabas vidimus: continentur in siliqua fungusa, vt plurimum ternæ Fabæ, ad summum quinæ, quod rarissimè contingit: caules ab eadem radice fibrosa plures mittit, simplices, & per se stantes, cubitales, quadratos, & concauos: folia alternatim disposita, in duas partes subrotundas, aut quatuor dissecta, carnosa, breui, & inutili capreolo: flores in foliorum alis semper geminos, oblongos, candidos, macula intus nigra. Theophrastus de Faba inquit: pars seminis, vnde principium germinandi

di mentulę effigiem præbet: exit foliis pluribus, rotundis: caulibus pluribus, sine ramis, geniculatis, & inanibus, quasi culmis erectis. Differentias habet colore, & sapore; candida dulcedine præstat. Plinius solam fabam inter legumina vnicaulem tradit, idest sine ramis, vt Theophrastus, & enodem: folio rotundo, & multiplici: in flore eius inesse literas lugubres, ideo quosdam ea non vesci: ex Varrone damnantur, & Pythagorica sententia, vel quia mortuorum animæ sint in ea, vel quia existimatur sensus hebetare, & in somnia facere. esse & sylvestres Fabas in Mauritania. Fabarum farinam Lomentum appellari. Galenus Fabas constare inquit ex substantia fungosa, & flatulenta, quomodocunque preparentur, vi quadam detergendi. Dioscorides solas vires tradit, pretermissa hystoria, tamquam notissima: Adiungit Fabam Ægyptiam in lacubus nascentem, semine Fabis simili, maiore, & nigricante: at non in siliqua, sed in folliculis, quasi vesparum fauis: folio amplo: radice Harundinis, crassiore, quę edatur cocta, & cruda, Colocasiam vocant: de eadem etiam Theophrastus, & Plinius; sed hoc genus adhuc non visum est; quamuis Colocasię nomine alia hodie intelligatur in genere Ari, vt suo loco explicatur.

CAP. III.

PISEOLVS vulgò appellatur semen candidum, & rotundum, in siliqua ferè columnari, breuiori, quam Fabæ: caules fert infirmos, humi procidentes, sed vbi adminicula adepti fuerint, assurgunt clauiculis amplexantes, vltra bicubitalem altitudinem, quo modo & fecundiores redduntur: folia multipartita, rotundiora, & graciliora, quam Fabæ, albidioraque, sed binis ad pediculi nexum latis: flores in longo pediculo binos, latiores, quam Fabæ, colore aliis candido, aliis rubente, aut vario: gratissima omnium leguminum eius grana recentia, ac tenella ante perfectum incrementum, tum cruda, tum cocta, vel per se, vel cum suis tecis, sed cum adoleuere, virus quoddam cum duritie contrahunt, citissimeq; perforantur à vermiculis, qui ipsis innascuntur: extant eius aliquę differentiæ magnitudinis & paruitatis. cui in siliqua pauciora insunt grana, grandiora sunt, & rotundiora. cui plura, eadem minora sunt, & magis farcta. omnium siliquę, quò magis terræ vicinę sunt, magis scabiosæ redduntur, ac veluti leprosæ. Græci numero multitudinis tantum proferunt, Phasiolos, & Phaseolos appellantes, vt Galenus animaduertit; alios à Phaselo: manduntur, inquit, recentes cum suis siliquis, quas lobos appellant, vnde & ipsi Phasioli Lobi, idest siliquæ dicuntur: inueterati non seruantur, propter humiditatem, ideo siccari solere, vt hyeme perdurent, quo modo eumdem vsum præstare,

quem

quem Pisa: eosdem Dolicos appellari testatur apud Theophrastum, Hippocratem, & Dioclem. Theophrastus de Dolicho, Siliquam Theodorus vertit: siliqua, inquit, longa affixeris, ascendet, & frugifera fiet, alioqui eruginosa reddetur: perit celeriter. Dioscorides Phasioli, inquit, inflat, difficilè concoquuntur; sed virides aluum emolliunt, contra vomitiones idonei: in summis foliis capreoli insunt, vt testatur in Isopyro. Plinius Faseolum vocat, cui folia venosa; eius siliquę cum suis granis manduntur: serere licet, qua velis terra ab idibus Octobris in calendas Nouembris: ex his patet Faseolos antiquorum nequaquam esse eos, quos vulgò Fasolos vocamus; nam ęstate seruntur, perficiuntur in Autumno, seruantur optime incorrupti, facillimè coquuntur, sed nostros Piseolos paucis literis mutatis, vt ex descriptione patet.

CAP. IIII.

PISVM peregrinum est in Italia semen, Piseolo nostro paruo in cæteris simile, sed colore viridi etiam cum perfectum est, diuque perdurat incorruptum Piseolus viridis appellatur planta quoque similis: foliis paulo oblongioribus: floribus purpureis. Theophrastus folium tribuit oblongius; caulem humi procidentem; siliquam cylindratam, idest figuræ colunnaris: & semina intus talem figuram sequentia. Plinius eadem confirmat; caules in terra spargi, si non habeant adminiculum: quo modo & deteriora fiunt: folia multiplicia, oblonga: seri in Gręcia mense Nouembri, vt Lentem, locis apricis: nam frigoris impatientissimum est, ideo in Italia non nisi verno tempore, terra facili, ac soluta: semen angulos habet: siliqua cylindracea. Serapio semen describit inquiens; granum paruum esse non absimile Eruo maiori; colore viridi: oculum habens pupilla in albo nigra: plantam vero & siliquam similem Phaseolo. Galenus Pisis substantiam tradit, similem Fabis, minus flatuosam, minus detergentem, & quæ tardius descendat. Dioscorides Pisorum non meminit, vt videatur cum Phasiolis comprehendisse.

CAP. V.

ISOPYRON semen est simile Eruilio, atrum, rotundum, quod, dum viride est, coquitur, vt Piseolus, sed perfectum negligitur; eius planta sponte prouenit inter segetes; caule fermè simplici, cubitali, procumbente in terram, nisi adminicula habuerit: folia fert non diuisa, vt cæteris leguminibus contingit, sed integra, ternum digitorum latitudine, in tres capreolos desinentia: florem in alis foliorum fert, luteum:

siliquam

filiquam Piſcolo tenuiorem. Dioſcorides de Iſopyro inquit; aliqui Phaſiolon appellant; quia folium in ſummo; capreolos fert vt Phaſiolus: capitula inſunt in ſummo caule, tenuia, plena ſeminis, quod Melanthio ſimile guſtu: folium Aniſo ſimile: huius ſemen cum Melicrato potum, ad vitia thoracis, & tuſſim confert, Hepaticis, & ſanguinem excreantibus vtile: hęc Dioſcorides. profecto folium optime quadrat, at ſiliquas tenuia capitula vocauit, ſemina atra quidem ſunt, vt Melanthium, forte & guſtu ſimili, ob quandam acredinem, qua pollent ad pectoris vitia, vt Eruum. Plinius de Iſopyro ſic habet. Iſopyron vocant aliqui Faſeolum; quoniam folium, quod eſt Aniſo ſimile, in pampinos torquetur: capitula ſunt in ſummo caule, tenuia, plena ſeminis Melanthij.

CAP. VI.

ERVILIVM quod vulgò Rubilium vocant, tamquam Piſcolus ſylueſtris eſt: vendunturque eius grana recentia, aliquando pro Piſcolis: deprehendũtur autem, quoniam decoctione ruffeſcunt, & duriores permanent: cum perfecta ſunt, nigra redduntur, ſed decorticata, pallida ſunt: gracilior eorum ſiliqua: folio conſtat bipartito, anguſto, digitali fermè longitudine, medio capreolo, flore purpureo, aut roſeo, qui geminus in longo pediculo eſt: caules fert Piſcolo ſimiles: oritur ſponte inter ſegetes. Quoddam genus in ſylvis naſcitur, pluribus in eodẽ pediculo floribus, roſeis: ſiliquis tenuibus, nigris. Plinius modò Eruilium, modò Eruiliũ vocat: ei folia lõgiora: ſerenda pręcipitur iuxta apũ alueria; quia apes ea maximè delectantur: granũ eius decorticatur, & toſtum pinſitur, vt Lens. Theodorus Eruilium vertit id, quod à Theophraſto Ochros vocatur, quamuis aliquando Ciceram vertat, quaſi putauerit idem eſſe, Eruilium & Ciceram, & Ochrum. de Ochro Theophraſtus inquit; caulis humi procidit: folio conſtat oblongo: ſemen diuturnum eſt; quia plenè id habet, quod putredinem arcere, & tutari poſſit, quippe calidam & ſiccam naturam. Galenus Ochrum comedi teſtatur, maceratum in aqua, donec radices produxerit, ſumptum ante alios cibos ventrem ſubducere, nullam habere qualitatem manifeſtam, ideo in medio poni: Hippocratem citat de Dolichis, & Ochris loquentem, quod celerius ſecedant, quam Piſa, ac minus flatum gignant, & magis nutriant. De Cicera mentio eſt apud Columellam, qui pabuli potius generibus, quam leguminibus eam adnumerari teſtatur; nam bubus datur Erui modo, nec hominibus inutilis, ſapore nihil differens à Cicercula, colore tantum diſcernitur, qui nigro proprior.

CAP. VII.

CICERCVLA semen est altera parte depressum, quasi effigie cunei: cortice leuissimo, albo, aut nigricante, aut vario, in siliqua breui, & lata: planta breuior Eruilio, humi procubens, multis ramis: folia simili modo bipartita, & angusta, breuioraq; : flores purpurascentes: feritur gracili solo: legumen hoc caput tentat, & officit luminibus. Plinius inquit, est & Cicercula minuti Ciceris, inæquales angulos habens, veluti Pisum, dulcissimum autem, quod Eruo simillimum, firmiusque, quod nigrum, & tuffum, quamquod album. Theophrastus Lathyros vocat, vt Theodorus putat Cicerculam vertens: folio, inquit, oblongo constat, non rotundo, vt pleraque legumina: caulis humi procumbit. Galenus de Lathyro inquit; substantia similis est Ochris, & Phaselis, crassiori tamen; ideo magis nutrit. In Asia plurimum vtuntur rustici, non solum, vt in Alexandria Ochris & Phaselis, scilicet aqua macerantes, donec radices emiserint, sed etiam vt phacoptisanam parantes.

CAP. VIII.

QVI vulgò in Etruria Mochi appellantur, seruntur in Alpibus ad pabulum brutorum: planta in totum similis Cicerculæ: tenuioribus foliis: seminibus simili modo angulosis, candicantibus, vel nigris, minoribus, & in sua siliqua magis farctis, asperioribusque: hæc columbis gratissima sunt, vtilissimaq; ad fœtificandum. Dioscorides Orobum vocat: frutex est, inquit, patuus, & tenuis: folio angusto: semina in valuulis fert. Theophrastus inquit: diutissime floret; caulis in latus tendit, vt Lentis: siliquas figura tereti fert, vt Pisum, in quibus semina continentur se inuicem tangentia: durant hæc longo tempore, incorrupta: seruntur & mature & sero: sed si quis vere serat, facilis, gratusque fit, non grauis. differentias habet, & colore, & sapore: candidus dulcedine præstat. Orobus à Theodoro Eruum conuertitur. Plinius de Eruo scribit, non operosam eius esse curam: Martio mense satum noxium esse bubus; item autumno grauedinosum. primo autem vere innoxium fieri satum. Galenus de Orobo inquit, in aqua dulcoratum boues pasci, homines prorsus abstinere, nisi in magna fame: nam insuauissimus, & praui succi est. Medici autem vtuntur præparatis ad modum Lupinorum Orobis cum melle ad crassos humores ex thorace, & pulmone educendos: albi minus medicamentosi sunt, quam flauescentes, aut pallescentes: biscocti & in aqua dulcorati insuauitatem

depo-

deponunt, simul & facultatem abstergentem, & incidentem, relicta terrestri substantia, citra insignem amaritudinem.

CAP. IX.

ARACVS exilis est planta; dodrantis altitudine: foliis Cicerculæ: flores fert luteos; siliquas longiores, tenuiores, rotundas, & nigras, in quibus semina rotunda nigra, & scabra: oritur inter segetes, gracili solo. Theophrastus inquit. Aracus in Lente nascitur: semen scabrum, & durum. Galenus idem testatur: ex Lente inquit degenerat: semen ineptum cibis: alibi inquit. Quod Aracon vocatur in Asia sylvestre quoddam rotundum, ac durum, Eruoq; exilius, in fructibus cerealibus repertum, quod seligentes proiiciunt. Alibi Aracus ab eodem vocatur, semen Lathyro simile, adeo vt multi putarint, ab eo nequaquam genere diuersum esse, quandoquidem & vsus ipsius omnis, & facultas Lathyri facultati similis est: nisi quod Araci duriores sunt, minusque facile elixantur, & ideo concoctu difficiliores.

CAP. X.

LENS semen est in rotunditate depressum, candicans, aut rufescens, valde læue, in siliquis breuibus, & compressis: planta dodrantali altitudine, ramosa: foliis multipartitis, exilibus, oblongis; extremo capreolo flosculos fert candicantes, vel purpurascentes: seritur locis aridis. differunt amplitudine seminis, & exilitate: probatur latum, & candidius: ruffum, & paruum deterius est: elixatur in cibos: perfectum tantum Græci Phacon vocant. Theophrastus eius semen pusillum esse scribit, vnde fertilissimum inter legumina; caulis in latus tendit: siliquas paruas, & læuiter latas fert pro figura seminis. Plinius duo genera esse tradit in Aegypto; rotundius; nigriusque: alterum sua figura, vnde vario vsu translatum in lenticulas nomen: Equanimitatem fieri vescentibus tradunt. Galenus succum melancholicum creare testatur, astringere, & laxare, ideo ventrem perturbare, nisi abiecto primo iure, iterum affusa noua aqua coquantur. Dioscorides oculorum aciem hebetare tradit longo vsu. Arabes decoctum Lentium laudant ad febres pestilentes, quas lenticulares vocant, quia exanthemata in illis erumpentia lenticulas repræsentant.

CAP. XI.

VICIA ſemen eſt nigrum, aut maculoſum, Lente rotundius, in ſiliqua rotunda, prælonga, & nigra: caules vltra cubitum attolluntur adminiculis innixi ſuis capreolis: folia multipartita, vt Lentium foliolis, ſubrotundis: flores oblongos, purpureos, aut in cæruleum vergentes: ſeritur in campeſtribus ad pabulum brutorum, quamuis & ad hominum vſum in fame panibus Triticeis admixta eius farina: differunt ſemina inuicem, craſſitie, rotunditate, amaritudine: amarius, quod tenuius eſt, & rotundius: huius ſiliqua breuior, & aſpera. Plinius inquit Vicia pingueſcunt arua, nec agricolis operoſa: ſeritur Decembri vſque ad Martium: amat ſiccitatem: nec aſpernatur vmbroſa; non ſerenda inter vites; nam langueſcunt. Galenus Vicię ſemina, inquit, figura non rotunda conſtant, vt Fabę, ſed aliquantum depreſſa, & Lentium: reponuntur cum ſiliquis, & tota planta ad pabulum brutorum; per famem etiam hominibus in vſu pręcipue tempore veris, dum recentia ſunt, inſuauia, & concoctu difficilia, aluum aſtringunt, & ſuccum melancholicum gignunt magis, quam Lens.

CAP. XII.

APHACA ſemen eſt in Triticis frequens, longe exilius Vicia, & depreſſius, nitore quodam ſplendens, colore nigro, aut vario, maculis albicantibus: in ſiliqua ruffa, ac depreſſa, longiore quam Lentis, cauliculos fert tenues, & infirmos, cubitales, binis per interualla foliolis nullo pediculo adnexis, ſubrotundis medio vtrinque è lauiculo, & flore luteo. Dioſcorides in aruis naſci tradit, altiorem Lente: foliis tenuibus; ſiliquis Lenticula maioribus, in quibus ſunt ſemina terna vel quaterna nigra, Lente minora, facultate aſtringente. At folia tenuia non videntur prædictæ plantę conuenire, cum ſubrotunda ſint, pollicis latitudine; Lenti autem multò exiliora inſint: verum ſi integrum Lentis folium aſſumatur, diuiſum in multa foliola, profectò longe ſuperabit Aphacæ folium, quamuis in binas tantus partes diuiſum. Theophraſtus Aphacam non inter legumina, ſed inter Cicoracea deſcribit, de qua nos ſuo loco agimus: videtur autem aliquando etiam Aphacam inter legumina recenſere, vt cum inquit, celeriter perit, vt Dolichus: eius ſiliquę æquiter latæ: in Aphacis naſcitur Securidaca: ſero inter legumina ſeritur, ſed in his videtur aliquam ſpeciem Lentis ſignificare; Lens enim celeriter à vermiculis eroditur, ſeriturque inter legumina ad cibum hominum, non iumentorum, vt quam hoc loco deſcripſimus.

com-

comprobat Galenus, qui nasci Securidaeam non in Aphacis scribit, vt Theophrastus, sed in Phacis, idest Lentibus: Aphacam autem tamquam Viciæ affinem tradit ad brutorum pabulum colligi solitam à rusticis. Plinius Aphacem vocat, vt ab altera Aphaca distingueret, quę inter Cicoracea reponitur: huic tenuia admodum inesse folia, inquit; caulem Lenticula pusillo altiorem: siliquas maiores: semina tria, vel quatuor nigriora, madidiora, & minora Lenticula: per madidiora significare videtur lubricum leuorem, qui peculiaris est in Aphacæ seminibus.

CAP. XIII.

IAM explicentur, quæ inter legumina capreolis carent. inter hæc Cicer principem locum tenet: semen propendentibus testiculis simile, in tenuem apicem quasi mentulam desinens, qua parte principium germinandi continetur: cortice rugoso obductum, quasi serotro: color aliis ex candido pallescit: aliis ruffus: aliis niger. continentur duo, ad summum tria in siliqua breui, tumida, & cartilaginosa: seritur æstate, ac citissime perficitur: ramos fert lignosos, cubito breuiores: folia in multas partes diuisa, subrotundas, & serratas, subhirsutas: in singulis foliorum alis singulos fert flosculos candicantes: tota planta virens salsuginem quãdam continet, subacidam in superficie: expetitur in cibis etiam recens, crudus, coctusque. Erebinthon Græci vocant. Theophrastus inquit inter legumina seritur, vtroque tempore mature, & sero, vt grandescat, cum putaminibus madefactum seritur: pars vnde principium germinandi, qua nectitur siliquæ, prominet, & mentulæ speciem gerit: exit foliis multis; caule lignosissimo, qui tendit in latus: radicem omnium leguminum altissimam habet, quæ nonnunquam ex latere mittit: diuturnissime floret; paucissimis diebus perficitur; nam diebus quadraginta post sementem absolui potest: siliqua rotunda, parua, pauca semina continet: differunt colore, & sapore; nam candida dulcedine præstant: differunt & magnitudine, odore, & forma, vt Arietinum & Columbinum: cum floret, nocet pluuia, contra quam in cæteris leguminibus, quia abluta salsugine tabescit radicitus: ruffum, & nigrum, firmius est, quam album. Plinius inquit; Ciceris natura est gigni cum salsugine, ideo solum vrit, arietino capiti simile, vnde sic appellatum album, nigrumque: est & Columbinum, quod alij Venereum vocant: candidum, rotundum, lęue, arietino minus. Aerius & Columella quoddam Orobiçum cognominant, Eruo simile. Galenus tradit, quæ nigra sunt, arietina vocari in Bytinia, quæ & exigua, maiore vi abstergendi, ideo ad renum calculos pollere: omnia Venerem stimulant, & credunt semen gignere, idcirco exhiberi equis admissariis. Dioscorides sati-

uum

uum & sylueſtre tradit: inter ſatiua quoddam arietinum vocari: de sylueſtri inquit, foliis conſtat ſatiuo ſimilibus, odore graui, ſed ſemine diſcrepat. hoc genus videtur ſignificaſſe Theophraſtus cum dixit inter cæteras differentias, quoddam odore differre. & Aetius Orobiçum hoc idem appellaſſe videtur, nam ei vim tradit attractoriam, diſcuſſoriam, incisoriam, & abſterſoriam, lienem, iecur, & renes expurgare, ſcabiem, & impetiginem exterere, parotidas, & teſtes induratos diſcutere, maligna vulcera ſanare: quæ profecto Ciceri ſatiuo per ſe non inſunt, niſi cum Eruo admiſceatur, vt Dioſcorides animaduertit. Eſt autem Cicer sylueſtre, vt exiſtimo, planta in collibus naſcens, cauliculis dodrantalibus, tectis; in quibus folia alioqui Ciceris ſatiui, ſed paucioribus, diuiſuris, ternis ſcilicet foliolis, oblongis, ſimili modo ſerratis, & hirſutis, adiunctis appendicibus ad pediculi nexum: ſpecie Ononis (vnde quidam Ononim lęuem appellant): floſculos fert, & ſiliquas exiliores Cicere, & ſemina in his parua, & rotunda, ſubflaua: tota planta odore conſtat valde medicato, Theriacam imitante, vnde vulgo Theriacaria herba vocatur, laudata ad vermes enecandos.

CAP. XIIII.

PHASELVS, qui vulgò Faſolus appellatur, ſemen eſt candidum, effigie nauiculæ, eiuſdem nominis, ex dorſo ſcilicet recuruum, renis ſimilitudine; eius cor in parte ſima eſt, qua macula quædam nigra pupillę oculi modo continetur: eius ſiliquæ longiſſimæ, rotundę, ac recuruæ, effigie corniculorum: ſeritur æſtate in aruis: perficitur in Autumno. Planta viticulas fert, humi procumbentes, Conuoluuli modo, vicinas plantas circum amplexantes, quamuis capreolis careant: folia in ſingulis pediculis terna, figura Hederæ, in acutum deſinentia: flores pallidos: quamuis autem ſit amplexi caulis, non tamen ei adminicula adhibent, vt Piſeolis: non enim minus frugifera redditur, prętercandidos extant nigri, vel maculoſi, & ſubrubentes: diſtant & craſſitie, ac tenuitate: comeduntur non ſolum perfecti; ſed & recentes crudi, & cum ſuis tecis cocti: Aliud genus peregrinum apud nos ſeritur in hortis opere Topiario, viticulas enim fert longiores adminiculis egentes: ſiliquas breuiores, ſed latas, & falcatas, inſtar ſiliquæ arboris: ſemina grandiora noſtris Phaſelis, ac magis depreſſa, leuioraque, ac nitentia: color aliis ex toto candidus, qui magis probantur in cibis; aliis melleus; aliis maculoſus; aliis lineæ nigræ in candido circumaguntur, Phaſelos Turcicos vocant: hi recentes inſuaues ſunt, perfecti coquuntur in cibis, vt reliqui. Galenus Phaſelum, inquit, alium eſſe à Phaſiolis: comedi in Alexandria maceratum in aqua, donec radices emiſerit, more Fęnigręci,

Ochri,

Ochri, & Lupinorum: substantia mediocri constare: præsumi ante cibos ad aluum molliendam. Paulus comedi etiam inquit integrum cum suis siliquis viride, quemadmodum & Dolichon: genus candidum recipit in compositione quadam adrenes, sed eo loco Phaseolus legitur, non Phaselus: Dioscorides Smilacem hortensem vocat (aliæ enim sunt Smilaces, vt aspera, & læuis, & quædam inter arbores) huic tribuit folia Hederæ, molliora: caules tenues, & viticulas veluti clauiculos in multam longitudinem, vicinas planctas amplexantes, opere Topiario: fructum Fænigręci, longiorem, habitioremque, in quo semina renum similia, non vnius coloris, aliqua ex parte subfulua: recentes siliquę Asparagi modo coctę, cum seminibus vrinam cient, & tumultuosa somnia faciunt; Lobia vocantur, à quibusdam Asparagus. hæc descriptio partim nostrates Faseolos ostendit, prę sertim siliquæ similitudo cum Fænogręco, partim Turcicos vocatos, cum seminis varios colores tradit. Qui autem ab antiquis dicantur Phasioli explicatum est à nobis in Piseolo. sed verbum Lobia æquiuocationem facit; nam apud Dioscoridem fructum Smilacis significat: apud Galenum autem, & Aetium Lobos est Phasiolorum siliqua.

CAP. XV.

FAENVM GRAECVM semen est Phaselo longe gracilius, ac depressius, fermè quadratum, subflauum, odore quodam cum decoquitur medicato, succumque reddens glutinosum, seminis Lini modo. Planta semicubitum non excedit, ramosa: ternis foliolis in singulis pediculis, instar Trifolij pratensis: flosculos fert subcandidos: siliquas corniculis similes, Phaselo breuiores, ac duriores. Galenus in cibis assumi scribit, eodem vsu, quo Lupini esitantur, magis autem aluum subducere; in medicamentis emolliendi, & dolores mitigandi facultate pollere. græce Telis vocatur, ab aliis Buceras, & Aegoceras à bouis, & caprę cornu. Plinius Fænumgręcum à Latinis Siliciam appellari scribit, quę quanto peius tractatur, tanto melius prouenit: seritur scarificatione sulcorum, quatuor digitorum altitudine.

CAP. XVI.

TRIFOLIVM omne à Fęnogręco, & Phaselo, tamquam sylueſtre quoddam, distare videtur; nam omnibus terna sunt in singulis pediculis folia, & semina, aut ad Phaseli, aut ad Fænigręci figuram accedunt, sed exiliora multo: siliquas alia ferunt intortas, veluti cornu arietis, vt Medica; alia cocleæ modo implexas, vt plurima, quæ in

segetibus

segetibus nascuntur, & in incultis; alia rectas, & breues, vt plurimum folliculis florem tegentibus inclusas, vt Trifolium bituminosum, Lagopus, Loti genera, & quædam inter pratensia. Trifolium pratense voco, quod in fęnalibus campis, & inter segetes ad pabulum iumentorum secatur; infirmis caulibus, aut stratis in terram, aut procumbentibus. multæ eius differentiæ, magnitudinis, & paruitatis, tum foliorum, tum caulium, tum fructus. Quibusdam macula est in folio nigra, aut candida lunæ falcatæ figura: folium omnibus subrotundum, aliquando in extremo sinuatum. Grandioribus siliquę insunt in spiras recuruę: flosculus luteus in breui pediculo inter folia: spiræ nunc pauciores, nunc plures, nunc cōpactæ vt figuram Lentis præseferat, nunc solutę; aliis lęues, quæ & latiores sunt; aliis asperæ; aliis in ambitu veluti aculeatę, non tamen pungentes. Quoddam genus in incultis pręcipue marittimis oritur, cuius fructus, Tribuli modo, robustissimis aculeis armatur: hoc humi stratum est, & breuius: foliis minutis, candidisque: semina in omnibus ad renis similitudinem efformata continentur, inuicem distantia. Quoddam genus vidi, cuius siliqua valde lata, ac falcata erat effigie lunę, aut ferri æquini; lanuginosis foliis; humi stratum. Quæ flosculos multos in vno pediculo ferunt, veluti capitulum constituentes, siliquas ferunt breuissimas, & rectas floccis similes: floris color aliis candidus: aliis purpureus; vnum in hoc genere flosculis pallescentibus reperitur, veluti floccis aridis. Quibus flos candidus est, & macula in foliis candida, iis odor quidam inest suauis, nō tamen si naribus admoueatur, sed siquis super herbam deambulet: id quò breuius, eò odoratius est: prouenit iuxta semitas, & in pratis. hoc genus Dioscorides Lotum vrbanam appellat: nasci eam inquit in viridariis, quos Gręci paradisos vocāt: aptissima enim est ad herbosas semitas, atque areas in viridariis parandas; humilis enim herbula, obambulatium pedes non offendit: interim cum pedibus calcatur, suaue quid spirat; valet ad oculorum nubeculas, albugines, atque alia visum obscurantia eius succus cum melle adhibitus, quam facultatem videntur medici à natura edocti in foliis albuginem ostendente, vt in aliis plerisque solet. De aliis Trifolij pratensis generibus Dioscorides propriam mentionem non facit, sed tantum inter attributa, vt in Medica, & Loto sylvestri, & Ononide, quarum folia comparat Trifolio pratensi, aliquando Lotum pratensem vocat. Plinius de Loto Vrbana: Lotum herbam vocans Homero teste inquit, primam nominatam fuisse inter herbas subnascentes Deorum voluptati, non nisi post annum nascitur ex semine suo. Theophrastus Lotum in caule tantum foliatam nasci, non simul ex omnibus seminibus, sed partim anno primo, partim secundo: sed alia multa apud eumdem de Loto habentur, quæ Loto Ægyptiæ conueniunt, aut arbori Loto.

LOTVS

CAP. XVII.

LOTVS sylueſtris vulgò Trifuli, & corrupto vocabulo Tripuli vocatur; prouenit in syluis, & fluminum ripis: caule erecto, bicubitali, multis ramis brachiato: folia fert in ambitu ſerrata, & quę à radice latiora, rubra linea diſcurrente: floſculos luteos, aut candidos, in tenui quadam veluti ſpica diſpoſitos prodeunte ex foliorum alis: ſiliquas breues, & exiles fert: ex floribus vtpote odoratis extrahitur aqua per diſtillationem, quæ per ſe quidem nequaquam grata eſt, at aliis odoratis admixta, valde gratum & perſeuerantem odorem pręſtat. Alterum genus peregrinum apud nos, Trifolium Balſaminum vocant, ob odoris vehementiam, qui ſpirat è ſemine; caule breuiori: foliis ſimilibus: flore non in ſpica, ſed in rotundis capitulis cæruleo: ſemine flauo, odore valde medicato. Quoddam genus latifolium ex Armenia allatum: odore ingrato. Dioſcorides Lotum sylueſtrem Trifolium minus appellari ſcribit, vt ſcilicet differat à Cytiſo, quod Trifolium maius appellatum eſt: conſtat inquit caule bicubitali, ac maiore; alis multis; foliis Loti Trifoliæ pratenſis: ſemine Fænigræci multo minore, guſtu medicato. Theophraſtus hoc genus Loti intellexiſſe videtur, cum recenſet inter odorata, quibus vtuntur ad vnguenta: nam Loti nomen inquit ęquiuocum eſſe, cum genera plura ſint flore, folio, caule, fructuque diſcreta; inter quæ recenſetur & illud, quod Melilotum vocatur, ſic enim legendum puto non Meliaſſitos, quod Theodorus vertit Melfrugum: diuerſa quoque viribus in vſu cibario, & quod nõ eadem loca deſiderent. in his innuit Lotum Aegyptiam, quę in paludibus naſcitur, & in cibos venit, ſemine, ac radice omnino diuerſa à ſupradictis, vſu, & loco, & forma. At Melfrugum apud Plinium ex ſententia Dioclis ipſum Panicum eſt: facilis autem fuit commutatio inter hæc duo verba Melilotos & Meliaſſitos: ſed de Meliloto Græcorum non inter Trifolia, vt puto, quærendum eſt; ideo alibi de illo agemus. Serapio tamen inter Arabes Melilotum aliquam ex his, quas diximus intelligere videtur: inquit enim herbam eſſe foliis rotundis, & virentibus, raris, circa exiles ramulos: ſemen in ſiliquis tenuiſſimis, & rotundis, in quibus rara granula clauduntur, glauci, pallidiue coloris, rotunda, Sinape minora: ex Meliloto autem potiſſimum ſiliquę, & clauſa intus granula in vſu habentur. putauit autem id à Dioſcoride Melilotum vocari colore Croci, odoratum. in hac deſcriptione videtur Serapio intellexiſſe illud Loti genus, quod nos Trifolium Balſaminum appellauimus: eius enim ſemen cum ſiliquis odoratiſſimum eſt, & reliquas conditiones omnino repreſentat. Alibi omne genus Loti, idem Serapio Handacoccam vocat, includens etiam Lotum Aegyptiã, de Loto Aegyptia nos alibi loquimur.

CAP. XVIII.

TRIFOLIVM Bituminosum in marittimis nascitur, gracili solo: foliis initio rotundis, procedente tempore in acutum desinentibus, magnitudine fermè Phaseli: tactu glutinoso: odore medicato: caules fert rectos, subasperos, ac nigricantes, cubitales, ampliorésque: flores purpureos, capitula quædam constituentes, in longis, & rectis ramulis: semina farcta in capitulis, quorum siliquæ breues, hirsutę in cuspidem desinunt foliaceam, vnico intus semine in rotunditate oblongo, sapore medicato: copiosum in Ilua, vbi incolę Dictamum vocant, celebrantes aduersus venena. Dioscorides Triphyllon, & Oxytriphyllon, & Menyanthes, & Aspalthion, & Enicion vocat. frutex supra cubiti altitudinem virgas habet tenues, iunceas, & nigras: folia Loti arboris similia, terna in singulis germinibus, quibus tenellis odor vt Rutæ, cum adoleuerint Bituminis: florem purpureum: semen latum, & quadantenus pilosum, altera parte cornutum, antennę modo: radicem longam, gracilem, & firmam. Scribonius tradit, plurimum in Sicilia, & in portu Lunensi: foliis & specie Trifolij communis, plenioribusque, & lanuginosis, in extremo aculeatis, fruticem esse altitudine duum pedum, altioremque, cui odor grauis. Galenus scribit Trifolium, cum vere parturit, Iacintho simile: quod de flore intelligendum est, & semen agresti Cnico simile, vnde Cniceum vocatum est. Vis plãtę calida, & sicca, vt Bitumen, cui odore est similis, vtrinque tertio ordine: pota laterum dolores ab ostructione ortos iuuat; vrinam & mẽses prouocat, decocta admodũ, deinde morsibus Aranei, vel Viperæ quoq; ex aquę fotu adhibita ipsis medetur, & dolores statim sedat. Sin autem in alio non cõmorso sanum locum eodem fotu circumdederis similem sensum, similesque dolores iis, quo morsus inuehit, omnes efficit, vt re vera miraculo dignum opus videatur, videlicet herbã & morsum sanare, & ferarum modo sanam partem praue afficere. At res minus miranda apud Dioscoridẽ, qui aquam, qua quis venenatum vlcus sanauerit, si alteri applicetur, vim veneficam inferre scribit. Plinius Trifolium inter coronarias recenset, Minyanthes, seu Aspalthion, idest Bituminosum, maiore folio, quo vtuntur coronarij: Alterum acuto Oxytriphyllon Tertium ex omnibus minutissimum. videtur per Oxytriphyllon acidum Trifolium intelligere, quam alibi Oxym vocat, de quo nos alibi egimus: Tertium verò genus pratense fuerit.

LAGO-

CAP. XIX.

LAGOPVS, quasi pes Leporinus, inter Trifolia ostenditur, quæ in segetibus proueniunt ad pabulum iumentorum: caule recto fermè cubitali: foliis oblongis, angustis, lanuginosisque: in cacuminibus ramulorum veluti spicas fert lanuginosas, leporini pedis similitudine, flosculis albicantibus, vel rubentibus, tenuibus, inter furfuraceas membranulas, & exiguis seminibus: extant quædam differentię magnitudinis, & parnitatis: Maiori folia insunt latiora, quam Oleæ, & cętera secundum rationem: Minori valde angusta, & ramuli tenuissimi. Dioscorides non describit, tantum inquit in segetibus oriri, astringentis facultatis; nam in vino pota aluum sistit, aut ex aqua in febre: ad inguinum inflammationes alligatur. Hippocrates Lagopyron vocat furfuribus simile, cũ inaruit: folio paruo, quasi oleagineo, longiore, quod cruentis vulneribus imponitur. Galenus Leporariam herbam vocat, quamuis alibi Lagopum ex Dioscoride.

CAP. XX.

MEDICA seritur in Hispania fęni gratia, viuitque multos annos radice, vt singulis annis demeti sæpius possit, Alfalfam vocãt, frutex est multis ab eadem radice cauliculis, cubitalibus, infirmis, vt procumbant in terram: folia fert parua, ac serrata, initio tamen latiora, vt Loti sylueſtris numerosa: flosculos in foliorum alis spicatos, cæruleos: semina exigua, oblonga, flauescentia in corniculis recuruis, vt cornu arietis, valde exiguis. Dioscorides inquit, cum recenter prodiit Trifolio pratensi similis est, procedens folia angustiora gerit; caules Trifolij: semen Lentis magnitudine, corniculorum modo intortum, quod siccatum iucundi saporis gratia sali condimentario admiscetur, Viride, quibus refrigeratione opus est, illinitur solet. Herba tota pro Gramine vtuntur, qui pecora alunt. Plinius ex Media in Italiam aduectam esse scribit: seri ad pabulum pecorum tanta dote, vt vno satu plus tricenis annis durare credatur.

CAP. XXI.

ONONIS, quam quidam vulgo Bonagam, alij Bulimacam vocant, sola inter suffrutices Trifolios aculeum gerit: A longis & lentis radicibus caules fert semicubitales, lignosos, simplices, frequentibus foliis, oblongis, serratis, & subhirsutis, initio latioribus,

& tactu glutinosis, odoratisque, procedente tempore iis decidentibus, subnascuntur aculei, atque alia foliola angusta per totum caulem, inter quę flores subrubentes, & siliquæ rotundæ, Ciceris modo, tenuiores: floret æstate: passim reperitur, præcipuè tenui solo. Huius radix derasa ex vino albo pota, mirificè vrinam impellit, præcipuum calculosis remedium. Theophrastus Ononim tradit ramis aculeigeram, annuo folio Rutaceo, per totum caulem disposito, ea forma, qua in corollis necti solent comprehensus vndique & floribus & siliquis: in segetibus, & læto solo oritur, agricolis infesta, viuax, extirpatu difficilis, cum radix à latere anno sequenti germinet, & in profundum agat: germinationem incipit æstate: perficitur Autumno. Plinius inquit post ver spinosa fit, antea Fænogręco similis, fruticosior, hirsutior, odore iucundo, ramosa. Dioscorides & Ononim, & Anonim vocat: ramos inquit fert fruticosos, dodrantales, & maiores; frequentibus geniculis; alis multis; capitulis rotundis: foliis Lenticulæ tenuibus, pusillis, ad Rutæ aut Loti pratensis folia accedentibus, subhirsutis, odoratisque: Muria conditur ante quam spinosa fiat, cibis gratissima; rami acutas spinas habent, tamquam spicula firma: radicem albam, quæ excalfacit, & extenuat, cuius cortex in vino vrinam ciet, & calculos frangit: per capitula rotunda ipsas siliquas intelligit: folia autem Lenticulæ, ea, quæ in secunda germinatione oriuntur, accipit, quæ & Rutæ comparantur, quia oblonga sunt, & parua. Loto autem pratensi assimilat ea, quæ latiora sunt, in prima germinatione orta, quæ vere agitur, antequam spinosa fiat.

CAP. XXII.

QVOD vulgò Melilotum appellatur, herbula est ramis multis, circa radicem stratis in orbem; tenuibus foliis. quasi Serpilli, in breui pediculo ternis, adnatis duobus, veluti aliis ad pediculi nexum: flores fert in summis ramulis quinque aut sex in orbem dispositos lutei coloris, aliquando ad croceum vergentis: siliquas oblongas, & tenues, in quibus semina Fænigræci exigua. Tota planta odore caret, saporis insipidi cum quadam astrictione: oritur passim iuxta semitas. Huius flores officinę pro Meliloto antiquorum substituunt, quamuis præter colorem croceum alia nulla qualitas legitimi Meliloti insit, vt loco proprio ostenditur. Alia tamen in sylueſtribus & veteribus ædificiis nascitur, breuior: foliis subhirsutis, candidioribusque: flore veluti in capitulis copioso, odoris exigui, Lotum æmulantis: siliquas fert incuruas. hanc multi legiptimum Melilotum putant. sed hæc forte ad Melilotum Serapionis reduci possit; cõgener enim est cum Loto, cuiusmodi significasse videtur Dioscorides, cum inquit nascitur & in

Cam-

Campania circa Nolam, colore in luteum languescente; odore infirmo. At non inest ea odoris præstantia, vt mereatur inter Sampsucum, & Marum connumerari, vt facit Dioscorides. Nos herbam Sanctæ Mariæ legitimum Melilotum putamus, de quo suo loco patebit.

CAP. XXIII.

GLAVX in asperis nascitur, præcipue marittimis: pluribus ab eadem radice cauliculis, lignosis, subasperis: folia fere sine pediculo, vt vulgare Melilotum, quaterna, aut quina ex eodem exortu, candida, vt Cytisi, sed angustiora, oblongioraque, & magis hirsuta, gustu astringenti: flores in ramulorum cacuminibus congestos, prope folia, ex candido purpurascentes: siliquas rotundas, & breues, rubentes, in aculeum infirmum desinentes. Dioscorides de Glauce inquit: similis est Cytiso, aut Lenticulę foliis, quę superne virent, auersaque candidiora spectantur: ramulis à terra exiliunt, quini, seniue, tenues, ab radice dodrante alti: flores Violæ albæ, purpurei exeunt, minores tamen: nascitur iuxta mare: coquitur cum hordacea farina, sale, & oleo in sorbitione, ad reuocandam extincti lactis vbertatem. Plinius Eugalacton antiquis appellatum scribit, cuius ramuli in terram serpunt, & reliqua ex Dioscoride transcribit: sed loco verbi ἀπὸ γῆς: idest à terra, legit ἐπὶ γῆς, idest in terra: sed prior lectio verior est.

CAP. XXIIII.

POLIGALA in marittimis nascitur similis vulgari Meliloto: latiore folio, molli: flore singulari, in summis ramulis, grandi, pallido: siliquam fert longam, & quadrangulam, exiguis seminibus, gustu astringenti: Dioscorides inquit palmi altitudinem petit; foliis Lenticulę; gustu astricto, quæ pota lactis vbertatem facit, vnde appellatio. Plinius inquit in caule summo foliis constat Lenticulę, & reliqua, vt Dioscorides.

CAP. XXV.

TRAGOS in marittimis nascitur: ramulis multis ab eadem radice procumbentibus in terra, lignosis, tenuibus, dodrãtalibus: foliolis pusillis, nigricantibus: in cacumine flosculos candicantes fert: & fructus Glauci similes, sapore vehementer astricto. Alterum genus in totum grandius, bicubitali altitudine: foliis Glauci, latioribus, vtrique sapor acerbus, tum foliis, tum fructui, qui veluti grana Tritici

acer-

aceruata, & in aculeum infirmum tamen desinunt. Dioscorides hoc nomine vnam numerat inter fruges, de qua alibi dictum est. Alteram, quę & Scorpius vocatur, in marittimis nascens, pusillus frutex, in terram procumbens, oblongus, non magnus, dodrantalis, aut maior: folia autem non habet: in ramis veluti acinos pusillos, ruffos, magnitudine Tritici, acuto cacumine, gustu multum astringente, numerosos. Plinius inquit Herba Trogos, quam aliqui Scorpion vocant, semipede alta, fruticosa; sine foliis: pusillis racemis, rubentibus: grano Tritici, acuto cacumine, & ipsa in marittimis nascens: alibi eamdem Tragion & Scorpionem vocat, veprem sine foliis racemis rubentibus ad medicinæ vsum. Sed quod sine foliis traditur, repugnat prędictæ plantæ. At suspicor hanc condictionem adiectam esse propter ęquiuocationē, cum Scorpio Theophrasti, quam Theodorus Nepam vertit, cui nulla folia, nisi spinæ pro foliis habeātur, vt in Asparago, de qua nos alibi loquimur, quod Plinius significauit, cum de Tragio, idest Trago dixit, veprem esse sine foliis, non enim Tragos spina est, sed hoc Nepæ Theophrasti conuenit.

CAP. XXVI.

LVPINVS, semen est in rotundam latitudinem depressum, colore pallido, sapore amaro: quod tamen aqua calida præmaceratum fuerit, amaritudine dimissa, gratum gustui redditur, vt citra aliā coctionem esitetur: eius planta cubitalis est altitudinis, ramosa, lignosaque, vt Cicer: folia in singulis pediculis, vt plurimum septena, oblonga, stellatim disposita: flos in foliorum alis candicans, aut ad cæruleum vergens: siliqua similis Fabæ, sed grana inuicem magis distant, latiorque est: seritur mense Augusti, ac paulo ante colligitur. aliud genus sponte prouenit in locis harenosis, breuius: foliis angustissimis: siliquis tenuibus: flosculis cæruleis. Dioscorides græce Thermon vocat, satiuum & sylueſtrem. sylueſtres satiuis similes, sed omnino minores eiusdem facultatis. Theophrastus sparsim de Lupino hęc habet, natura sylueſtris est, culturam nullam patitur. semen diuturnius, male tamen prouenit, nisi protinus ab area terræ mandentur, non vult obtui terra, nam etiam si suspensum in herbis procul à terra maneat, germinat tamē, & radicem in terram agit, si sub alta seratur materia, radices obsistentes versus terræ summum præscindunt, valenterque germina edunt: solum arenosum, & vitiosum poscit. Viride nullum animal mandit, quia amarum: semina in siliqua magnopere intersepta continentur, cui parte quadam concaua nectuntur. Plinius circumagi folia cum sole testatur, vnde agricolis horas etiam nubilo demonstrat: ter floret: eo pinguescunt arua, & vineæ: si depastum sit in fronde, inarari protinus solum opus est.

Quod

Quod igitur Theophrastus dixit viride à nullo animali mandi propter amaritudinem, de fructu intelligendum est, nam hodie etiam pro boum pabulo seritur inter Rapas.

CAP. XXVII.

ALIA planta hodie à rusticis Lupinus sylvestris vocatur: oritur prope flumina præcipue in marittimis: caulibus humi repentibus, cubitalibus, circa radicem subrubentem. Folia fert diuisa Lentis modo: foliolis scilicet coniugatim, in pediculo dispositis; colore, & figura Lupini, infernè candicantibus, supernè viridibus: flores in racemulis oblongis, colore sanguineo. siliquas vagina inclusas, tenues, asperas, interseptas, ac depressas, quasi Lentes, inuicem hærentes: ea pinguescunt iumenta, & à morbis curantur. Alia gracilior inasperis, & petrosis nascitur; dodrantalibus cauliculis erectis: foliis ab radice longioribus, nulla ferme diuisura, in caule autem crebris diuisuris, gracilioribusque: flosculos fert veluti in capitulis rubentes; & exiguas, ac breues siliquas folliculis inclusas: radice nititur tenui colore buxeo: his non absimile videtur Helenium Aegyptiũ apud Dioscoridem descriptũ ex sententia Crateuę; Herba inquit est, cubitalibus ramis, Serpilli modo, per humum repentibus: foliis Lenticulæ circa ramos, sed longioribus, crebrisque: radice pallida, digiti minoris crassitudine, per ima tenui, superne crassiori: cortice nigro nascitur in marittimis, & collibus.

CAP. XXVIII.

ASTRAGALOS humi strata, est, similis Helenio Aegyptio: foliis numerosioribus, tenuioribusque: flores similiter sanguineos fert racematim in summis ramulis: siliquas autem corniculis similes, rubentes: radicem crassam, ac lignosam, supernè in multos ramos inuicem implicitos diuisam, vnde germina erumpunt: oritur in marittimis, gracili solo. Dioscorides scribit paruum esse fruticem, humi stratum: foliis, & ramis Ciceris: flore purpureo, parvo: radice rotunda, Rafani modo, grandi, quæ adnatas appendices firmas habet, nigras, præduras, veluti cornua inter se implicatas, gustu astringentes: nasci in uentosis, opacis, & niualibus. Plinius inquit: Astragalus folia habet longa, incisuris multis, obliqua; circa radices caules tres, aut quatuor foliorum plenos: flore Hyacinthi: radices villosas, implicatas, rubras, præduras: nascitur in petrosis, apricis, & niualibus.

LEPORIS

CAP. XXIX.

LEPORIS auricula vulgò appellatur herba multis ramis, humi ſtratis: foliis indiuiſis, prelongis, inſtar Leporinæ auriculę: floſculis luteis in ſummis ramulis vt Securidacæ: ſiliquas fert longas, & tenues, hirſutas, inuicem implicatas: ſeminibus diſtantibus: prouenit læto ſolo. Dioſcorides Clymenum vocat: ei inquit, caulis Fabæ, quadratus: folia Plantaginis: folliculis ſupra caulem inflexis inuicem vt Polyporum Cirri: probatiſſimum eſt è montibus: celebratur ſuccus ad ſanguinem ſiſtendum. Plinius Clymenum à rege quodam appellatum ſcribit: vnum quidem foliis Hederæ, ramoſum, articulis prę cinctum, graui odore, ſeminibus Hederæ. His intelligit quam alibi Periclymenum vocari diximus. Alterum Græcorum ſententia, Plantagini ſimile, caule quadrato, folliculis inflexis, vt Polyporum Cirri.

CAP. XXX.

SECVRIDACA ſemen eſt apud nos peregrinum, omnium amariſſimum, vt ſi vel minimum eius deguſtetur, ingens amaritudo ſentiatur, depreſſum eſt quadrangula figura, ancipitem ſecurim præſeferens, colore rubro; extat & pallidum. Planta ſimilis Viciæ; frequentibus ramis, humi procumbentibus; foliis frequentioribus, læuibus: flores fert luteos, in longo pediculo plures, in orbem diſpoſitos: ſiliquas digitales, depreſſas, & aduncas: Dioſcorides Hedyſaron, & Pelecinon vocat: fruticem in ſegetibus, & Hordeis naſcentem: foliis Ciceris: ſemine ruſſo in ſiliquis aduncis corniculorum modo, quod ancipitem ſecurim æmulatur, vnde nomen, amaro: expetitur in Antidotis, ſpem concipiendi adimit, ſubiectum cum melle ante coitum. Apud Theophraſtum Theodorus Securinã vocat ſecuri ſimilem: naſcitur in Aphacis, & necat. Plinius inquit Lentem ea ſtrangulari. Galenus quoque Lentem in Securidacam degenerare teſtatur.

CAP. XXXI.

ALTERVM genus Securidacę apud nos oritur in ſyluis grandioribus; ramis tenuioribus; ſiliquis inſtar Meliloti vulgaris, ſemina intus habet oblonga, ſubalbida: floſculos ſimili modo in orbem diſpoſitos, albos, aut ſubrubentes.

CAP. XXXII.

AD Securidacam reduci posset & ea, quam vulgò vocant Sferracauallo, ab aliis Lunaria: oritur in montibus, in totum minor Securidaca: foliolis figura cordis: flosculos fert singulares, luteos: siliquas depressas, alternatim sinuatas, in quibus semina effigie Lunæ falcatæ, aut ferri æquini, vnde nomen. Chimici hanc in archanis habent ad coagulationes argenti viui, quamuis & aliq Lunariq ad eumdem effectum celebrentur.

CAP. XXXIII.

QVAEDAM gracili solo nascitur, tenuibus ramulis, dodrantalibus, sparsis: foliolis candicantibus, Lente minoribus: flosculis luteis, aduncis, vt vulgare Melilotum: quidam Athyllidem primam putant: at sapor non inest salsus.

CAP. XXXIIII.

CAPRAGO vulgò appellatur, alibi Gralega, in Hetruria Auanote, frequens est in aruis frugiferis; ramis cubitalibus, firmis: foliis Viciæ, multo longioribus, læuibus: flores fert racematim, cęruleos, vel purpureos: siliquas nigras, Vicia breuiores: floret ęstate: perficitur autumno. eius succo tumentes ob venenum boues sanant infuso in os. Quidam aquam distillatam in peste exhibent.

CAP. XXXV.

ONOBRYCHIS in montibus riguis nascitur, similis Capragini, breuior: flore rubente, corallij modo: siliquas nigras fert, longas, vt Vicia. Altera latioribus foliis constat, rarioribusq; flore purpureo: siliquis similibus. Dioscorides folia ei tribuit Lentis, longiora paulo: caulem dodrantalem: florem puniceum: radicem parum: in vliginosis, & incultis. Plinius circa fontes eodē modo describit.

CAP. XXXVI.

SENA nostràs frequens est in agro Pistoriensi, seriturque in quibusdam Florentiæ locis: caule constat cubitali: foliis latioribus Sena Orientali: gustu glutinoso: flores fert luteos: siliquas com-

pressas, & falcatas, angustiores Orientali, linea vtrinque per medium inæqualiter extuberante; seminibus nigris, compressis, figura cordis: vtuntur hac Medici loco Senæ Orientalis, sed longe inefficacior est ad purgandos atros humores.

CAP. XXXVII.

TELEPHIVM vulgò, à nostris herba Amoris vocatur, herbula præcipue in vineis nascens, candicans: tenuibus ab radice cauliculis, ramosis, in quibus rara insunt folia, indiuisa, rotunda, læuia, & pulposa, breui pediculo adnexa, binis appendicibus, veluti foliolis adiunctis: flosculos fert luteos in summis ramulis: & siliquas Meliloto vulgari similes, ob quarum similitudinem cum cauda scorpionis, à quibusdam Scorpioides censetur: huius folium cum saliua applicatum cutim rubificat, aliquando & pustulas excitat: vnde nunc vsus puellaris in amore explorando: si enim cutem rubefacit tantum, amoris putatur indicium: si pustulas excitat, odij hunc vsum antiqui poetæ Telephio tradiderunt, vt apud Theocritum, ob id Philthron quoque appellata est. Dioscorides Telephium, Portulacam quoque sylueſtrem vocari tradit; nam Portulacæ similis caule, & foliis, alas binas in singulis geniculis habet: ramuli insunt à radice seni, & septeni: foliis cæruleis, crassis, lentis, carnosis: flore luteo, aut candido: oritur in incultis, maxime inter Vites. facultas inest detergendi & siccandi; nam senis horis illita folia sanant vitiliginem albam. Plinius eadem ex Dioscoride habet. Quoddam genus fruticosum peregrinum apud nos cauliculis multis, lignosis: foliis diuisis, vt Securidacæ, sed crassis Portulacæ modò & candicantibus, binis appendicibus rotundis, vt alterum, sapore magis astringente, & vrente linguam: flores plures in vno pediculo, vt Meliloti vulgaris lutei & siliquæ tenues caudam Scorpionum imitantes.

CAP. XXXVIII.

QVAEDAM in incultis, & saxosis nascitur, ramulis humi stratis, palmi longitudine: foliis frequentibus, subrotundis, indiuisis, hirsutisque, inter quæ flosculi sunt lutei, & folliculi tumidi, veluti vtriculi; in quibus siliqua clauditur breuis, interseptaro tundis seminibus.

CORO-

CAP. XXXIX.

CORONEOLA, seu Corneola vulgò ab infectoribus lanarum appellatur, suffrutex lignosus, cubito breuior; rectis ramulis, striatis: foliis simplicibus, figura Lini, latioribus: copioso flore, luteo, simili Genistæ, sed tenuiori; siliquas fert exiles: oritur in sylluis, eo inficiunt colore luteo, vnde non immerito Lutea herba dici possit apud Plinium, qua tingebatur Chrysocolla, vt linum, & lana.

CAP. XL.

ALIVS suffrutex Coroneolę similis, altior: ramulis obsequiosis, lanuginosisque, qui anno secundo aculeis rectis armantur, quibus alij à latere insunt aculei, vt in ea, quam spinam Christi vocant: folia fert Polygoni: flores Genistæ, minutos: siliquas breues, & latas Lentis modo, in quibus pauca semina continentur. Tota plãta sapore austero, & glutinoso predita est cum modica amaritudine: nascitur in incultis, & humectis. Videtur hæc apud Dioscoridem esse alterum Acacię genus, quod in Cappadocia & Ponto nascitur Aegyptię spinæ simile, tenerius, humile, infirmius, cruciformi aculeorum implexum vallatum; foliis Rutæ: semine Lenticulæ minori, in folliculis coniugatis ternum aut quaternum capacibus in autumno, succo astringenti.

CAP. XLI.

GLYCYRIZA, quasi dulcis radix, vulgò autem corrupte Liquiritia, suffrutex est, cuius radix succo dulci prędita est; commaducatur enim, vt succus deuoretur, reliquum expuatur, quod fibrosum est, sunt prełongæ radices, digiti crassitudine, sarmentosæ, intus flauescentes, serpunt in terra, virgas ferentes multas, bicubitales, lignosas, annuas tamen: folia in longo pediculo coniugatim disposita, subrotunda, vt Rhus, tactu glutinosa: ex alis foliorum racemulus exit flore purpureo, siliquis breuibus: nascitur in Apulia monte Gargano: seritur apud nos in hortis admodum viuax. Dioscorides fruticulum inquit esse, qui virgas fert bicubitales, & folia circa eas frequentia, Lentisco similia, pinguia, tactu glutinosa: florem Hyacintho similem. fructum Platani pilularum magnitudine, asperiorem, in quo siliquę, vt Lentis, fuluæ, prælongæ, radices prolixas Buxei coloris, vt Gentianę sub astrigentes, dulces: hæ succum reddunt, vt lycium, qui linguę subditus, vt liquescat, vtilis est asperæ arteriæ, & quæ sequuntur. Theophrastus

Scyticam vocat: est inquit radix dulcis: nascitur apud Meotim: vtilis ad anhelitus, & ad tussim siccam, & sthoracis vitiis; vlceribus quoque prodest ex melle. sitim extinguit, si teneatur in ore; ideo ea Scythas tolerare sitim vndecim & duodecim dies affirmant. Plinius, famem quoque ea sedari, eademque scribit, quæ Dioscorides, eo excepto, quod folia Echinata tribuit, numerans inter spinosas pro Schino, idest Lentisco, Echinum legens.

CAP. XLII.

ALTERVM est simplicis vasculi genus, cui seminis sedes in medio est, circa quam semina distributa sunt extrinsecus protegente vasculo, vt Lychnide, Onagra, Chelidonio maiori. Horum semina longe magis numerosa sunt, & minora, quam in leguminibus; quia in illis simplicior est seminis sedes in siliquæ dorso, & tota cauitas seminibus data est: in his seminis sedes multam partem cauitatis replet, & vndique abiuncta est à vasculo, vt in Lychnide: in quibusdam hæret duobus lateribus, vt in Papauere corniculato. Incipiamus autem ab iis, quæ cum Lychnide magis conueniunt. Horum vascula veluti capitula subrotunda, cum arescunt, dehiscunt in multas rimulas, & plerumque osculo quodam semen effundunt, recuruatis in summo, veluti denticulis: flores ferunt ex plurimis foliis constantes ad minus quinque, ex sede fructus enascentes, alio extrinsecus folliculo florem protegente: folia omnibus indiuisa sunt, & gemina in singulis geniculis, nulla in cibis assumuntur ab hominibus.

CAP. XLIII.

LYCNIS Coronaria flos est paruæ Rosæ similis, ex quinque tantum foliis constans, colore rubenti, aut albo, eius planta cubitalis, candida, & molli lanugine obducta est; ramulis rectis; paucis foliis, oblongis, similibus Cynoglossæ, angustioribus: calyces in cacuminibus fert Rosæ similes, striatos, in quibus semina ex russo nigrescunt: colitur in hortis inter coronarios flores, quamuis odore nullo constet. Dioscorides ei tradit florem albæ violæ, purpureum, quo corollæ factitantur. Plinius Lychnin flammeam, & Rosam græcam vocat, non nisi in humidis nascentem; numquam excedere quinque folia, Violæ magnitudine, odore nullo, inter flores æstiuos. Apud Theophrastum Theodorus Lucernulam vertit, inter flores æstiuos & coronarios. Quamuis autem à nemine planta describatur: ex nomine tamen coniicere licet, quæ hic descripta est, Lychnim esse; quia eius folia tomentosa,

mentosa, lucernarum luminibus sunt apta, vt etiam illa, quæ inter Verbasci genera dicta est, Lychnitis. Alia sponte oritur in aruis inter Triticum vltra cubitalem altitudinem, recta; foliis angustioribus, nigrioribus: calyce in longiores barbulas desinente: flore simili magis purpurascente: semine atro, vt Gith, ideo quidam Gittonem vocant. Hæc Lycnis syluestris dici possit, ob maximam affinitatem; quamuis hæc quoque non describatur à Dioscoride; tradit enim in omnibus vrbanæ similem.

CAP. XLIIII.

ALIAE sunt plantæ forte antiquis Lychnides appellatæ: floribus in summo caule congestis, vmbellæ modo, tenuioribus, venustis, quorum alij coccineo colore splendent, ex quinis foliolis constantes, in extremo sinuatis, vulgò Oculum Christi vocant: allatus hic flos ex Creta, caules fert multos, & simplices, crassos: frequentibus foliis figura nostræ Lychnidis Vrbanæ, colore virenti, subhirsutis: calyces fert tenues, & oblongos: Alij ex puniceo purpurascentes videntur nostræ Lychnidi similiores; ei folia sunt lęuia, ac mollia. Tertium genus est in totum exilius: flosculis Centauri minoris: oritur in montibus: ex eo autem hos flores Lychnides appellatas coniicio; quia Dioscorides Centauri minoris florem Lychnidi similem tradit.

CAP. XLV.

FLOS Gariofilus, quam alij Violam Damascenam vocant, peregrinus quondam in Italia, nunc familiarissimus inter flores altiles principem locum tenet: incuruis ramis, crassis geniculis: foliis Porraceis, breuioribus, crassis, & in caule deorsum incuruatis: radice superius ramosa, flexuosaque, alba, apta ad propagandum auulsione: calyces in summis ramis fert longos, ac læues, florem tegentes, è quibus erumpit flos proximo Rosarum amplitudine: foliis constãs in extremo, tenuiter laciniatis, eisque numerosis; adeo vt aliquando abrumpatur calyx, medio stamine capreoli modo intorto: color plurimis rubentis Rosæ, aliis magis saturatæ purpuræ, atque hi nobiliores habentur; aliis candidior modico rubore aspersus; aliquando guttis sanguineis maculatus: odor suauis, qualis in Aromate Gariophyllo: floret in æstate post Rosam diuturne: sunt, qui per totam hyemem floreant ob quandam in cultu diligentiam: Intra floris calycem vasculum est paruum, rotundum, nigro semine plenum, quod satum aut nõ prouenit, aut degenerat in syluestrem. Syluestris in totum tenuior, sine odore: oritur in montibus,

tibus,& pratis,& ædificiis, colore tantum commendabilis, rectis cauliculis: eius quoque multæ differentię; magnitudinis & paruitatis: distant & numero foliorum, & colore; nam & rubentes, & purpurei, maculosi, & albidi reperiuntur ex paruis foliis constantes: Alij præterea sunt inter candicantes, roseo colore, numeroso folio, calyce breui, veluti capitulum constituente, quod genus colitur à matronis peregrinũ: extat & minimi floris, qui vix erumpat è suo calyculo, sed coloris saturatæ purpuræ. Apud antiquos de domestico nullam video factam mentionem: sylueſtrem autem forte intellexit Theophrastus per Iouis florem, qui græce Diosanthos vocatur inter suffrutices coronarios, cuius flos tantum in vsu coronarum, sine odore; prouenit semine, nam & ipsa, & radix lignosa: æstate floret. Plinius inquit, colore tantum placet Iouis flos, odor abest. Sunt qui hanc herbam Tunisi à recentioribus medicis celebratam aduersus pestem, & venena esse putent; idcirco huic miras eius herbæ vires tribuunt, Betonicam alteram apud Dioscoridem putantes, vnde Tunica appellata est dempta prima syllaba. de hac Betonica inquit Dioscorides: nascitur in fenariis campis, locis montosis, puris, & placidis, apud virgulta, animas hominum & corpora tuetur à maleficiis, & piaculis omnibus ac periculis, contra peregrinationes noctur nas, itinera insidiosa, difficiles somnos, in totumque per omnem medicinam ante cunctas celebratissima est. habet radicem totam rubram, & odoratam, folia Porracea, in medio puniceum quid, & in recto calamo triangula, in cacuminibus flores in purpuram inclinatos, recens de trita vulneribus capitis imponitur ad dolorem leuandum; conglutinat, & ossa fracta extrahit, quod singulis diebus fit, donec sanentur: feruefacta in aqua dolores capitis sanat, si ea irrigetur, & cum Bitumine temporibus inungatur: radix quoque suffita idem præstat. Hæc Betonicæ enarratio à recentioribus tamquam spuria deleta est: Nam Antonius Musa medicus, qui libellum de Betonica conscripsit, in vnam plantam coniungit, quæ in vtraq; mentione apud Dioscoridem leguntur. Idem apud Serapionem legere licet, qui vires vtrique attributas vni Bettonicę, quę Cestron à Dioscoride vocatur, ascribit; sed quoniam antiqua hæc descriptio tum plantæ figuram longe diuersam à vulgari Betonica, tum vires ostendit, profectò non inepte, vt quibusdam doctis viris placere video, Gariophyllo flori quadrare possit, quamuis radix omnium non rubescat neque odorata sit; nam in genere sylueſtri quamdam vidimus subrubente radice, nec sine odore, omniũ folia porracea. puniceum autẽ est quid in medio foliorum interpretatur Hermolaus, stamina; hęc autem aptius quadrare possint flori; hic enim stamina punicea in medio foliorũ continet, vt transposita sit hæc particula: si vero in foliis porraceis puniceum quid inest, id non specie staminis est, sed tota pars folij punicea

in

in exortu antequam caulescat planta, ideo in medio foliorum puniceum quid inest, triangula vero dicuntur folia; quoniam dorso acuto discurrente triquetram figuram ostendunt, vt Porri folia, recentiores medic inter quos est Arnaldus Villanouensis herbam Tunicam extollunt aduersus pestem & venena: huius gratia ex floribus domestici Gariofilli conseruam efficiunt, radicis quoque farinam exhibent: arcet enim pestis contagia; totius quoque herbæ puluis bibitur cum vino albo aduersus toxica, & serpentum ictus, ac scorpionum: discutit horrores quartanę, & reliquarum febrium: comitialibus opitulatur; partum accelerat: ebrietatem arcet pręsumpta: imponitur vulneribus neruorum, & morsui canis rabidi: extrahit enim virus: inspergitur carcinomatis, & eius succo abluuntur. priuatim genus sylvestre calculum frangit, & educit, vt hinc coniicere liceat hanc apud Galenum intelligi libro quinto de sanitate tuenda, cum ad calculosos aliquid Betonicæ, & Cestri qui in Galliis nascitur, immiscendum præcipit in vino: vocant autem inquit herbam eam Sarxiphagon. in his verbis significat aliam plantam esse, Betonicam & Cestrum Gallicum: vt vtręque nomine Cestri & Betonicæ intelligantur apud diuersos autores: & hodie Galeni exemplo sunt, qui florem Gariofillum inter Saxifragias numerant, vt notat Hermolaus.

CAP. XLVI.

SAXIFRAGA Pisis nascitur locis præruptis, non nisi in saxorum crepidinibus; tenuissimis, ac iunceis ramis, vltra dodrante ferme, sine foliis, sed per longa interualla binis veluti apicibus angustis: cacuminibus insident flosculi, valde exiles, purpurei, & non nulli iuxta alas, in totum Gariofillo sylvestri similis est, sed in omnibus longe exilior: radix subrubens, aut flauescens. Quædam in vmbrosis parietibus nascitur, breuior: frequentioribus geniculis: foliolis angustissimis: flosculis candicantibus. priorem illam Hermolaus Barbarus depictam in vetusto codice Dioscoridis vidisse se testatur nomine Saxifragæ, non plus foliis, quam cirris minutis per ramos ex interuallo conditis, nec frequentioribus: in cacuminibus surculorum flocci ceu arentes potius, quam flosculi, subrubida radice non sine fibris. Alteram similem Romæ ostendi in maritimis, ac montosis tantum; non rubida radice, sed candida: flosculis quoque candidis. Dioscorides Sarxiphagon inquit: alij Saxiphragon, alij Empetron. Romani Saxifragam vocant, frutex est surculosus, in saxo, & asperis nascens, similis Epithymo, (quidã codices legũt, Tymo, in aliis spatiolũ est inane, vt notat Hermolaus) in vino cocta prodest habentibus febres, & ad strangias, & singultus, calculos vesicæ frangendos, vrinas trahendas. Hæc

Dio-

Dioſcorides. Huic profecto conuenit Epithymi ſimilitudo, ob ſurculorum tenuitatem, ferme ſine foliis: foliola autem non valde recedunt à foliis Thymi, niſi quod exiliora multo ſunt; quamquam ea, quæ ab radice exeunt, priuſquam cauleſcat, quodammodo folia Tritici æmulentur, figura, non magnitudine. Plinius aliam oſtendit Saxifragam in genere Adianti, vt ſuo loco patebit: & recentiores multas alias plantas ab effectu Saxifragias vocant.

CAP. XLVII.

OCYMOIDES maior, paſſim in ruderibus naſcitur; incuruis ramis, cubitalibus, altioribuſque hirſutis, in quibus folia Ocymi latifolij, hirſuta, inſtar Anchuſę: flores fert in ſummis ramulis candidos, Leucoio ſimiles, aliquando ſubrubentes: Vaſcula cytinis Mali Punici ſimilia chartilaginea, in quibus ſemina Hyoſcyami albidiora. Alterum genus paruum in aſperis, & ſaxoſis naſcitur, fruticoſius, humi ſtratum: ramulis frequentibus, dodrantalibus, ſubrubentibus, hirſutis: foliola fert paruo Ocymo ſimilia, hirſuta: floſculos rubentes, numeroſos, aſpectu pulchros, at ſine odore: tenuia vaſcula, in quibus ſemina nigra, vt Nigellæ. Dioſcorides deſcribit foliis Ocymi; ramis dodrantalibus, hirſutis; ſiliquis Hyoſcyaſmo ſimilibus: ſemine nigro, vt Nigellæ plenis: radice tenui: eius ſemen in vino potum viperarum morſibus, & cæterorum ſerpentum auxiliatur. Dubium eſt an Plinius Ocymoidē intellexerit, cum Ocymum ſylueſtre appellat; an potius Acinum, quod & Ocymaſtrum à Dioſcoride appellatur. Nam certe inter Echy ſpecies, eam, quæ Pulegio ſimilis traditur, ab eodem Ocymoidem paruum eſſe, aſſerere poſſumus. Nicander quoque, & Numenius duo ſimiliter Echy genera ſcribunt, quorum alter Ocymoides appellatur: alterum Alcibium, de quo nos inter Anchuſas. Dioſcorides quoque ſtatim poſt Echium de Ocymoide agit, cuius deſcriptio magis generi paruo conuenit.

CAP. XLVIII.

SAPONARIA vulgò appellatur in harenoſis naſcens, pluribus ab eadem radice caulibus, rectis, duorum dodrantum altitudine, frequentibus: foliis ęquibus, figura Ocymoidis maioris, inſtar Plantaginis neruatis: in cacumine flores fert congeſtos, quaſi in vmbella, ſubrubentes, & vaſcula oblonga: radiculas ſumma tellure, hęc Saponis vicem pręſtat ad pannos purgandos: altera fruticoſior ex Sicilia anguſtioribus foliis, quaſi Oleę; lato ceſpite: floribus diſtantibus. non deſunt

qui

qui hanc ad Struthium pertinere putant, quæ & herba Lanaria dicta est, ob effectum. certe folia Oleæ, vt tradit Plinius, secundæ hic descriptæ conueniunt, & radix Polemoniæ, vt tradit Dioscorides: nam in hoc genere continetur. At quia Theophrastus herbam Lanariam inter Acanacea reponit, quamuis semimis conceptus nõ sit spinosus, non licet eam in hoc genere ponere; sed forte apud eumdem alia fuerit à Struthio Struthos; nam Struthium inter flores coronarios recenset, & acanacea: de Strutho autem inquit, quo splendorem linteis tribuunt: folium Papaueris Herculani ferre, innuens ex illa adiectione aliud intelligi ab eo, quod inter flores coronarios recensetur. Dioscorides quamuis Struthium non descripserit, tamquam rem notissimam; foliorum tamen similitudinem indicauit in Papauere spumeo, idest Herculano, vt Theophrastus vocat, & in Phyteumate: eius radicem ad lanas purgandas assumi ab infectoribus, acrem esse, vrinam impellere, & inter alias multas facultates sternutamenta mouere, & pituitam ad os trahere, idcirco Arabis sæpe sternutatoriis immiscent, appellantes Condisi. Plinius radiculam vocari tradit, cui succus inest lauandis lanis mirum in modum conferens, candore, & mollitia: æque nascitur satiua vbique, sed sponte præcipua in Asia, Syriaque, saxosis, & asperis locis, trans Euphratem tamen laudatissima, caule ferulaceo tenui, & ipso cibis indigenum expetito, & tingenti, quicquid sit cum quo decoquatur; folio Oleæ, Struthion Græci vocant: floret æstate, grata aspectu, verum sine odore, spinosa, & caule lanuginoso: semen ei nullum: radix magna, quę conciditur, ad quem dictum est vsum: sed quæ de flore dicuntur, & spinis, & lanugine, ex Struthio Theophrasti desumpta sunt, de quo nos inter Acanacea dicemus.

CAP. XLIX.

NISEAGO vulgò vocatur herba: cuius rami visco obducti sũt, adeo vt paruæ Muscæ hærentes retineantur: caules fert rectos, & tenues, cubito altiores: paucis foliis, subhirsutis, forma fere oliuari: radicem candidam, Rafano similem: flores candidos, aut rubentes, Saponaria tenuiores. Quędam racematim tamquam in spica fert, longe exiliores, subpallidos; vascula tenuia: oriuntur in aridis, & præcipue marittimis. Dioscorides inter genera Papaueris syluestris Aphrodem idest spumeum cognominari inquit, ab aliis Heraclion: caule dodrantali: foliis inter cætera Papauera, valde paruis, Struthio similibus: fructu iuxta ea candido: tota herba candida est, & spumea: radix tenuis, & summa tellure: colligitur æstate: fructus, cum perfecte adoleuerit, siccatusque deciderit, qui acetabuli mensura cum aqua mulsa per vomitum purgat: subuenit priuatim comitialibus. Hæc descri-

ptio prædictę plantæ conuenire possit, si Spumea, ob viscum inhęrens appellata sit, nec abhorreret, siquis Saponariam Spumeum Papauer diceret, quia tota herba fricata, spumam candidam reddit, vt sapo: Viscaginem autem Struthium assereret, nam radix descriptioni vtriusque magis congruet. Theophrastus veluti æquiuocum quoddam inter Papauera sylueſtria inquit: Papauer Herculanum folio constare Struthij, quo splendorem linteis tribuunt; radice in summa tellure eunte; fructu albo: huius radix purgare superius nata est: non desunt qui ad comitialem morbum ea vtuntur in vino mulso. Plinius in sylueſtribus Papaueris generibus inquit est Heraclion, vocatur ab aliis Aphron: foliis (si procul intuearis) speciem Passerum præsentantibus: radice in summo terræ eunte; semine spumeo: ex hoc lina splendorem trahunt æstate: tunditur in pila comitialibus morbis acetabuli mensura: semen in vino albo, vomitiones enim facit. Plinius hîc verbum in Theophrasto Struthon, Passerem interpretatus est, non herbam: & illam adiunctionem, Quo splendorem linteis tribuunt, non Strutho tribuit, sed folio Papaueris Herculani. Quæ sententia non videtur præter rationem in Saponaria: eius enim folia alis expansis Passeri assimilantur, & tusa splendorem linteis tribuunt: quem vsum Struthij tantum radix præstat. Dictum autem est Struthium quasi Passerculus.

CAP. L.

POLEMONIA, cuius radice grandi, & candida vtuntur officinæ pro Been albo Arabum; oritur gracili solo, frequens in vineis: multos ab eadem radice cauliculos gerit, incuruos, cubitales, læues: folia lęuia, subcandida, Gariofilo breuiora, latioraque: flosculos candidos in tumidis & candicantibus calycibus, veluti vesiculis inclinatis, intus capitulum continetur rotundum, plenum semine nigricante. Altera peregrina apud nos semine ex Sicilia allato, cauliculos fert hirsutos; ramis in diuersa tendentibus, infirmis, & procumbentibus ad terram: folia Ocymoidi maiori similia, & simili modo hirsuta, sed in ramulis longe minora: flosculos, & vesiculas priori similes, quibus decidentibus capitula ostenduntur nigra, & rotunda veluti baccæ pendentes, in quibus semina atra continentur, ob lęuorem splendentia: Dioscorides Polemoniam describit ramulis exilibus, ac patulis: folio Rutæ, paulo maiore, longioreque ad similitudinem Polygoni, aut Nepitæ: cacuminibus corymbi dependent nigro semine: radice cubitali, albicante, Struthio simili: oritur in montibus, & asperis. Hæc descriptio vtrasque prędictas innuit: nam folia in ramis Nepitæ similia, secundæ conueniunt: similitudo autem Rutę priori magis; sed folia ramulorum accipiuntur, quæ longe exiliora sunt in vtraque.

CAP. LI.

RAPVM syluestre dicta est quędam in hoc genere, similis Polemoniæ lęui, sed caule erecto, foliis latioribus, ramulos in summo spargit, vascula continens striata, ex quibus exit flosculus subrubens, intra capitulum carthilagineum continetur rotundum, in quo semina nigra Rapo similia: radice nititur tenui, oritur in aruis gracili solo. Quamuis hæc nulla ex parte in genere Raporum contineatur, quia tamen semina omnino Rapi videntur, forte Dioscorides syluestre Rapum appellat; folia inquit fert læuia, digitalis latitudinis, aut ampliora: fructum in siliquis calyculatis, quibus ablatis alia intus est siliqua, veluti capitulum, in quo parua semina foris nigra, intus alba continentur, vtilia ad cutim detergendam: in segetibus nascitur, cubitali altitudine, in summo multis ramis constans, læuis. Totius quidem plantę descriptio etiam in genere Raporum reperitur, excepta siliqua; nullam enim in eo genere adhuc vidimus, quę siliquam alia inclusam siliqua ferret, vt in hoc genere contingit.

CAP. LII.

ODONTIDES, quasi denticulata, in pratis nascitur, & humecto solo: cauliculo dodrantali, recto, paucis ramis, hirsuto: foliola fert Ocymoidis, parua, vascula oblonga, figura grani Hordei, ex vno caulis latere prodeuntia, instar dentium: flosculos purpureos: radicem exiguam. Plinius eo nomine appellat inter fæni genera, nascentem in pratis, cauliculis densis, ab eadem radice geniculatis, triangulis, nigris: in geniculis folia parua habet, longiora tamen, quam Polygonum; semen in alis Hordeo simile: florem purpureũ, & pusillũ.

CAP. LIII.

CENTVNCVLVS hodie in quibusdam Etruriæ locis vocatur, aliis Centone, & Morsus gallinæ; qui à gallinis, præsertim earum pullis, & anseribus expetitur; tenella, & mollis herbula passim in ruderibus nascens, præcipue vmbrosis, cauliculis tenuibus, humi repentibus: foliolis Parietariæ, exilioribus, leuioribusque: flosculos exiles fert, candidos, longo pediculo pendentes: ex foliorum alis & parua granula, in quibus semina flaua continentur. Huius plures vidimus differentias, magnitudine & paruitate; nam quædam viticulas fert cubitales, & ampliores, & folia proportione longiora, initio læuia,

circa summos caules hirsuta. Quędam minutissima : cauliculis vt instar filamenti : foliolis valde paruis. Multæ aliæ media magnitudine spectantur. Quoddam genus extat, hirsutum : recto cauliculo. omnium sapor insipidus, & subastringens. Quamquam his multum conueniat Alsinæ descriptio apud Dioscoridem, neque tamen abhorret Centunculi appellatio apud Pliniū : in Italia, inquit, Centunculus vocatur, quam Græci Clematidem vocant : rostratis foliis, ad similitudinem capitis penularum : iacens in aruis : facultate astringendi; Nam folia ex latitudine sensim in acutum veluti rostrum desinentia imitantur capitis penulas, quod erat genus Capitij. Inter Clemetidas autem numerat Plinius, quia sarmentis multis constat : Centunculus autem dicta est, quia Centonibus familiaris pro Tomento; mollis enim herba est, vt eūdem vsum prestare possit, quem Gnaphalion, quam Dioscorides Centunculum à Romanis vocati tradit, seu hæc sit Alga, qua vitrea vasa fulciuntur, seu herba Impia Plinij cuius foliola alba, mollia, veluti ex lanosa substantia constant. De Alsina alibi dixi, similem huic plantam ostendens, sed solitariis seminibus in alis foliorum, vt Polygoni. Extat & Centunculus montanus in Alpium pratis : hic dum prorepit, radicat Graminis modo, adeo copiosè vt vniuersum solum conuestiat : attollit vere frequentes cauliculos, in quibus flores lactei, veluti stellati insident, sine odore : folia aliis parui Centunculi; aliis ad Hederam magis accedentia; aliis angusta, paruis ligulis similia; ob id Linguam anis quidam vocant, & non nulli Gramen Parnasium putant. Quartum genus tenuissimis foliis constat, lanuginosum, in hoc profecto genere videtur esse Gramen, quod in Parnasso monte oriri testatur Dioscorides; cēsiore frutice quam alia Graminis genera; foliis Hederaceis : flore odorato, candido : semine paruo, non inutili : radicibus quinis, aut senis, digitali crassitudine, cādidis, mollibus, & admodum dulcibus, de eodem Plinius eadē refert.

CAP. LIIII.

CENTVMGRANA vulgò appellatur herbula, æstate prouenienis iuxta parietes, præcipuè inter saxa, quibus vię sternuntur, multis ac breuibus ramulis, quatuor digitos non excedentibus, duris, vt Polygoni; in quibus foliola insunt rotunda, ac lęuia; in cacuminibus granula frequentia, Centunculo tenuiora : flosculo vix conspicuo, candicante; datur ex aqua frigida puluis ad dissenteriam, & tenesmum, vnde quidam vulgo Pondinam vocant; nam miro modo sanat. sunt, qui non inepte apud Dioscoridem Paronychiam intelligi putent; nam exiguus frutex in petris nascens, Peplo similis, breuior, quamquam non maioribus foliis; idcirco nos aliam pro Paronychiam ostendimus.

CAP. LV.

LYSIMACHIA herba est in humectis, virgas rectas ferens, nunc binis per interualla foliis, nunc ternis, aliquando quaternis, figura Salicis: flores circa cacumina luteos, aut purpureos, in partes quinque dissectos: fructus rotundos, vt Anagallidis, in quibus semen farctum continetur, & album: Quę luteum florem fert, in montibus magis oritur, cubitalis altitudinis: foliis latioribus, breuioribusque, gustu acerbo: eius quædam in alis foliorum floret, breuior; rotundioribus foliis: quædam in cacuminibus tantum, veluti racemum fert non densum. Quæ autem purpureum edit florem, in campestribus magis nascitur iuxta flumina, & in scrobibus, altitudine bicubitali; foliis angustioribus, gustu glutinosis; flores densos cacuminibus fert in prælonga, veluti spica, vascula oblongiora, tenuioraque: radicem ramosam, duram, cortice rubescente, gustu astringente. Dioscorides Lysimachion vocat, caulibus cubito altioribus, fruticosis, tenuibus, à quorum geniculis exeunt folia Salicis, tenuia, gustu astringentia; flore rubro, vel aureo: gignitur in aquosis, vel palustribus: suffita acerrimum odorem reddit, quo serpentes fugat, & muscas interficit. Plinius Lysimachiam ab inuentore appellatam; foliis Salicis, viridibus: flore purpureo: fruticosam: erectis ramulis: odore graui: in aquosis ei: tanta vis, vt iumentis discordantibus iugo imposita, asperitatem cohibeat.

CAP. LVI.

NVMVLARIA vulgò appellatur herba in scrobibus nascens, humi strata, multis ab eadem radice cauliculis, recta circumquaq; serpentibus; foliis rotundis, figura nummi, vnde nomen, coniugatim per breuia interualla, sapore acerbo; flores in alis foliorum fert luteos, & fructus Lysimachiæ similes. Placet in viridariis opere Topiario ex vasis dependens longissima coma. Quidam Centummorbiam vocant; mirificam in sanandis vlceribus tum externis, tum internis. Chimistæ sperant hac herba coagulari posse argentum viuum: in archanis quidam Borissam vocant, quidam Lunariam.

CAP LVII.

HERBA Paralysis à recẽtioribus medicis vocatur, in mõtibus proueniẽs, locis vmbrosis, ab radice tantũ foliata: foliis Lactucę, angustioribus, vnde quidã Lactucã sylueſtrem in Alpibus vocant; vescũturq; pro olere: radix subest pollicis crassitudine ex frequẽtibus radiculis iũceis cõpacta; flores fertĩ singulis cauliculis singulos inter folia, pallidos: fructus aũt Lysimachia lõgiores, folliculo florẽ tegẽte inclusos,

&

& semina intus farcta, sapore astringente; floret non dum exacta hyeme, vnde primula veris à quibusdam vocatur: laudata ad articulorum dolores, & calculum, radicis decocto; florum succus maculas faciei delet. Altera illi similis paulo hirsutioribus, ac rotundioribus foliis, cauliculo dodrantali, candido, hirsuto, in cuius cacumine tres, aut quatuor flores dependent aurei, & fructus alteri similes, vtuntur ad eosdem vsus. Apud Dioscoridem in Verbasco Phlomides duæ, idest Verbascula, traduntur hirsutæ; rotundiis foliis; humiles; ab aliis Thryallis vocatur. apud Theophrastum Thryallis traditur inter spinosa Plantagini similis, de qua nos alibi.

CAP. LVIII.

AVRICVLA Vrsi, seu Lupi vocatur in Alpibus similis herbæ Paralysi: foliis paucioribus, in terra stratis, & conuolutis, vt auricula, alba quadam linea denticulata circundante, crassis, pulposisque, mollibus, non rugosis vt supradictæ: in cauliculo subhirsuto & nudo fert flores aureos tres, aut quatuor, gratissimi odoris: oritur in altissimis, & præcipitiis. Quid si hanc tertiam Phlomiden dicamus apud Dioscoridem, quę Lychnitis cognominata est: foliis ternis, aut quaternis, vel paulo pluribus, hirsutis, crassis, pinguibusq;, aptis ad lucernarũ lumina? Non enim hæc genere seiungitur à supradictis. Plinius fere eadem habet, quæ Dioscorides sunt, inquit, Phlomides duæ, hirsutę, rotundis foliis, humiles. Tertia Lychnitis vocatur, ab aliis autem Thryallis; foliis ternis, aut cum plurimum quaternis, crassis, pinguibusque, ad lucernarum lumina aptis, ex quibus, Lychnitim seiunxisse videtur à reliquis duabus hirsutis; quia huic nequaquam hirsuta essent folia, sed crassa, & pinguia, apta ad lucernarum lumina, vbi exsiccata fuerint; in reliquis autem conuenirent tres Phlomides, rotundis foliis, humiles. in Dioscoride igitur superfluum videbitur illud verbum hirsutum in Lychnite quamquam non omnino lęue sit eius folium.

CAP. LIX.

ANAGALLIS herbula est humi procumbens; cauliculis quadrangulis, dodrantalibus: binis foliolis in singulis geniculis sine pediculo adnexis, similibus Centunculo: flosculos in singulis geniculis binos, longo pediculo fert, colore puniceo, vt Corallus, aut cæruleo elegantissimo, patulos, & quinquepartitos sectos: fructus rotũdos, pẽdulos, quibus arescẽtibus abscedit dimidia vasculi testa, & semen minutũ fundit. Punicea passim in hortis, & secus vias prouenit; cæ-

rulea

rulea in montosis, & gracili solo. florent vtręque tota æstate. Dioscorides Anagallidis duo genera esse tradit flore distantia: fęmina flore cæruleo; mas puniceo; sutices parui, in terra iacentes: foliis in quadrangulo caule pusillis, subrotundis, ad Helxinæ folia accedentibus: semine rotundo. Plinius eadem fermé tradit: nasci in hortis, & aquosis: non altiores palmo: frutice tenero: foliis pusillis, rotundis, in terra iacentibus: prior floret cærulea: aliqui Corchoron vocant. apud Theophrastum Chorchorus inter olera ponitur; sed ob amaritudinem in prouerbio est: folium eius Ocymum æmulatur. quod vero asserit Plinius prius florere cæruleam, aliam plantam significare videtur, hyeme incipientē, geminis orbiculis testium modo, de qua inferius.

CAP. LX.

MYRIOPHYLLON in palustribus Pisanis nascitur; frequentibus foliis, mollibus, tenuissime scissis, instar latæ auium plumæ: radice iuncea, alba, fibrosa: caulem supra aquas attollit, nudum, tenerum, ac mollissimum supra dodrantem: flores circa summum, per interualla congestos, multo latiores Anagallide, colore ex albo modice purpurascente: fructus quoque Anagallide maiores; floret vere: Alterum in eisdem locis foliatum vsque ad verticem; foliis per interualla quinis simili modo dissectis, minoribus. Thyrsum egerit extra aquas, quatuor digitorum longitudine, in quo fructus per interualla quini in orbem, Coriandri magnitudine, sine flore. Dioscorides caulem scribit tenerum, & singularem, vnica nixum radice; plurimis foliis, lęuibus, Fęniculo similibus: caulis flauescit, varius, ac veluti ex industria depictus: nascitur in palustribus. Plinius Myriophyllon à nostris millefolium appellari testatur, caulis est tener, similis Fæniculo; plurimis foliis, vnde nomen accepit: in palustribus.

CAP. LXI.

PORTVLACA æstate prouenit in hortis humi stratam: frequentibus ramis, rotundis, & carnosis: læuibus foliis, subrotundis & crassis: Hærent in alis apices, flosculum condentes luteum, qui aduentāte sole aperitur, apice reflexo veluti galea, noctu clauditur, restituta galea: semina veluti in fouea continentur, nigra, operculo tecta. extant differentiæ quædam magnitudinis, & paruitatis. Quę latiora fert folia, attollitur magis & colitur pro olere: quę angustiora habet, magis humi sternitur, syluestrior, secus vias nascens: hæc florem non explicat, sed intra conditum seruat: venit & hæc in cibos, quamquam ingratior:

vtręque

vtręque succo glutinoso constant, cui proprietas inest stuporem dentium tollendi, asperitatem lęuigando, vt Galenus testatur. Dioscorides & Plinius indescriptam reliquerunt, tamquam notam, sed ad multos morbos efficacem, vi refrigerandi, & humectandi. Theophrastus Portulacæ radicem breuem scribit, tum quæ media est, tum quæ in latus porrigitur; exit tardius post septimam diem à satu. De syluestri Portulaca pluribus in locis fit mentio, scilicet in Thelephio, in Semperuiuo minimo, & in Peplio, sed nulla ex his conuenit ei, quæ hic posita est syluestrior. reperitur tamen in codicibus græcis Dioscoridis caput de Portulaca syluestri ad nexum ei, quod de satiua loquitur: cuius principium & finis desumpta sunt ex tertio Semperuiuo, sed interseritur Portulaca syluestris, quam proposuimus in hunc modum. Est quando & in domesticis locis oritur foliis Oleæ, minoribus multo, pluribus, & tenuioribus: cauliculis rubentibus, ab radice vna frequentibus, inclinatis in terram: his mansi facile in succum soluuntur tenacem, liquorem cum quodam salis gustu, quæ postea sequuntur: facultas eius calfacere, & reliqua, non ad hanc pertinere videntur, sed ad eam, quam dixit in petris nasci, scilicet tertium Aizoum.

CAP. LXII.

AMARANTVS in Etruria vulgo Fioruelluto, spica est ramosa, veluti ex serico vellere constans, colore specioso nigrantis Rosæ, qui nequaquam marcescit, sine odore: vasculis constat inter multiplices folliculos instar Tritici, in quibus parua semina continentur, nigra, vt Bliti. Planta colitur in hortis inter coronarias, cubiti fere altitudine, recta: ramis quoque rectis: foliis Bliti, angustioribus: spicas fert in summo, & à latere in autumno. Veniunt in cibos folia ex oleo sale, & aceto. Plinius de Amaranto scribit. Est spica purpurea verius, quam flos, & sine odore: mirumque in eo, gaudere decerpi, & lætius renasci: prouenit Augusto mense; durat in autumnum. Alexandrino palma, qui decerptus asseruatur, mirumque, postquam defecere cũcti flores, madefactus aqua reuiuiscit, & hybernas coronas facit. Summa eius authoritas in nomine est, appellato, quoniam non maturescit. Sed alia est Amarantus apud Galenum, quæ à Dioscoride Helachryson vocatur.

CAP. LXIII.

CENTAVREA vulgo appellata herbula est in collibus riguis, paulo altior dodrante; tenuibus, & rectis cauliculis, quadratis: foliis per interualla binis, sine pediculo, subrotundis, paruis,

quibus

quibus nerui in longitudinem tendunt: flosculos fert in cacumine veluti in vmbella, rubentes, qui summis fructibus insident, secti in quinque foliola: fructus exiles, & oblongos, quibus semina insunt nigra, minutissimis atomis similia: radix subest exigua: tota amarissimo sapore constat, & magnis viribus ad vulnera sananda & purgationes: mulieres ea vtuntur ad capillum russo colore tingendum, ideo Biondellam vocant. Dioscorides Centaurium minus appellat: Origano aut Hyperico similis est, caule anguloso, palmum excedente: flore Lychnidis è puniceo in purpureum vergente: foliis Rutæ, prælongis, & paruis: fructu Tritico simili: radice pusilla, lęui, & superuacua, amara. Plinius Centaurium inquit cognomine Lepton, minutis foliis, Origano simile; angustioribus & longioribus foliis: anguloso caule, palmum alto, fruticante: flore Lychnidis: radice tenui, & superuacua; succo efficax. Fel terræ nostri nominant propter amaritudinem summam. de Centaurio maiori alibi dicendum.

CAP. LXIIII.

ACHILLEOS in incultis nascitur iisdem fere locis, vbi Centaurea: vnico caule, rotundo, recto, semicubitali: foliis Centaurea latioribus, per longa interualla inuicem coniunctis, vt medium vndique caulem amplectantur, colore ex viridi & ceruleo albicante: paucis ramulis, rectis, quibus summis flores insunt lutei, & vascula crassiora Centaurea: nigris seminibus. hęc quoque amaro sapore constat, vulgo accipiunt pro Centaurea maiore; nam Mesues inter Centaureas recenset, magis laudans, cuius flores colorem habent citrinum palearem. Plinius ex quorundam sententia veram Achilleon esse scribit, scapo cæruleo, pedali sine ramis, ex omni parte singulis foliis rotundis, eleganter vestitam; vulneribus medetur.

CAP. LXV.

GRATIADEI à recentioribus Medicis in Italia vocatur herba in pratis fęnariis, præcipue humectis: caule quadrato, dodrantali: foliis per interualla geminis, angustis, & oblongis: inter quæ flores sunt concaui, & oblongi, dissectis labris, ex cæruleo purpurascentes; vascula seminis rotunda, vt Anagallidis: tota amarissima: efficax vulneribus glutinandis, casu inuēta, cum in campo fęnario quidam vulneratus in capite, concidisset, obducta capiti hac herba, cum alia nō esset ad manus, vulnera glutinata sunt. Altera est paulo altior, ac ramosior; foliis longioribus quasi Lysimachię purpureæ: floribus ex purpu-

ra albicantibus. Matthæus Ryuaticus Persicariam minorem vocat. Germani alias habent hoc nomine.

CAP. LXVI.

CIMBALARIA vulgo appellatur herba in parietibus dependens: tenuibus ramulis, fere cubitalibus: foliis subrotundis, Hederæ figura, scissis, parui, & crassis: flosculos purpureos fert in alis foliorum, caudatos, ore compresso: fructus rotundos, in quibus parua semina, & multa cõtinentur: radix inutilis: vtuntur Insubres hac herba pro Vmbilico Veneris. Plinius, vt placet Hermolao, Caponn primam intellexit, quam pedes gallinaceos vocant: nascitur inquit, in parietinis & sæpibus: ramis tenuissimis, sparsisque: flore purpureo: viridis succo caliginem discutit.

CAP. LXVII.

VERONICA fęmina vulgò appellatur herbula in aruis strata, similis Cimbalariæ, hirsuta: foliis rotundioribus, non incisis: flosculis pallescentibus: fructu simili prædictæ: tota acerbo sapore constat cum amaritudine: efficax ad vulnera sanãda, & scabiem, & tumores dissoluendos, pręcipue ceruicis, & Elephantiasim illita: altera est Veronica mas alibi dicenda.

CAP. LXVIII.

CATANANCE, quidam vulgò Balsaminum vocant, herba in hortis seritur, pulchritudinis gratia: caule constat crasso, tenero, subrubro, simili Portulacę, sed recto, ferme cubitali, assiduo propè radicem crassiori, paucis ramis, rectis: foliis figura Salicis, serratis: flores in alis foliorum fert, speciosos, concauos, cauda inferius reflexa, hiantes productis duobus labris, colore purpureo: fructus tubinatos, hirsutos, magnitudine siliquarum Ciceris, qui arescentes peculiari quodam modo dehiscunt; nam rimula lateri aborta, confestim contrahuntur diuisi in plures, veluti vngues aduncos, & in terram decidunt, effuso semine, quod simile est paruę Viciæ, colore subrufo, punctis quibusdam distincto. Altera in Alpibus nascitur locis vmbrosis: ramis patulis: caule tenerrimo, ferme perspicuo: foliis tenui pediculo deorsum inclinatis, subcandidis, breuioribus, latioribusque, & subrotundis, mollissimis, magis incisis: flores fert ex longo pediculo veluti filo pendulos, figura grandis scorpionis, cauda superius reflexa, hiantes,

colore

colore aureo, pũctis nigris quibusdam in faucibus: tenues fert siliquas, quæ in maturitate lęuissimo tactu dissiliunt in plures partes, vt supradictæ; semen autem longius eiaculantur, vt colligi nequeat, nisi magna industria: sunt hæc granula paulo oblongiora, simili modo punctis distincta: radices vtrique tenues, & plures: in exortu caulis tuberosæ Dioscorides vtramque Catanancem hoc modo describit: vna, inquit, folio longo constat, vt Coronopus: radice tenui, iuncea, capitulis senis, septenisque, in quibus semen Eruo simile: flectitur fructus exarescens in terram, & ad speciem vnguium Milui exanimati se contrahit. Altera Mali exigui, magnitudine conspicitur; radice parua ceu Oliuæ; foliis quoqne Oleę figura, & colore, mollibus, inclinatis in terram, diuisis: fructum in virgulis paruum, Ciceris effigie, in multas partes attritum, punicei coloris: Vtramque narrant in amatoria experti: Thessalicæ mulieres his vti traduntur. Plinius neglexit harum plantarum descriptionem; quia solum ad amatoria celebratæ sunt.

CAP. LXIX.

FLos quidam vulgo in Etruria Fior Capuccio ob coloris gratiam, quę etiam arefactis seruatur: expetitur in coronas. caulis est cubitalis, rectus, paucis ramis rectis: foliis numerosis, in angusta, & oblonga foliola diuisis Fæniculo proximis: Flores circa summas virgulas initio antequam dehiscant, effigie Delfinorum, virides: procedente tempore explicati, colorem purpureum elegantem contrahunt, tendentem ad cæruleum, à tergo caudati: Folium in his est quoddam implicatũ, quod in albo characteres habet occultatos, ex virgulis cæruleis, duas literas exprimentes. A.I. aut tres. A.I.A.: siliquam fert oblongam, nigram, seminibus nigris, vt Melanthij, sapore ingrato, amaro: colitur in hortis inter coronarias, quamuis & sponte proueniat in aruis. Alterum genus frequens in segetibus breuius: tenuioribus rami, & patulis: tenuioribus tum flore, tum foliis, in quo nequaquam visuntur insculptę literæ: vtræque annuæ tantum sunt: Recensentur à quibusdam non sine probabili ratione inter genera Cumini sylueſtris. ipse nõ dubito hunc florem inter coronarios habitum apud antiquos sub nomine Hyacinthi, quem poetæ fabulantur ex Aiacis cruore ortum, vt apud Ouidium legitur. De hoc Plinius inquit ita discurrentes Venas inesse, vt græcarum literarum figura. A I. legatur inscripta. Alius tamen est Hyacinthus apud Dioscoridem inter bullosas, vt proprio loco patebit. De hoc Hyacintho meminit Dioscorides in Delphinio inquiens, alij Hyacinthum appellãt. Romani Buccinum, eius duo genera. Maius ramos fert ab vna radice duorum dodrantum, altitudine, vel maiores: & circa eos foliola diui-

sa, tenuia, oblonga, Delphinorum effigie, vnde nomen: flos Leucoio similis, in purpuram vergens; semen in siliquis Milio simile: nascitur in asperis, & apricis: semen in vino potum ictibus scorpionum vnice medetur: argumento: quoniam obstupescunt Scorpiones ea herba apposita, & inualidos ictus agunt, ea amota pristinas vires assumunt: Alterum scilicet minus, simili antedicto, sed foliis, ac ramis multo tenuioribus, vires quoque similes habet, infirmiores tamen. in hac descriptione illud solum animaduersione dignum, Delphini effigiem, non in foliis esse accipiendam: qui enim fieri potest, vt in foliolis scissis tenuibus, & oblongis, eius animalis figura exprimatur? sed in floribus adhuc herbaceis quiuis facile agnoscet Delphini effigiem, capite crasso, curuo dorso, in tenuem caudam desinente. Est tamen planta parua foliolis Delphini effigie, curuo dorso: forte minus Delphinium, quam nos inter affines Irioni describimus.

CAP. LXX.

ONAGRA in Alpibus nascitur locis aquosis: caule bicubitali, altiorique, subrubente, recto, ramis veluti virgis Salicis: foliis quoq; Salicis: flores fert circa sūmas virgas, roseo colore, speciosos, in foliola explicatos: decurtata à tergo cauda: siliquas rectas, digitali longitudine, tenues, subrubentes: hæ dehiscunt perfecto semine in quatuor partes recuruatas: semina intus parua, quibus lanugo inest cādida, quæ pappus vocatur. Dioscorides fruticem in montibus prægrandē esse scribit, instar arboris; foliis Amygdali, latioribus, Lilio non dissimilibus: flore rosaceo, magno, radice candida, longa, quæ cum siccata est, vinum obolet. hæc feras mitigat, & sicuras reddit aqua, in qua maduerit, pota. Theophrastus Oenotheram vocat radicem, quæ è vino pota, mitiores hilarioresque mores conciliat. Plinius Oenotheram, & Onurim appellat: Amygdalino folio: flore rosaceo, fruticosum; longa radice, & cum siccata est, vinum olente.

CAP. LXXI.

ALIAE in campestribus oriuntur, locis palustribus, breuiores: floribus in alis, foliorum, rubentibus, minoribus, qui summis siliquis insident: siliquæ tenuiores, digitali longitudine: semine in pappum desinente: quarum vna hirsuta est, latiore folio: altera lęuis, angusto folio, quod hyeme venit in olera antequam caulescat. Tertia in montibus, folio ad Hederam accedente. omnibus serrata insunt folia. hæc ex genere Onagrę censenda sunt.

ASCLE-

CAP. LXXII.

ASCLEPIAS tota facie Apocynum, quam inter frutices posuimus, representat: nascitur in syluis: multis, & tenuibus radicibus, pluribus virgis, rectis, simplicibus, cubitalibus, succo lacteo: folia insunt Hederæ in acutum desinentia: circa summas virgas racemuli sunt in alis foliorum, in quibus flosculi candicantes, vt siliquę crassiusculæ in acutum desinentes, quę rimula à latere dehiscentes semina ostendunt farcta, oblonga, & depressa, argenteis quibusdam pappis adnexa, quidã hodie Vinee toxicum vocant, quia venena depellit, quamuis aliæ apud recentiores medicos eo nomine accipiantur. appellatur etiam à quibusdam Hirundinaria ob seminis similitudinem. Dioscorides describit: ramis longis; foliis Hederæ, longis: radicibus numerosis, tenuibus, odoratis: flos graue olet: semen Securidacæ: nascitur in montibus: radices in vino potæ torminibus, & venenatorum morsibus subueniunt: folia illita, maleficiis mammarum, & vteri vitiis opitulantur. Plinius eadem tradit, tantum radicis odor in hac nostra nequaquam euidens est.

CAP. LXXIII.

CHELIDONIVM maius, vulgo Celidonia, nascitur inter sępes, & in ruderibus prope maceries; herba coloris ex albo cærulei: caulibus cubitalibus, ramosis; foliis diuisis, Ranunculi modo, sed pluribus in vno pediculo: flores in racemulis fert luteos, figura Leucoij: siliquas tenues, digiti longitudine, in quibus semina sedent in duobus lateribus nigra, & splendentia: radicem pollicis crassitudine, in multas fibras desinentem, colore croceo: succo madet tota planta croceo, amara, mordens, graue olens. Dioscorides describit caule geniculato, cubito altiore: foliis Ranunculi, mollibus, glauci coloris, subamaris, graueolentibus: radix superne vnica, inferne fibrosa, croceis capillamentis: siliquę Papaueris corniculati: semen Papauere maius: floret in aduentu hirundinum, & discessu marcescit; vnde nomen. sunt, qui scribant Hirundines pullis suis in nido mederi illa vitium cæcitatis abstergentes. Apud Theophrastum Theodorus Hirundinariam vertit: floret inquit in aduentu Hirundinum. Plinius maius Chelidonium inquit, constat fruticoso caule: foliis Pastinacæ erraticæ, amplioribus: ipsa altitudine duorum cubitorum; color albicans: flos luteus: succus Croci, mordax: semen Papaueris: Hirundines hac visum pullis restituunt: distillatur hodie aqua ad oculorum nubeculas; vtuntur radice inserentes

cauis

cauis dentibus : purgat enim & dolorem tollit, de minori Chelidonio alibi dicendum.

CAP. LXXIIII.

PAPAVER corniculatum, foliis & flore similitudinem habet cum Papauere : fructu valde distat ; non enim calycem fert, sed siliquam palmo longiorem, cornu modo curuam, ac duram, in qua semina nigra continentur, sedi tamquam carni infixa: qua tota siliqua repletur, duobus lateribus adnexa ; folia longiora, quam Chelidonij, lateribus sinuata magis quam diuisa, candida, aspera, lanugine obducta : flores in summis ramis pallidi, magnitudine & figura Papaueris : oritur in montibus, sed copiosè in marittimis, cubitali altitudine. Dioscorides describit foliis candidis, hirsuris, Verbasco similibus, in ambitu incisis, vt sylueſtere Papauer : caule simili : flore pallido : fructu Fęnugręci, corniculorum modo inflexo : semine Papaueris, pusillo, nigro : radice per summa cespitum nigra, crassa, in marittimis asperis. Noxas similes affert sumentibus, quas Opium, & similem habet curationem, vt libro sexto inter venena tradit, quod mirum videtur, cum eius temperamentum calidum statuatur à Galeno : quod patet ex effectu; nam semen acetabuli mensura purgat aluum cũ aqua mulsa : radix decocta in aqua ad dimidium, & pota, medetur ischiadicis, afferibus lecinoris, & mingentibus crassa, & areneosa : folia & flores vlcera emarginant illita ex oleo, exterunt enim carnem tenellã, & crustas auferunt. An foliis, & floribus, & succo inest vis deleteria partim cum caliditate, partim cum frigiditate soporifera? ideo nemo ea intus exhibet. Theophrastus inter ea, quæ æquiuoce dicuntur, Papauer corniculatum recenset, nigrum esse : foliis Verbasci nigri, sed minus nigris, cubitalis altitudinis : radice breui per summa cespitum : fructibus inflexis corniculorum modo, qui per messem colliguntur ad aluum purgandam : nascitur iuxta mare, locis saxosis. Plinius inter genera sylueſtris Papaueris, Ceratitim vocari inquit nigrum, cubitalis altitudinis : radice crassa, corticosa : calyculo inflexo, vt cornu : folia minora & tenuiora, quam cæteris sylueſtribus : semen exile. Nec absurde Verbasco nigro comparantur folia à Theophrasto & Plinio, nam adulta planta nigriora redduntur, quæ initio candida, vt Dioscorides testatur.

CAP. LXXV.

LEONTOPETALON radix est rotunda, & magna, Rapi modo, nigra, & tuberosa, vnde incipiente vere emergunt folia, longis & tenuibus pediculis, ramosis, in quibus folia inæqualiter diuisa,

diuisa, & subrotunda, candicantia: cauliculis dodrantalis, in quo parua sunt folia, & ramuli, quibus insident flosculi pallidi, quales in Chelidonio: siliquæ breues: paucis seminibus: peregrina apud nos. Audio in Apulia copiosam. Alia in montibus vmbrosis; minori radice, flaua, & excauata: foliis tenerioribus, ac tenuius scissis, ad Fumiterræ folia accedentibus: cauliculum breuem, & simplicem fert, cui in medio tantum sunt folia, vt in Anemmone: flosculi tamquam in spica concaui, & purpurei, figura Fumiterræ maiores. Audio & flore candido reperiri. siliquas paruas, alteri similes fert; nigro semine: hac in Germania vtuntur pro Aristolochia: quidam Pistolochiam vocant: vtrique folia breui tempore adsunt; Vere tantum florent. Dioscorides Leontopetalon non absimilem his tradit: caule dodrantali, aut altiore; plurimis alis; in cacumine semina parua, duo, aut tria in siliquis Ciceris modo: flores Anemmomæ similes, punicеos; folia Brassicæ, sed Papaueris diuisura: radices Rapi modo, nigras, strumosas: nascitur in aruis, & segetibus. Plinius similiter describit: folia Brassicæ; caule semipedali: alæ multæ: semen in cacumine in siliquis, Ciceris modo: radix Rapæ similis, grandis, nigra: nascitur in aruis.

CAP. LXXVI.

SPLIT vulgò appellatur in præruptis Alpium, & saxorum crepidinibus, herbula numerosis cauliculis, dodrantalibus, teneris: foliis Fumiterræ: flosculis quoque similibus, colore pallido: siliquas exiles fert, in quibus semina atra continentur: radices tres, aut quatuor inuicem intortas, pallescentes, amarissimas, quibus magna vis, ad cerebri, & neruorum, articolorumque morbos sanandos, vt paralysim, tremores, conuulsiones, dolores, ad quem vsum radix in vino coquitur olla crusta panis obstructa. Huius decoctionis exhibentur vnciæ duæ ieiuno ventriculo semel in die, qua potione initio veluti inebriari videntur. Quinta ad summum liberari traduntur. Hanc Pistolochiam esse apud Plinium existimo, inter Aristolochias quarti generis, de qua inquit, tenuior, quam Clematitis, densis radicis capillamentis, Iuncipenioris crassitudine. hanc quidam Polyrhizon cognominant: conuulsis, contusis, ex alto præcipitatis radice pota ex aqua vtilissima esse traditur: semine pleuriticos, & neruos confirmare; excalfacere; eadem Satyrion est, idest Venerem stimulat.

CAP. LXXVII.

FVMARIA, quæ & Fumusterræ à recentioribus medicis vocatur, tenera herbula est, passim in hortis, & inter segetes, etiam in parietibus nascens: pluribus, & in firmis ramulis, angulosis: foliolis multifariam diuisis, instar Apij tenuioris, candicantibus: flosculos in oblongis racemulis fert, tenues, & oblongos, purpurascentes: fructus rotundos, ac præduros veluti parua capitula, vnico intus semine. libuit autem inter has recensere, quoniam in cæteris magnam video affinitatem. Quædam extat longioribus cauliculis: rarioribus foliis: flore candicante. Dioscorides Capnon gręce vocat, quasi fumum: fruticosa inquit herbula est prætenera, Coriandro similis: foliis candidioribus, vndique numerosis, cineracei coloris: flore purpureo. Plinius Capni duo genera facit: primam, quam Pedes gallinaceos vocant, nascens in parietibus & sępibus; ramis tenuissimis, sparsisque: flore purpureo: viridis succo caliginem discutit, itaque in medicamenta oculorum additur. Hanc Hermolaus existimat esse, quam hodie vulgo Cimbalariam vocant, de qua nos alibi. de altera inquit, similis & nomine & effectu alia est Capnos fruticosa, prętenera: foliis Coriandri, cineracei coloris: flore purpureo: nascitur in hortis & segetibus hordeaceis. claritatem facit inunctis oculis, delachrymationesque ceu fumus. vnde nomen accepit, quę descriptio eadem est, cum ea, quę traditur à Dioscoride. Quid repugnaret, si his significari dicamus duo Fumariæ genera prædicta? nam & si vna est flore candicante, in eodem tamen flore purpureum quid inest, oriturq; magis in parietibus, & circa maceries: cum altera in aruis magis proueniat. Mesues simili modo duo genera facit; nam quædam inquit, florem fert subalbidum, cineritium: altera pallescentem, violaceum, idest purpureum. recenset inter medicamenta purgantia, infirma tamen; nam euacuat flauam bilem, & humores adustos, ideo confert lepræ, scabiei, pruritui, & Iecinorosis; clarificat sanguinem; eligit autem eam, cui flos subuiolaceus. Testatur Dioscorides herbam bilem ducere per vrinam, succum oculis iniunctum claritatem visus facere; ob id Aetius Chelidoniam appellari tradit, vt Hermolaus putat, ob similem effectum: Capnium inquit in curatione iecinoris obstructi, appellatur etiam Chelidonia; eius succus expressus, & siccatus reponitur redactus in pastillos, & semel quidem adhibitus dolorem omnem adimit, ter autem præbitus in totum ab affectione liberat, & firmitatem visceribus addit: datur cum vino, aut aqua mulsa, idem præstat herbæ decoctum, etiam si valde febricitent ægri: aliquando herba ipsa exsiccatur, eiusq; puluis exhibetur cocleari mensura, alibi Chelidoniam Phragmitem vocat, quia liberat ab infarctu.

GEN-

CAP. LXXVIII.

GENTIANA non nisi in Alpibus prouenit; caulibus rotundis, rectis, simplicibus, bicubitalibus: foliis Plantaginis, maioribus, per interualla binis: flores circa summas virgas, in orbem dispositos per interualla, luteos, in foliola explicatos, stellæ modo: folliculos breues, & latos, in quibus semina cōpressa: radices in diuersa tēdētes, longas, lentas, pallidas, ex crassa quadam nigra exorientes, amaras. Dioscorides Gentianam appellatam ab inuentore Gentio Illyriorum rege scribit: foliis ab radice quidem Iuglandi, aut Plantagini similibus subrubris, à medio autem caule, & prope cacumen paulum dissectis: caule concauo, læui, digiti crassitudine, geniculato, & per maiora interualla foliato, bicubitali: semen in calycibus habet, latum, sine pondere, paleaceum, ad spondylium accedens: radicem longam, Aristolochiæ longæ similem, crassam, amaram: in altissimis montium iugis, & vmbrosis, aquosisque: vis radici inest calfactoria, & astringens, bibitur ex vino ad morsus serpentum: ex eadem succus extrahitur decoctione, qui inspissatur, optimum remedium dolori laterum, lapsis ex alto, ruptis, conuulsis, hepaticis, & stomachicis potus ex aqua drachmę pondere: radix subdita eicit partus, vulneribus quoque, & vlceribus sinuosis vtilis. Plinius scribit vbique nasci, in Illirico tamen præstantissimam: folio Fraxini, sed magnitudine Lactucæ: caule tenero, pollicis crassitudine, cauo, & inani, ex interuallis foliato, trium aliquando cubitorum: radice lenta, subnigra, sine odore: aquosis montibus subalpinis plurimā. componitur ex hac apud Mesuem, & alios plerosque medicos Theriaca Diatessaron idest ex quatuor rebus, scilicet addita Aristolochia rotunda, Myrrha, & baccis Lauri æquali portione, quæ vicem explet Theriacę magnæ. Dioscorides alio mōdo Diatessaron facit exhibens percussis à serpente radicis Gentianæ drachmas duas cum Pipere & Ruta & Vino.

CAP. LXXIX.

VINCITOXICVM à recentioribus medicis vocatur, & Antipharmacum, herba in montibus Getianæ similis: breuiori caule, non vltra binos palmos, purpurascente: folia fert Saponariç, longiora, & angustiora, in tenuem mucronem desinentia: flores inter folia cæruleos, oblongos, & concauos, parum dissectis labris: siliquas in calyce similes Asclepiæ: radices plures Buxei coloris, longas, digiti parui crassitudine, amarissimas. extat in hoc genere quædam, cuius radices pertusæ eo ordine, vt crucis formam ostendant, vnde Cruciata vo-

catur: floribus purpurascentibus, pluribus, in summo caule congestis circa folia, quæ paulo sunt angustiora: extat & breuior, palmi altitudine. De Vincitoxico Mattheus syluaticus scribit, multum reperiri iuxta Elleborum nigrum: caule violaceo, longitudinis vnius, aut duorum palmorum, foliis Persici: valere contra venenum: ingredi in Theriacam Diatessaron, quasi hæc pro Gentiana accipiatur, nam apud Mesuem & reliquos authores non Vincitoxicum legitur, sed Gentiana. celebrantur radices harum in febribus pestilentibus, & ad vermes enecandos singulari remedio. Alij pro Vincitoxico accipiunt, eam quæ Asclepias vocatur à Dioscoride, non absimili forma prædictis.

CAP. LXXX.

QVAEDAM in Alpium pratis pusillæ, quatuor digitos, aut palmum non excedentes, amaræ, foliis Centaurij minoris, paucis: flores, & fructus eosdem ferunt cum supradictis: radicem paruam, & similiter Buxei coloris. differunt inter se magnitudine, & paruitate foliorum, aut florum: flores omnibus concaui, & sectis labris magis minus, plerisque colore cæruleo, quibusdam candicantes, omnes Gentianæ congeneres.

Finis Libri Sexti.

AN-

ANDREAE CAESALPINI ARETINI

DE SVFFRVTICIBVS ET HERBIS. LIBER SEPTIMVS.

CAP. PRIMVM.

POSTQVAM eas plantas persecuti sumus, quibus solitaria sub singulis floribus data sunt semina, aut simplicia seminum conceptacula: iam explicemus, quibus bina semina, sub singulis floribus continentur, vt vniuersum genus Ferulaceum: post hęc autem de iis dicemus, quę seminũ conceptacula bipartita ferunt. Appello genus Ferulaceum, quodcumque Ferularum modo floret, ac semen fert: caulem omnia fere fungosum gerunt, geniculatumque: ramos alternatim, à dextris & sinistris tantum, ramorumq; surculos eodem ordine, sed secundum alteram dimensionem: floret non solum in cacumine, tum caulis medij, tum ramorum, sed etiam à latere in tertia surculorũ productione, atque aliquando etiam in quarta, vt Fęniculus, & quibus diuturna est, floris productio: extremi surculi in multos ex eodẽ callo veluti radios finduntur, quibus summis flosculi numerosi insident, rotundam superficiem cõstituentes, specie vmbraculi; ideo vmbellæ appellantur: latissima, quæ in medio caule, eademque prima exoritur, ei succedunt & tempore & magnitudine, quæ in summis ramis maioribus, minimę omnium ac postremę, quæ in ramorum surculis: flosculi summis seminibus insident, constantes ex foliolis: semina bina sub singulis flosculis, inuicem adeo coniuncta, vt vnicum videatur, nec prius abscedunt, quam perfecta fuerint & exsiccata, eorum cor in parte superiori existit, qua flos insidet; folia plurimis lato pediculo constant caulem cingente internodiis & magna ex parte secta, & in ramos distributa; aut tripartitis assidue ramis vt Apio. Ferulis, Fęniculo; aut à medio pediculo pluribus coniugatim exeuntibus, vt Pastinacę, Sio: pauca in hoc genere integro folio constant, plurima verò acria sunt, & odorata; alia quidẽ semine; alia radice; nonnulla etiã foliis & caule. sunt & quę lachrymas fundãt medicatas, idcirco ex hoc genere multa remedia medici eliciunt: quędã & inter olera assumũtur; quędã & cõdimẽtis expetũtur.

CAP. II.

FERVLA altitudine caulis, & crassitie forme specie arborea constat; nam ad quina, & sena cubita adolescit, crassitudine brachij: foliis latissimis, tenuiter incisis ferè capillamenti modo, vt Fæniculi, pediculo caulem vestiente, vt in Harundine: vmbellas fert latas, conuexa superficie, vt Anethi: flosculos pallidos: semen latum, & depressum, subnigrum, vnguis magnitudine, acre: radicem crassam, ramosamque, lacteo succo manantem. Eius duo genera: Mas crassior, & breuioribus internodiis; latiore semine: radice candida: foliis tenuius scissis: fæmina erectior, geniculis magis distantibus; foliorum segmentis angustis quidem, non tamen capillaribus, vt maris: radice nigra exterius. vtriusque caulis, cum exaruerit, læuissimus est, quia fungosus, adeo tamen robustus, vt sufficiat pro baculo ad substentandam senectutem: exarescit autem perfecto semine in æstate. eius substantia igni familiaris, nam instar funiculi ignem conceptum tamdiu seruat, donec totus contabescat. Viuunt radice diutius: autumno & per totam hyemem folia ab radice emittunt: ineunte vere caulescunt: mas paulo ante æquinoctium, veluti ouum in medio foliorum producit, quod estur sub cineribus coctum, id in dies in scapum adolescit. Fęmina paulo tardius caulem attollit: gaudet regione calida, & læto solo: frequentes in Sicilia, & apud nos in monte Argentario. Theophrastus genus Ferulaceum inter suffrutices recenset, hanc quidem Ferulam, alteram vero Ferulaginem vocans vt Theodorus vertit: græce enim hæc Narthex, illa Narthecia vocatur; caule neruoso constat, vnde & ferulacea dicuntur, quæ neruicaulia sunt; medullam habent carnosam, solutam, & membranis similem: natura earum similis est, vt patet, præterquam ratione magnitudinis: Ferula enim grandis admodum assurgit: Ferulago autem parua; sed vnicaules ambæ, & geniculatæ sunt: folia & coliculi quidam geniculis erumpunt, ac alternatim exeunt, idest non ex eadem parte geniculorum, sed permutatim: caulem magna ex parte folia amplectuntur, vt Harundinea, sed ratione magnitudinis, & mollitiei magis deflexa: nam folium his grande, molle, multifidum, fere capillamenti modo, maximaque terræ proxima, & reliqua subinde ad proportionem: flos melinus: semen fuscum, Anetho simile, maius: caulis in cacumine finditur in plures stipites, non magnos, quibus flos, & semen insidet, neque iisdem carent laterales caules, sed Anethi modo ferunt: Annuus est caulis: germinatio autem vere primo foliorum, deinde caulis, radice alte descendit, eademque singulari innititur, hęc Theophrastus: ex quibus coniicere licet Ferulam intellexisse, quam nos marem appellauimus. Ferulaginem

nem autem, aut nostram fæminam, quamquam in læto solo, non solum non est humilior mare, sed & altior, gracilior tamen, aut aliud quoddam humilius genus ex dicendis. Plinius Theophrastum secutus inquit. Ferulam calidis nasci locis, atque trans maria, geniculatis nodatam scapis: duo genera: Narthex assurgit in altitudinem: Narthesia semper humilis: à genibus exeunt folia maxima, vt quę terræ proxima: cæterum natura eadem, quę Anetho: & fructus similis. nulli fruticum leuitas maior: ob id gestata facilius baculorum vsum senectuti præbet: seruat quoque optime ignem: præcellit in Ægypto. Quæ ab vno caule diuiditur in cacumine, fæmina putatur. caules eduntur decocti, commendanturq; musto, & melle, stomacho vtiles: sin plures sumpti, capitis dolores faciunt. Dioscorides Ferulam tantum describit, & breuiter in hunc modum, caulem inquit profert ternum sæpe cubitorum: folia Fæniculi, multo crassiora, & maiora: ex ea quoque Sagapenum fit prope radicem incisa: de Sagapeno alibi seorsum agens inquit: succum esse Ferulę in media nascentis, de quo nos suo loco agemus.

CAP. III.

THAPSIA apud nos in Ilua nascitur Ferulę fęminæ similis, minor, & candidior: caulem fert non excedentem bina cubita, candicantem veluti cinere asperso: folia proportione minora, sed latioribus segmentis, & subcandida: florem similiter luteum in vmbellis: semen autem candidum, striatum, crassius & longius, in foliacea quædam labra desines: radix subest candida, crasso capite, in ramos diuiso, succo lacteo, valde acri, vt tractantium & manus & facies intumęscant. Theophrastus simili modo radicem Thapsiæ candidam scribit: caulem ferulaceum; folium Fęniculo latius: radix inquit vomitoria est, & siquis contineat, purgat tam superius, quam inferius: liuida tollere potest: radicis succus validior est: secanda aduerso vento, & corpore oleo perunćto, ne intumescat. Plinius inquit. Quidam Ferulæ semen Thapsiam vocauere, decepti tamẽ, nam Thapsia sine dubio Ferula est, sed sui generis: foliis Fæniculi; inani caule, nec excedente baculi longitudinem: semen quale Ferulæ: radix candida, incisa lacte manat, & contusa succo, nec corticem abdicant: omnia ea venenata, nam etiam fodientibus nocet, si minima aspirat aura, intumescunt corpora, faciemque inuadunt ignes sacri, ob id cerato prius illinunt. Nero Cæsar claritatem dedit, nam nocturnis crassationibus conuerberatam faciem succo illinebat cum Thure & cæra, & sequenti die cutem synceram contra famam circumferebat. Dioscorides Thapsiam paulo aliter describit, vt videatur non hanc intelligere, sed Ferulaginem, quam nos Ferulam fæminam

ap-

appellamus: inquit enim ab insula Thapso, vbi primum inuenta est, nomen inuenisse, & inter cætera nomina Ferulaginem à Romanis vocari: tota natura Ferulæ similis est, tantum graciliore caule; etiam folia habet Fęniculo similia; in cacumine autem vmbellas, in singulis ramis Anetho similes, in quibus flos luteus: semen latum, ferulæ simile, minus tamen: radix magna est, intus alba, exterius nigra, crasso cortice, acris, succus quoque inest lacteus, quem excauata radice colligunt, sed habitu adeo acri, vt tractantibus pustulas in facie excitet, præcipue aduersa ventilante aura: tam cortici radicis, quam succo inest vis purgandi; nam vtrinque flauam bilem extrahunt, ex alto quoque humores eliciunt. Mesues proculdubio vtrunq; genº Thapsiæ Turbith appellat, inquit enim: Thurbith est radix herbæ, cuius folia sunt sicut folia Ferulæ, minora tamen, & est ex habentibus lac. reperitur syluestre, & domesticum: & ex eo etiam est magnum & paruum: & adhuc aliud album, aliud citrinũ, aliud nigrum. Quod in locis siccioribus nascitur, fit gummosius propter spissitudinem lactis eius; in humidioribus è contra, quod deficit à septem conditionibus, quæ bonitatem eius ostendunt, vt scilicet sit album, & concauum, harundinosum, & gummosum, & sit cortex eius cineritius, & planus, & sit recens, & friabile: citrinum vero malum est, & nigrum peius; crassum est non bonum, & similiter quod tenue est, nam imbecille: & rugoso cortice, & quod interius, dum frangitur, neruos habet, syluestrę est & malum: quod non est gummosum, imbecille est, & ventris conturbatiuum. adulterant super illinentes gummi dissolutum: deprehenditur fracturis; nam caret gummi. quod est nimis recens, est conturbatiuum, & subuersionem facit viscerum: vetustum imbecille est, ideo eligitur id, quod in mediocritate consistit. euacuat humores tenues: quod, si addatur Zinziber, educit humores crassos, & viscosos à partibus longinquis, & articulis, & locis profundis. pondus eius contriti exhibetur à drachma vna ad duas: decoctionis autem à drachmis duabus ad quatuor. ex his patet indicari à Mesue nomine Thurbith nigri Thapsiam Dioscoridis, quod genus improbatur. Thurbith autem album Thapsiam esse Theophrasti. Tam Dioscorides, quam Mesues corticem radicis assumi testantur, conueniunt & in facultate, nam & superius, & inferius purgant, vt Græci afferunt: quod Mesues inquit purgare cum subuersione & nausea, illi bilem ducere: Mesues humores tenues scribit. de pondere exhibendo non conueniunt Dioscorides & Mesues, quia hic nigrum, ille album assumit: Dioscorides radicis obolos quatuor, succi obolos tres, lactis obolum vnum, si amplius, periculosum esse: Mesues radicis drachmam vnam vsque ad duas exhibet, succum solum non exhibet. Galenus maximam differentiam esse recentis ad vetustiorem testatur: vis enim huius pharmaci post annum

multum

multum exoluitur, atque amplius adhuc post duos annos, ad triennium penitus inutilem esse audet proferre. Mesues recentem abdicat ob vehementiam, veterem ob ignauiam. Testantur hodie qui Turbith ex Apulia ferunt, radices esse Thapsiæ, vt ex his fateri liceat idem esse Turbith, & Thapsiam. Alia tamen fuit sententia apud Actuarium inter Græcos recentiores; nam Turpetum (sic enim appellat) Titimalis ascribit: album quidem esse Alypiæ radicem, nigrum vero Pythyusæ. Ac longe diuersa est Serapionis opinio: putauit enim Turbith esse apud Dioscoridem Tripolium: sed radix, quæ in hunc vsque diem pro Turbith venditur, nec Tripolio conuenit, nec Alypię, nec Pythyusæ, de quibus suis locis erit manifestum. Thapsiæ succus, aut lachryma, quod sciatur, non adfertur hodie ad nos, quamuis radix succosa, & sincera habeatur etiam ex Orientalibus, sed ob vetustatem infirma, vt eum vsum præstare nequeat ad extrahendum ex alto, quem sinapismi, & cataplasmata ex succo Thapsiæ præstabant apud antiquos.

CAP. IIII.

AD paruas Ferulas reduci posse videntur, quædam genera, Panacis, Libanotidis, & Peucedanum; omnibus enim folia Fæniculi, & radices succo planæ. Panax Asclepium in montibus prouenit; foliis capillaribus, vt Fęniculi, subcandidis: caulem fert rotundum, cubitalem, geniculis crassis, cingentibus non solum caulem, sed & ramos: flores luteos: semina rara in vmbella, Thapsiæ albæ similia, candida, & striata: radice nititur alba, crassa admodum sed breui, à qua rami sparguntur. Theophrastus de hoc genera Panacis tradit; radice constat magnitudine palmi, candida, & valde crassa, cortice crasso, & salso: caule vndique geniculato: folio simili Thapsiæ, sed crassiori. Herbarij hanc effodientes, varium genus frugum vicissim terræ iniicere solent, & placentas veluti mercedem quamdam exoluentes. Plinius eadem ferme refert: radicem scilicet multi corticis, & salsi, ex qua succus extrahitur Opopanax. hanc sententiam sequutus videtur Mesues, nam Opopanacem extrahi testatur ex planta Ferulę simili, cuius caulis cubitalis, aut bicubitalis est, pallidus; folia Ferulæ, minora: flores aurei, odorati, Anetho similes: incidi huius caulem prope radicem: egredi humorem croceum, qui coagulatur, & fit Opopanax. Dioscorides tamen ex alio genere Panacis scilicet Herculeo, haberi Opopanacem testatur: de Asclepio autem inquit, caulem tenuem fert, cubitalem, geniculatum: circa quē folia funduntur Fæniculo similia, maiora tamen, & hirsutiora, odorata: in cacumine vmbella, in qua flores aurei, acres, & odorati: radix autem parua. At hæc conditio dissonat; repugnat enim ceteris authoribus.

bus. ostendo autem Dioscoridis Asclepium ex Sicilia allatum: foliis circa radicem stratis, densis; foliorum capillis breuibus, subhirsutis: cauliculo tenui: vmbellis luteis: seminibus compressis, magnitudine Feniculi: perficitur sub Cane: radix digiti crassitudine, nigra.

CAP. V.

ALIA in montibus nascitur, quam quidam pro Meu falsò accipiunt: radice non breui, vt supradicta, sed profunda, cubitali, crassa, candida, medulla intus flauescente: caulibus ab eadem radice pluribus, rectis, striatis, bicubitalibus, ex viridi pallescentibus: foliis capillaribus, figura Fæniculi, vt supra dicta: flores luteos fert: & semina nigricantia, depressa, & oblonga, vt Ferulæ fæminę. Hanc quidam inter Libanotides reponunt: ego potius ad Ferulaginem; huic enim magis conuenit conditio tradita à Theophrasto & Plinio; nam Ferulę comparata, cui similis est, parua dici potest, & humilis.

CAP. VI.

PEVCEDANVM in Sicilia nascitur, vnde translatum ad nos semen, plantam produxit aspectu similem Panaci Asclepio, & supradictę Ferulagini: longioribus foliis, erectis, hirsutis, pediculis densis, ac breuibus eorum capillamentis: caulem tenuem, ac læuem fert, cubitalem: flores luteos: semina oblonga, striata, in foliaceam latitudinem desinentia, sapore resinaceo: radix Pastinacæ figura, sed cortice atro: madet succo multo, qui concrescit in lachymam, Thuri similem, non solum colore, sed & odore; at sapor acris, & amarus est. in totum videretur Panax Asclepium Dioscorides, nisi constaret grandioribus foliis, erectisque: caulem gignit, cum folia dimiserit, prope finem æstatis; perficit aduentante hyeme. Dioscorides Peucedanum inquit: caulem emittit tenuem, gracilem, Fæniculo similem, comam habet circa radicem, copiosam, spissamque: florem luteum: radicem nigram, crassam, graui odore, succo abundantem: gignitur in montibus opacis: tenera radix conciditur, & profluens è plaga succus vmbræ mandatur; nam in sole confestim euanescit: Qui colligit nares prius, & caput rosaceo perfundit, ne dolor capitis, & vertigo premant: colligitur lac & succus tum ex radice, tum ex caule: inuenitur etiam concreta lachryma Thuris similitudine, caulibus, radicibusque adhærens: præfertur succus è Sardinia, & Samotrace, colore ruffo, odore graui, gustu feruens. Plinius, inter primas celebrari, inquit, Peucedanum, laudatissimum in Archadia; mox Samothracia, caulis est ei tenuis longus, Fæniculo similis,

lis, iuxta terram foliosus: radice nigra, crassa, grauis odoris, succosa: gignitur in montibus opacis, foditur exitu autumni: placent tenerrimę, & altissimę radices, hæ conciduntur in quaternos digitos osseis cultellis, funduntque succum in vmbra, capite prius, & naribus rosaceo perunctis, ne vertigo sentiatur, & alius succus inuenitur caulibus adhęrens, incisisque manat. Theophrastus Peucedanum radix, inquit, vtilis est annis quinque, aut sex: vim calefactoriam habet: quidam ex ea vnguentum Sudatorium faciunt: datur & ad lienes: semen inutile est: nec succus vlla in re prodest. An hoc dixit, quia facile spirat, & euanescit, vt Dioscorides testatus est: nam & lachryma ob id infirmior succo apud eumdem est?

CAP. VII.

LIBANOTIS candida, cuius semen Cachrys vocatur, ex Sicilia trãslata ad nos est: semen est crassum, & rotundum, ac striatum, osseo cortice cãdido, quo fracto nucleus intus apparet albicans, multo amplior, quam in Erithmo, ferventi gustu, & resinoso: radix vnica est, profunda, & candida, acris: folia ab radice non in longitudinem extensa, lateralibus tantum ramis, vt in Peucedano, & Ferulis, sed in orbem tripartita, assidue, scissiorem in tenuitatem Fęniculo crassiorem, erecta, & prædura, vt integrum folium turbinis figuram referat, in his lachryma concrescit prope pediculum, ruffa, odorataq; : caulem adhuc videre non licuit, quamuis per multis annis adhuc viuat in horto Pisano ex prædicto semine orta. Dioscorides eam hoc modo describit: Genus fertile Libanotidis, cuius semen Cachrys vocatur: folia habet Fęniculi, crassiora, & latiora, specie trochi, terræ incumbentia, iucunde olentia: caulem cubiti altitudine, aut maiorem, multis concauum alis: in cacumine vmbellam, in qua semen copiosum, candidum, Spondylio simile, rotundum, angulosum, acre, resinaceum, quod in mandendo linguam exurit: radix Thus redolet, candida, præ grandis. sed in hac descriptione dissonat Spondylij similitudo, nam depressum eius semẽ fere in foliaceam tenuitatẽ, huic rotundũ & plenũ, vt Crithmi, & Hippomarathri, quæ Dioscorides Cachryi cõparat. An satis est magnitudine spondylium æmulari? in hac planta dicere possumus sterile quoddam reperiri, quod neque caulem, neque florem, neque semen ferat, in cęteris illi simile, quod fertile est, vt tradit Dioscorides, quod & multis aliis contingit, non propter speciei diuersitatem, sed affectionem quamdam, vt alibi ostensum est. nascitur inquit sterile in saxosis & asperis: sed apud Theophrastum tum sterile, tum fertile aliter describuntur, de quibus alibi à nobis dicitur.

CAP. VIII.

LIBANOTIS nigra, vulgò accipitur pro Peucedano, in montibus, & vmbrosis nascitur: foliis ab radice similibus Cachryi, mollioribus, longioribus, & orbem maiorem prope terram describentibus: radicem fert modo candidam, modo nigram, altè descendentem: caules bicubitales, tenues, ex medio foliorum orbe exeuntes, duos, vel tres, quibus rami prope cacumina simplices, & vmbellæ: floribus luteis: & seminibus in fine autumni, depressis fere in foliaceam tenuitatem, in latitudine, oblongis, & nigricantibus, acribus, & odoratis. Dioscorides inquit: est & alterum Libanotidis fertilis genus, omnino consimile, semen ferens latum, nigrum, vt Spondylium, odoratum, minime exurens: radice foris nigra, intus, si frangatur, alba.

CAP. IX.

FAENICVLVM hortense caule constat cubitali, & paulo altiori, recto: vmbellas fert latas: semen crassum, in rotunditate oblongum, candidum, sapore subacri, aromatico: seritur in hortis pro condimentis, & obsoniis, sed anno secundo transit in sylvestrem. Sylvestre sponte in incultis nascitur montuosis, saxosisque: caulibus ab eadem radice pluribus, ad tricubitalem altitudinem, & amplius: vmbellas fert tenuiores: ac semina exiliora, acrioraque: radicem crassiorem, ramosam, candidam, acrem. Folia vtriusque longis & raris capillamentis constant: tenella germina sylvestris cocta veniunt in cibos inter olera. flores vtrique lutei, qui crudi placent inter obsonia; nam subacres, & aromatici. Dioscorides Marathron vocat ipsum satiuum, quod tamquam notissimũ non describit: sylvestre autem Hippomarathron, quod inquit magnum est, & semen fert simile Cachryi: radix iucunde olet. Galenus de sylvestri Fęniculo inquit: præ magnitudine Hippomarathrum appellatum est: huius non radix modo, sed multo magis semen Cachryi adsimile est. Theophrastus Fęniculum inter olera recenset, & suffrutices Ferulaceos; nam veluti neruicaule est: semine nudo: suaue olentiam præstat: meminit & Hippomarathri, Equifęniculum Theodorus vertit, inter suffrutices Ferulaceos. Plinius Fęniculum scribit à serpentibus nobilitatum; quoniam gustatu senectam exeunt, & oculorum aciem succo eius reficiunt, vnde intellectum est, hominem quoque caliginem præcipue eo releuari: colligi succum caule turgescente: in sole siccari, & melle inungi. Laudatissimum in Iberia fieri è lachrimis & ex semine recenti: ex radicibus quoque fieri prima germinatione incisis.

cisis. est & sylueſtre, quod alij Hippomarathron vocant, alij Myſineum; foliis maioribus, guſtu acriore, procerius; radice brachiali craſſitudine, candida: naſcitur in calidis & ſaxoſis.

CAP. X.

ANETHVM ſeritur in hortis; nam folia recentia ad condimentum incoquuntur, præcipue cum recentibus Piſcolis, ſuaueolentiam ſimul, & coctionis facilitatem in ventriculo præſtantia, capillamentis conſtat Fęniculo tenuioribus, & magis odoratis: caulis cubitalis: vmbellæ latæ, conuexæ, ex tenuibus feſtucis conſtantes: floſculi lutei: ſemina depreſſa, ac rotunda, fulua, ſubacria, & odorata: annua eſt planta. Theophraſtus recenſet inter olera: ſemine nudo: ſuaueolentiam præſtat, ideo ad vnguenta vtuntur: exit à ſatu die quarto: radix lignoſa, vniſtirps, non prolixa, neque fibris multis, conſtat multis caulibus, multiſque ramis. nec Plinius, nec Dioſcorides deſcribunt, ſed ex aliis plantis Anetho comparatis facile colligitur eam eſſe, quæ nomen in hunc vſque diem ſeruat.

CAP. XI.

ANETHVM ſylueſtre in Sicilia naſcitur, grandius ſatiuo: caule craſſo: foliis amplis, vt Fæniculi, ſed odore Anethi, quamquam infirmo: vmbellis amplioribus: flore luteo: ſemine exigro fermè, vt Ameos, ſubacri: radix parua, & lignoſa: eſt annua. hac herba equos purgant; nam miro modo eius vſu vegetiores redduntur.

CAP. XII.

MEV in Alpibus naſcitur; foliis Anetho anguſtioribus, longioribuſque, & tenuioribus, crerioribuſque capillamentis: caule cubitali, & altiore: flore luteo; ſemineFæniculi oblongiore: radix nigra exterius, in longas fibras diuiſa, odore valido, ſapore amaro. Quidam Imperatoriam vocant. Dioſcorides inquit, Meon congnomine Athamanticum in Macedonia, & Hiſpania plurimum gignitur: foliis & caule Anetho ſimile, ſed craſſius, alicubi altitudinis bicubitalis: radicibus ſparſis in obliquum, tenuibus, rectis, longis, odoratis, linguam calfacientibus. Plinius duo genera facit: nobilius Athamanticum: ſeri in Italia non niſi à Medicis, & iis admodum paucis: foliis Anetho ſimile (vbi deprauate Aniſo legitur), & caule aliquando bicubitali: radicibus multis, & obnigris, quibuſdam altiſſimis, minus ruffum

quam illud alterum. An quod Anethum syluestre appellauimus ad Meu ignobilius reduci possit, grandius scilicet, sed infirmius.

CAP. XIII.

CVMINVM vulgò appellatur in officinis semen ex Orientalibus allatum: figura & magnitudine grani Hordei; odore ualido, medicato; sapore acri: colore candicante: eius planta annua est, breuior cubito: foliis paucis, raris capillis: vmbellas paruas fert in summis ramulis rotundas: flore candido: semine hoc non solum medici vtuntur ad dolores internos, præcipue à flatu excitatos, sed & veterinarij cataplasmata conficiunt digerentia ad Equorum dolentes articulos, atque alia multa; columbariis quoque inserunt, vt eius odore columbas alliciant, tritum cum calce condentes. An vero hoc fuerit Cuminum satiuum apud antiquos, an aliquod genus syluestre, ambiguũ est. Quo minus satiuum esse affirmem illud facit; quia non est ori gratum, vt panibus in spargi possit pro cõdimento, nec pusillum semẽ est, vt Theophrastus testatur, nec vllo pacto cõferri potest cum Ammi, vt vult Dioscorides; idcirco inclino magis in alterã sententiã, vt sit primũ genus Cumini syluestris, quod à Dioscoride hoc pacto describitur: Plurimũ nascitur, & efficacius in Galatia, Lycia, & Hispania ad Cartaginem: frutex paruus; dodrantali caule, ac tenui: quatuor, aut quinque foliis, tenuibus, veluti serratis, diuisum Gingidij: in cacumine capitula quinque, aut sex, mollia, rotunda, in quibus semen acerosum, satiuo acrius: nascitur in collibus: hæc Dioscorides, nec mirum, capitula vocari ipsas vmbellas, nam & alibi capitula Anethi vocat: semen autem acerosum vocat, quasi furfurosum; nam cortex veluti in furfures abscedit: folia veluti serrata, significãt foliorum ramulos in longitudinem productos: capillis vtrinque dispositis, vt in Millefolio, qui Stratiotes à Dioscoride vocatur, cuius folia pennis auium, & Cumino syluestri comparantur. possent tamen pro Cumino syluestri alia semina hirsuta ostendi, quę verius acerosa dici possint, vt eius, quæ inter Saxifragias numeratur: exili semine, vt Ameos valde hirsuto, & vehementis acredinis, & inter eas, quas pro Gingidio ostendimus: seminibus non in vmbellas, sed capitulis inter folia hirsutis, at non valde acribus. Plinius inquit. Cuminum syluestre est prętenue: quaternis aut quinis foliis, veluti serratis: efficacius satiuo: sed alterum Cumini syluestris genus traditur à Dioscoride, cornicula ferens elata: semine Melanthij, de quo alibi dicendum est; non enim inter Ferulacea continetur, & præter folia, nihil comune habet cum aliis Cumini generibus.

CAP. XIIII.

CVMINVM ſatiuum exiſtimo ſemen quoddam exiguum, quod ex Orientalibus adfertur, Ameos nuncupatum in officinis; acre eſt, & iucundum: ſed plantam adhuc videre non licuit: ex eo genere illam eſſe puto, quæ ſeritur in Hiſpania, Viſnagam vocant, cuius vmbellæ, vaſculi modo clauduntur, vt Staphilini: vtuntur autem iis ad repurgandos à prandio dentes, ob ſuaueolentiam: planta cubito altior: foliis rarioribus, quam Fęniculi, nec adeo capillaribus, ſubcandidis: floribus albis: ſeminibus exiguis, oblongis, acribus, odoratis: annua eſt planta. Dioſcorides de ſatiuo Cumino inquit: ori gratum eſt, præcipue Aethyopicum, quod Hippocrates regium vocat, cui Aegyptium ſuccedit: vltimo, quę in reliquis regionibus naſcuntur. eorum vſus excalfacere, aſtringere, ſiccare, tormina inflationeſque diſcutit decoctum, & alia multa pręſtat remedia, ſed colorem bibentium, aut illinentium mutat in pallorem. Teſtatur Galenus Cumini ſemen cibis inſeri, quemadmodum Aniſi, Caui, Liguſtici, & Petroſelini. Theophraſtus quoque inter olera recenſet, ſemine nudo anguſto, inſtar liturę (ſic enim interpretor verbum γραμμώδη neſcio qua ratione Theodorus, canaliculatum vertit) eſſe autem Cumini ſemen omnium fęcundiſſimum, quia puſillum eſt, alibi minimum ſeribit, ſed quod maxime fructificat: radix exigua pęnitus eſt, cum omnibus viribus ſuperiora petat, inter æſtiua: nocet pluuia poſt ſatum.

CAP. XV.

AMMI oritur in Ilua, ſemen omnium minutiſſimum, punctis nigris ſimile, acerrimo ſapore, ac ſuaui, ſpecie Origani: planta cubito minor: foliis initio Nigellæ, ſed procedente tempore anguſtioribus capillamentis, ſpecie Milleſolij: ramulos fert tenues: vmbellas capillaceas: floſculos candidos: colligi ſemina ob exilitatem nequeunt ſeiuncta à ſuis vmbellis: ſapor tamen & illis ineſt acris, & ſuauis. Dioſcorides inquit, hoc quoque Cuminum Aethyopicum appellatum eſſe, ſecundum aliquos diuerſum ab altero: exiguum ſemen notum Cuminum longe minus, Origanum reſipiens: eligēdum autem purum, minime furfuroſum. Plinius inquit, eſt Cumino ſimillimum, quod Græci vocant Ammi: quidam idem eſſe putant cum Aethyopico Cumino: plerique alterius naturę in totum putant; quoniam ſit exilius, & candidius, ſimilis autem huic vſus; nam & panibus Alexandrinis ſubigitur, & condimentis interponitur. At noſtrum Ammi nigrius eſt Cumino,

vnde

vnde colligere licet, Aethyopicum Cuminum nigerrimum esse. Est autem quædam pusilla, quę in asperis apricis nascitur inter saxa: paucis foliolis, rarioribus capillis, subcandidis: cauliculo exili, non vltra duos dodrantes: ramis tenuissimis instar filamenti: quibus flosculi candidi, ceu flocci arescētes in sparsis vmbellis: semen in Autumno figura Apij, exilius, nigrum, & aromaticum; acre: radix subrotunda in tres, aut quatuor ramulos diuisa: sapore acri, & amaro. Quidam Saxifragam vocant: Arbitror Cuminum Aethyopicum dici.

CAP. XVI.

DAVCVM Creticum semen est ex Creta nuper allatum, longius, & angustius Fęniculo, candicās, lanuginosum, acre, odoratum; sed eius plantam adhuc videre non licuit. describit autem Dioscorides in hunc modum: Daucum aliqui Daucium vocant: Genera eius tria: Creticum foliis Fęniculo simile, minoribus, & tenuioribus: caule dodrantali: vmbella Coriandri: flore albo: semine acri, candido, hirsuto, suauissimi odoris in mandendo: radix digiti crassitudine, & dodrantis longitudine adolescit: nascitur in saxosis, & à sole illustratis. Plinius, de eodem inquit, probatissimum in Creta, mox in Achaia, & in siccis vbicumque natum, Fęniculi similitudine: candidioribus foliis, & minoribus, hirsutisque: caule pedali, recto: radice suauissimi gustus, & odoris: Hoc genus in saxosis nascitur meridianis, apud nos in collibus saxosis, nascitur herba Fęniculo simillima, breuior, candida: ramis in latera tendentibus: flore candido: semine farcto, breui, vulgo Fende saxum vocant: vtuntur pro Saxifraga.

CAP XVII.

DAVCVM montanum apud nos in Alpibus nascitur; semine alioqui Cretico simile, sed nequaquam lanuginosum, acre, & valde odoratum: eius planta foliis constat non capillaribus, vt Fęniculi, sed specie Staphylini longo pediculo in adnexu folioso, prædura hæc, & odorata: caulis striatus, cubitalis, reperitur breuior, non vltra dodrantem: Vmbellæ clauduntur, vt Staphylini: radix singularis, in altum descendens, vt Pastinacæ: Dioscorides inter genera Dauci, secundo loco describit in hunc modum: syluestri Apio simile est, idest Oreoselino, acre, odoratum, aromata olens, feruentis gustus, probatissimum Creticum. Plinius tertio loco recenset inquiens: est simile Staphilino syluestri: semine oblongo: radice dulci.

CAP. XVIII.

DAVCVM campestre herba læto solo, & in agrorum limitibus vbique frequens in æstate: caule cubitali, crasso: frequentibus foliis, capillaribus, vt Fæniculi, crassioribus: vmbellas fert latas, tres, aut quatuor, initio conuexas, capitulorum modo herbaceas, quibus postea flosculi insunt candidi: accedente autem ad perfectionem semine, concaue, redduntur, reflexis ad medium corymbis, vt in Staphylino, & tamdem clausæ vasculum efformant, in quo multa semina continentur parua, in rotunditate oblonga, sapore acri, & amaro: radix alba est, acris, & odorata, sed lignosa. Dioscorides tertium genus Dauci inquit assignatur: foliis Coriandri: floribus albis: capite, & fructu Anethi: vmbella Staphylini: semine oblongo, ceu Cumini, acri, profectò si Cuminum semen illud pusillum est, quod à nobis indicatum est pro Ameos vendi, similitudo huius maxime congruit: folia autem Coriandri, cum sint varia, hac ratione non conueniunt cum hoc Dauco, sed quæ in summis caulibus ad Fæniculaceam ferme tenuitatem scissa sunt, quadrare possint. Plinius de hoc loquens post Creticum inquit: reliqua genera vbique nascuntur: terrenis collibus, limitibusque, nec nisi pingui solo: foliis Coriandri: caule cubitali: capitibus rotundis, sępe pluribus ternis: radice lignosa, sed cum inaruerit superuacua: semen eius Cumino simile, prioris Milio album, acre, odoratum omnibus, & feruens: secundum priore vehementius est, ideoque parce sumi debet.

CAP. XIX.

CAVCALIS vbique in aruis nascitur, similis Dauco campestri, sed foliis varie diuisis, vt in Coriandro; nam prope radicem sectiones longes sunt, ac subrotundę, ęquiter in ambitu serratæ, ac ęques; procedente tempore, cum caulescit, folia tenuios & inæqualiter scinduntur, & tamdem redduntur Dauco prædicto similia, subcandida, & subhirsuta, rariora quam Dauci: caulis candidus, ab imo ramosus, cubitalis, & amplior: vmbellas fert capillaceas, tactu aspero, quæ nequaquam clauduntur, vt in Dauco flosculi candidi: semina parua fere, vt Ammi; idcirco pro Ameos hodie à plurimis accipitur, sed pauca inest acredo, cum aliqua amaritudine, nõ insuaui: radix candida est, ramosa, & parua, gustui non ingrata, coquitur in cibis, vt Pastinaca sylueſtris. Dioscorides de Caucali inquit; ab aliis sylueſtre Daucum vocatur: cauliculo dodrantali, aut maiore, subhirsuto: foliis Apio similibus, sed in cacumine Fęniculi modo, tenuiter diuisis, hirsutisque: can

dida

dida in ſummo vmbella, odorata: recipitur inter olera: eſtur cruda, & decocta: vrinam mouet: Plinius inquit, eſtur & Caucalis Fęniculo ſimilis: breui caule: flore candido: cordi vtilis: recenſetur inter herbas vulgares in cibo. Theophraſtus ſimiliter recenſet inter olera: pes Gallinaceus vertitur à Theodoro.

CAP. XX.

CAROTA vulgò in Etruria appellatur radix Paſtinacę ſimilis, paulo breuior, aliquando craſſior, carnoſa, colore ſanguineo, intus & extra, reperitur & Buxei coloris: comeditur decocta prius in aqua, deinde ex oleo & aceto parata, aut in patinis addita ſapa: vſus eius hyeme: folia fert prælonga, craſſius diuiſa, quam Fęniculi, tenuius quam Cicutæ, ſubhirſuta: caulem cubitalem: vmbellas clauſas, vaſculi modo: flore candido: ſemine paruo, vt Anethi, hirſuto, ſubamaro: ſeritur in hortis inter olera. hæc ab antiquis non deſcribitur, quia forte illis vt nobis notiſſima erat inter olera. puto autem apud Gręcos Staphylinum ſatiuum eſſe, ſic appellatum à colore vuæ nigrantis. De hoc inquit Dioſcorides eaſdem vires habere, quas Staphylinus ſylueſtris, ſed minus efficaces, & cibo aptiorem eſſe. Plinius Paſtinacam vocat, quod Græci Staphylinum. De ſatiua autem inquit: ſeritur radice vel ſemine, primo vere, vel autumno, ſolo quam altiſſime defoſſo, annicula vtilis eſſe incipit, bina vtilior, gratior autumno, patiniſque maxime, & ſic quoque virus illi intolerabile eſt. Theophraſtus hanc vt puto Daucum vocauit, quam Theodorus Paſtinacam vertit: inquit enim in Arcadia naſci colore Croci, inſinuans radicem Buxei coloris: ſed verbum inibi interpoſitum Daphnoides poſtponendum puto, vt herbam propriam ſignificet, non conditio ſit Paſtinacæ: quæ enim Lauri ſimilitudo eſſe poſſit in vllo genere Dauci aut Paſtinacæ? niſi Paſtinacam noſtram intelligat; latifolia enim eſt, vt particulæ quamdam Lauri ſpeciem habeant. ſcribit præterea in agro pratenſi præſtantiorem cæteris naſci: huic vis calfactoria eſt; radix nigra: & alibi, in agro Spartenſi Achaiæ laudatiſſimam referunt: naturam calfactoriam: radicem nigram. ex quibus inſinuat illud genus, quod ſanguinei coloris eſt, niger enim appellari ſolet, huius modi color, vt vuæ nigræ, & vini nigri.

CAP. XXI.

STAPHYLINVS ſylueſtris, quod vulgò Paſtriccianum vocant, radices fert candicantes, Paſtinacæ ſimiles, longe minores, quæ diutius elixæ more Carotarum in patinis parantur hyemali tantum cibo:

cibo: frequens est in aruis, etiam in gracili solo, & saxoso: folia fert hirsuta, minora quam domestica: & caulem cubito altiorem: vmbellas foliolis quibusdam circundatas, quod fere omnibus his contingit, quæ in vasculi speciem clauduntur: flore candido, sed initio purpurascente: semina in vasculo numerosa, hirsuta, & quasi pungentia, paulo latiora satiuo. extant quoque huius plures differentię, magnitudinis tantum & paruitatis: id quod maximum est, Daucum marinum vocant, cuius seminibus officinæ pro Dauco vtuntur. Dioscorides hoc modo describit: folia habet Gingidij latiora, subamara: caulem rectum, scabrum: vmbellam similem Anethi, in qua flores insunt candidi, & in medio purpureum quiddam, ac ferme croceum: radix digiti crassitudine, dodrantalis, odorata, quæ cocta manditur. Plinius Pastinacam erraticam vocat, quæ efficacior in medicinis quam satiua, magisque in petrosis nata. Galenus in alimentis Daucum vocari tradit à quibusdam ipsum Staphylinum sylueſtrem, qui mendicamentosior est, multumque est elixandus, siquis eo vesci velit, & in simplicium censu vtrumque Staphylinum Daucum vocari tradit: agrestis quidem inquit domestico minus est esui idoneus, cæterum in omnibus vehementior: at domesticus esui aptior, sed imbecillior: acrem & calfaciēdi facultatem obtinet, ac proinde etiam extenuandi: certe radix pręter iam comprehensa flatuosum quiddam obtinet, ac venereum: semē autem domestici quidem, & ipsum quamdam ad Venerem ciendi potentiam obtinet: Agrestis vero plane flatu caret, ac proinde vrinam, mensesque ciet. Iterum sub nomine Staphylini inquit; Staphylinus satiuus imbecillior: agrestis ad omnia potentior est: vrinas, mensesque prouocat, tum herba quidem tota, tum maxime semen, & radix: habet porro etiam abstersorium in se quippiam. Quamobrem vlcera phagedęnica quidam foliis eius cum melle, quo pura reddant, illinunt.

CAP. XXII.

GINGIDIVM apud nos est sylueſtre quoddam olus, quod passim oritur in ruderibus, & vineis, lappas ferens, quæ vestibus pertinaciter hærent. herbula est parua: foliis Staphylini, longe minoribus, ac minus hirsutis, odoratis, quæ pro Apio aliquando venduntur: cauliculum habet tenuem, cubito breuiorem, hirsutum: paruas vmbellas, flore candido: semina Fæniculo proxima, in rotunditate oblonga, herentia vestibus. extant & huius differentiæ quædam magnitudinis & paruitatis, inter quas vna est, quæ fructus inhęrentes ramis fert nullo pediculo, quam aliqui Cicutariam vocant; nam eius foliola, magis ad Cicutæ incisuras accedunt. Dioscorides de Gingidio inquit: plurimum

nasci in Cilicia & Syria: herbula est similis Staphylino sylvestri, tenuior, & amarior: radiculam habet subalbidam, amarescentem: venit in olera, & cruda, & cocta, & condita. Galenus in alimentis coniungit Gingidium in Syria nascens cum Scandice, quę oritur apud nos; nam vtrumque stomachum iuuat, seu crudum, seu elixum, sed elixationem diuturniorem non tollerat: at medicamentum potius quam alimẽtum: habet enim perspicue astrictionem, & amaritudinem non mediocrem. Plinius seri inquit in Syria, herbam Staphylino simillimam, quam alij Gingidium vocant, tenuius tamen, & amarius, eiusdemque effectus est, crudum coctumque, magna stomachi vtilitate; siccat enim ex alto omnes humores eius.

CAP. XXIII.

QVAEDAM in collibus asperis nascitur semine grandi prope nuclei oliuarum magnitudine, striato, & valde hispido, colore candido, medulla intus non iniucunda: eius planta breuis est, dodrantalis: foliis Staphylino minutioribus, & tenuius scissis, fere vt Fæniculi: vmbellas paruas Gingidio similes fert: floribus candidis, latifoliis. hanc congenerem Gingidio statuo: quamuis particularem eius mentionem apud authores non reperio.

CAP. XXIIII.

SCANDIX, vulgò Acicula à nostris dicitur; frequens in agris inter segetes, fruticosa: dodrantalibus ramis: foliis minutissime scissis, vt Chamęmeli: in cacuminibus flosculi sunt candidi, longis veluti stilis insidentes, similitudine acus: in his detracto putamine semen continetur, nigrum, & oblongum, gustu non insuaue, vt neque folia. Dioscorides de Scandice inquit olus est sylvestre, amarum, subacre, quod manditur, crudum, & coctum, stomacho & ventri vtile. Galenus eadem confirmat coniungens cum Gingidio, sed plantam nemo describit. tantum reperio apud Theophrastum, Scandicis mentionem inter eas plantas, quarum caules humi procumbunt, vt Maluæ, Cucumeris sylvestris; quo in loco non ἐπετειόκαυλα, idest annicaulia legendum puto, sed ἐπιγειόκαυλα, idest humicaulia, vt opponatur eis, quæ dixit recticaulia, & neruicaulia. Plinius Scandicem inter olera sylvestria recenset & vilia. Aristophanes obiecit Euripidi matrem Scandicem venditasse non olus legitimum, Anthrisco similem esse. Hermolaus appictam vidit Scandicem in vetusto codice Dioscoridis: folio fere Fæniculi, cum corniculis in summo: floribus luteis, siue albis: hac

ipsa

ipsa specie in syluis reperiri: frutice odorato: flore candido. Ex his significatur planta, quam descripsi: nam & inter antiqua nomina apud Dioscoridem Acucula appellata est à similitudine acus: ob eamdem rationem Anthriscus dicenda est ea, quæ Acus muscata appellatur: fructu simili, tenuioribus foliis, odoratioribusque, vt suo loco ostenditur.

CAP. XXV.

CARVI in officinis vocatur semen paruum, & oblongum, gustu feruens, odore Cumini: eo Germani vtuntur pro Anisso cum panibus subigentes. Audio eius plantam in Germania frequentem in pratis: caulibus ab eadem radice multis, quadrangulis; foliis Staphylini, minoribus multo, & rarioribus: floribus candidis: semine in summis ramis copioso, anguloso: radice oblonga, & lutea. à Dioscoride Caros vocatur, sed non describitur tamquam notissimum: semen inquit gustu iucundum, ac stomacho facile: effectu Anisi: radix eius cocta in cibos admittitur, vt Staphylinus. Hinc patet Carotarum nomen apud nos, Staphylino accomodatum; nam radix Buxei coloris Caro similis est, & simili modo æstur. Plinius Careum vocat, peregrinum semen, laudatissimum in Caria, proximum in Phrygia, culinis præcipue. Galenus in alimentis Cari radicem eum Staphylinis numerat, & melioris succi esse testatur. videtur & Athenæus inter Staphylinos recensuisse, cum inquit: quod Caros vocatur, magnus est Staphylinus, seu vt vertunt, magna est Pastinaca, quæque facile augeatur; meliorem habet succum, quam Pastinaca: magis calefacit: vrinamque magis ciet; stomacho confert: facileque digeritur, vt Diphilus est author, sed alij codices non Caros legunt, sed Carton: ponitur autem Carton à Galeno inter Cæpas, vt alibi suo loco explicatur: de magna autem Pastinaca suo loco dicemus.

CAP. XXVI.

SILAVS, vt Plinius vocat, herba apud nos in aquarum riuulis nascitur, non solum in montibus, sed & planis, numquam tamen in sicco: caule recto, cubitali, concauo, crassitudine baculi, sensim in gracilitatem extenuato: foliis amplis, vt Cicutæ, tenuius diuisis, vt Staphylini, odoratis: vmbellas fert rotundas, flore candido, seminibus oblongis, vt Cumini vulgaris, leuibus, subnigris, & odoratis: radices fert fibrosas. Plinius inquit Silaus nascitur Glareosis, & perennibus riuis, cubitalis, Apij similitudine, coquitur vt olus acidum, magna vtilitate vesicæ.

CAP. XXVII.

CICVTA in solo pingui frequens est prope vrbes: caule crasso, rotundo, ac maculoso, vltra bicubitalem altitudinem: foliis amplis, fere ad Ferulam accedenribus, diuisura Staphylini, sectionibus quasi serratis: à lateribus vmbellas capitulorum modo rotundas fert: flore candido, graue olente, vt prope accedentibus quasi murium fętor videatur, & diutius obuersantibus capitis grauitas accedat: semen est rotundum, & candidum, crassius Aniso, cuius esu aues obstupescunt, vt manu capi possint, & si amplius vertigine tentantur, ac moriuntur: radix candida similis Staphylino sylueſtri. Eadem in Alpibus reperitur, breuior, & odoratior, simili semine. Dioscorides græce Conion vocat, caulem inquit fert geniculatum, vt Fæniculi grandem: folia Ferulę, angustiora, graui odore: rami mox vmbellæ in summo prodeunt; flores albicantes; semen Aniso candidius: radix non alta, concaua: lęthale venenum ob summam frigiditatem. Theophrastus caulem inquit carnosum esse, Ferulę proximum: radicis liquamentum, quod exprimitur, infusa aqua, validius est fructu, & obitum facile, breuique affert, etiam si exiguũ potui detur, quod idem & ad alios vsus efficacius est. optimum circa Susam, & in totum locis prægelidis. succus eius cum succo Papaueris, & aliis huiusmodi obitum inferunt sine vllo dolore, drachmæ pondere, & inremediabile pęnitus. terenda autem Cicuta prius detracto tegmine; nam id difficilem reddit, & confici contumacem, & affusa aqua prætenui cribro trasmittenda, iis qui bibunt, obitus celer, & facilis occurrit. Plinius Cicuta inquit venenum est publica Atheniensium pęna, ad multa tamen vsus non omittendi: semen habet noxium: caulis autem eius & viridis estur, plerumque & in patinis. lenis hic & geniculatus vt Calami, nigricans, altior sæpe binis cubitis, in cacuminibus ramosus; folia Coriandri tenuiora, graui odoratu; semen Aniso crassius: radice concaua, nullius vsus: semini & foliis refrigeratoria vis, quæ si necat, incipiunt algere ab extremitatibus corporis. Galenus Cicutæ potu quoddam amentię genus fieri ttadit, quod Conion ab ipsa Cicuta vocatur: in remediis autem nemo auderet propinare, sed extrinsecus obstupefaciendo, sæpe commodissimum fit remedium ad ingentes dolores erisipelata, vlcera serpentia, ad mammas lacte priuãdas & coercendas, testiculos refrigerandos in intempestiua nocturna pollutione: vsus est succi ex cacuminibus, priusquam inarescant, addensati in sole, vt pastilli arescant. Ad epotam autem Cicutã remedio est; post vomitionem, & alui subduxionem vini generosi & meracis potio repetita vt alia, quę apud Dioscoridem leguntur in venenorum remediis.

CICV-

CAP. XXVIII.

CICVTARIA in collibus nascitur locis humectis, Cicutæ simillima; sed breuiore caule, striato: foliis quoque minoribus, ac tenuius scissis, non insuaui gustu: vmbellis paruis: flore candido: semine longo, & angusto, lęui, subnigro, vel candicante: radice candida, vt Cicutæ, breui, quæ cocta estur, vt Staphylini sylueſtris. Alia in Alpibus nascitur, hirsutior: seminibus grandioribus, veluti Auenæ. Tertia odore ac sapore Fæniculi domesticam, vnde Alpini Finocchiellam vocant, in cęteris antedictę similis: breuiore caule: grandioribus seminibus, veluti festucis angulosis: tota odore ac sapore præstat: recipitur inter olera. A Dioscoride Myrris vocatur, Cicutæ simillima caulibus, & foliis: radicem habet modice oblongam, teneram, rotundam, odoratam, cibo non insuauem: cocta in sorbitione tabidis vtiliter datur: tradunt præsumptam in vino bis, teruè in die, in constitutionibus pestilentialibus præseruare à peste. Plinius inter Gerania secundum latinorum sententiam inquit est Myrris appellata, similis Cicutę: foliis minutioribus: caule breuiori, rotundo, saporis, & odoris iucundi.

CAP. XXIX.

PANCASEOLVS vulgò appellatur in montibus nomine confecto, ex pane & caseo, quorum vicem in cibis explet radix, quæ rotunda est & tuberosa, effigie Tuberis, exterius nigra, intus candida, tenera, sapore dulci, ideo cruda estur: ab radice folia exeunt parua, rotunda specie Geranij vulgaris, aut Anemonę, magis diuisa, cauliculus altitudine duorum dodrantum, tenuibus ramis, paucis foliis, iisque tenuius incisis, in cacuminibus vmbellæ, flore purpureo: seminibus Fæniculi, paulo longioribus, odoratis, acribus. Dioscorides Geranium vocat, quod scilicet primo loco eo nomine describit in hunc modum: foliis constat Anemonæ, diuisuris longioribus: radice subrotunda, dulci ad mandendum, quæ in vino pota drachmæ pondere, discutit vuluæ inflammationes. Plinius similiter inter Gerania secundum Græcorum sentētiam iisdem fere verbis hac ostendit secundo loco inquiens, alterum foliis Anenomes, diuisuris longioribus, radice Mali modo rotunda, dulci, quæ reficientibus se ab imbecillitate, vtilissima est.

CAP. XXX.

PYRETHRVM, apud nos in paluſtribus naſcitur: radice nigra, breui, diuiſa in fibras, ſpecie Meu, odorata, amara, linguam non ſtatim exurente, ſed cum pluſculum manſa fuerit: folia fert Staphylini ſylueſtris, tenuiora: caulem cubitalem, rectum, lęuem: vmbellas tres, aut quatuor, in cacumine: flore ſubrubente: ſemina compreſſa, & rotunda, figura Lentis, nigra, & feruentia. Clanarum incolæ Imperatoriã vocant: exhibent radicem in vino maluatico drachmę vnius pondere ad dolores colicos magna efficacia; nam vehementer digerit flatus, & vrinam promouet. Alterum autem eſt Pyrethri genus, quod affertur ex Oriente, radix eſt alba, prælonga, digitali craſſitudine, recta, feruentiſſimo guſtu, ſine odore, ſed plantæ reliquas partes adhuc videre non licuit: tradunt in Gallia eius plantam Anthemidi ſimilem foliis, & flore. Dioſcoridis deſcriptio radiculæ, quæ affertur ex oriente ſatis conuenit, inquit enim: radix eſt longa, pollicis craſſitudine, guſtu feruidiſſimo: folia, & caulem fert Dauco ſylueſtri & Fæniculo ſimilia, vmbellam Anethi rotundam. Quo in loco Aldimus codex græcus non τροχοτιδὴς, id eſt figura trochi, ſed τριχοτιδὴς, ideſt capillaceam ſcribit.

CAP. XXXI.

SESELI Maſſilienſe oritur in marittimis harenoſis: lato frutice, candicante: caule contorto, multis ramis, foliis Fęniculi, denſis, latioribus, craſſioribuſque: flore candido: ſemine farcto, candicante, ſtriato, breuiore, quam Fęniculi, acri, odorato: radicem habet profundam, candidam, & odoratam, copioſa eſt in marittimis Piſanis: quidam Fęniculum marinum appellant. Dioſcorides deſcribit hoc modo: folia habet Fęniculi craſſiora: caulem vegetiorem: vmbellam Anethi, in qua ſemen oblongum, anguloſum, guſtanti ſtatim acre: radix longa eſt, iucundi odoris. Apud Theophraſtum & Plinium mentio quidem reperitur, & non deſcriptio: nam Theophraſtus in Archadia naſci tradit Seſeli, ſed quod genus intelligat, incertum eſt. Plinius Maſſiliẽſe optimum inquit; lato enim grano eſt, & fuluo, ſed his notis Peloponenſe potius indicat, vt mox patebit. Ariſtotiles tradit ceruas à partu Seſelim herbam petere, &, cum ederint, ad prolem redire, purgat enim à partu, vrinam mouet, thoracem expurgat, menſes, & partus trahit, & ſemen & radix. recentiores medici Seſeli corrupto vocabulo Siſeleos vocant, & Siler. quoddam campeſtre, quod Maſſilienſe eſt; quoddam montanum, ideſt Peloponenſe.

SER-

CAP. XXXII.

SERMONTANVM vulgò appellatur, & Siler montanum, semen in officinis, longius, & crassius Fęniculo, striatum, cum quadam grauitate odoratum, instar Cumini vulgaris: vnde quidam Plato cyminum, idest latum Cuminum vocant. eius planta in nostris Alpibus prouenit, alioqui similis vulgari Peucedano, quam nigram Libanotidem appellauimus, sed foliorum particulæ breuiores, & latiores sunt, figura ferme Polygoni: integrum autem folium in multam latitudinem extenditur: radix candida, & profunda; caulis cubito altior, rectus: vmbellæ latæ: flos candidus: prouenit locis vliginosis prope riuulos. Dioscorides Seseli Peloponense vocat, de quo inquit: folia habet Cicutę latiora, & crassiora; caulem supra Massiliensis magnitudinē, ferulaceum: & latam in cacumine vmbellam, in qua semen latius, odoratum, & carnosius insidet: nascitur in asperis, riguis, & collibus: inuenitur etiam in insulis. Plinius Peleponensis quidem non meminit, sed notas, quę huic conueniunt, Massiliensi tribuit; latum enim inquit, granum est & fuluum: eisdem autem viribus prędituū est, teste Dioscoride.

CAP. XXXIII.

SESELI Creticum apud nos in syluis nascitur, tractu marittimo, & collibus harenosis: pauca fert folia, inflexa ad terram, Apij modo diuisa, paruis, & raris segmentis, crassis, & præduris, quæ ex prælongis, & patulis pendent pediculis: caule singulari constat, rotundo, ac subnigro, cubitali: in cacumine duas, aut tres vmbellas gerit: flore ex albo subrubente: semina fert in rotunditate, compressa, magnitudine Lenticulæ, circulo quodam foliaceo circundante, subfulua, acria & odorata: radice constat singulari, in altum demissa, & odorata, & alba. Dioscorides de Seseli Cretico inquit: Tordylium alio nomine appellari, iuxta Ciliciam in Amano monte nasci herbulam surculosam: semine duplici, rotundo, scutulorum effigie, odorato, subacri: hoc potu difficultatem vrinæ tollit, & cit menses: succus recentis caulis cum semine renes sanat decem diebus haustus ternis obolis cum passo: radix cum melle delincta efficax ad pectoris excreationes. Plinius Creticum Seseli omnium odoratissimum statuit: alibi Tordylem inquit semen Silis dici à quibusdam, ab aliis herbam per se esse, quam & Syreon vocauerunt, de qua aliud non tradit, quamquod in montibus nascitur. Altera est in montibus similis prædictæ: sed pluribus ab eadem radice caulibus, striatis: foliis longioribus, tenuius incisis, subrectis: radice constat

in

in multos ramos distributa, & subnigra: semina in totum similia: idcirco & hanc Tordylio congenerem statuo.

CAP. XXXIIII.

SESELI Aethyopicum nigrum est semen, Olusatro simile, striatum, in suis corymbis farctum, tactu asperum, durumque, in mandendo odoratum, & suaue cum quadam amaritudine, & astrictione. Eius planta in harenosis nascitur, reperitur & inter segetes, peculiarissimum huic, quod in hoc genere sola ferme folio constat integro nulla ex parte scisso, nec serrato, sed vt in cæteris plerisque Ferulaceis folij pediculus geniculos cingit; sic in hac folium ipsum veluti pediculus est dilatatus, caulem circumdans, vt in Smyrnio, figura vmbilici, oblongum, vt in Periclymeno: longiora adhuc sunt, quæ prope radicem, lęuia, neruata, subcandida. Quoniam vero caulia folias permeare videtur, vulgò quidam Perfoliatam vocant: caulem fert rotundum: ramis in latera tendentibus, non vltra cubitalem altitudinem: ex vmbilicatis foliis vmbellæ prodeunt flore luteo: corymbi quoque seminis vmbilicis inclusi: laudant recentiores ad glutinanda vulnera, & vlcera tum externa, tum interna, ad puerorum ramices, & vmbilicos prominentes: radix parua inutilis. Dioscorides Seseli Aethyopicum sic describit: folia habet Hederæ minora, & ad Periclymeni modum oblonga: frutex nigricat, palmitibus fere ad bina cubita extensis: ramis dodrantalibus: capitulo Anethi: semine ceu Tritici, denso, nigro, acriore, & odoratiore, quam Massiliense, multum suaui: cui ædem vires, quæ Massiliensi. Quamuis autem ea, quæ apud nos oritur, non ad eam magnitudinem accedat, scilicet bicubitalem, non ob id neganda est ad Seseli Aethyopicum pertinere: extat quoddam genus paruum, foliis Graminis.

CAP. XXXV.

ALTERA est, quæ pro Sesili Aethyopico ostenditur, fruticosa, virgis prælongis, foliis Oleæ, longioribus, candicantibus, in ca cumine vmbella, flore luteo.

CAP. XXXVI.

BATICVLA vulgò appellatur, & corrupto magis vocabulo Baciucco, quæ latinè Batis dicitur, herbula fruticosa in scopulis maris, quæ & seritur in ædificiis, oleris gratia: folia fert breuia, & crassa,

diuisa

diuisa in foliola, Portulacæ similia, acutiora tamen, & inæqualia, subcandida, sapore salso, & subacri, odorata, quę in cibis assumuntur, & cruda, & cocta, sed præcipue placent aceto condita: cauliculos fert dodrantales: & in cacumine vmbellam, flore candido; seminibus rotundis, angulosis, molli putamine, quod in arescente semine abscedit ab interno nucleonigro: acria & hęc, & multum odorata. Alterum genus ex Sicilia habetur, grandius: foliis tenuius incisis, odore Apij, sed sapore Baticulæ: caules fert cubitales in Autumno, ex lignosis ramis, in terra procumbentibus, crassis: vmbellas candidas: semina altero candidiora, modice oblonga, striata, odorata, & gustu feruentia: è caulibus recentibus incisis, lacteus succus emanat, qui concrescit in lachrymam subrufam: radices vtrique ramosæ, & candicantes: vtræque vrinam mouent, sed efficacius id, quod maius est; nam renes, & vesicam miro modo purgat. Dioscorides Erithmum vocat: fruticosa inquit, & vndique foliosa herbula est, cubiti altitudinem ferè petens: nascitur in marittimis, & petrosis: foliis pinguibus, numerosis, albicantibus, veluti Portulacæ, latioribus, & longioribus, salso gustu: flores candidi sunt: & semen ceu Libanotidis odoratum, molle, rotundum, quod siccatum rumpitur, habet intus Tritici modo nucleum: radices digiti crassitudine, tres, aut quatuor, grati odoris, & iucundi: Estur crudum, coctumue in olere: seruatur etiam in muria. ex his Dioscorides cum herbulam vocat foliis Portulacę innuit nostram Baticulam, quasi paruam Batim; cum vero cubitalem altitudinem tribuit, alterum genus significare videtur grandius. Plinius vtrumque distinguit, tradens Batim hortensem diuersam à Chrithmo, quam Crethmon agrion vocat, idest syluestre: inquit enim Crethmon ab Hippocrate admodum laudatum inter eas, quę eduntur syluestrium herbarum. Hancque apud Callimachum apponit rustica illa Hecale, speciesque est Batis hortensis: caulis palmum vnum altus: semen feruens odoratum, ceu Libanotidis, rotundum: siccatum rumpitur: habet intus nucleum candidum, quem aliqui Cachrym vocant, folio pingui, albicante veluti Oliuæ, crassiore, & salso gustu, reliqua ad verbum ex Dioscoride transcribit: alibi de Bati inquit; aluum mollit: illinitur podagricis tosta, & contusa.

CAP. XXXVII.

APIVM domesticum vulgò Petroselinum vocatur: seritur id in hortis præcipue vmbrosis: foliola fert prælongis & ramosis pediculis, in extremo laciniata, mollia, odorata, gustui grata; ideo assumuntur in cibis & cruda & cocta: caulescit ineunte vere: cauliculos fert rotundos, nigricãtes, tenuibus ramis ad cubitalem altitudinem,

in quibus folia diuersa spectantur ab iis, quæ ab radice; angusta enim, & prælonga sunt, rara, & indiuisa: vmbellas fert, paruas, herbaceas: semina exigua, subrotunda, acria: radice nititur singulari, & profunda, candida, carnoso cortice, quæ & petitur in cibis cocta; sed perfecto semine exarescit: diutius durat, si prohibeatur semetescere. alterum genus peregrinum, odoratius, latiore folio constat, tum ab radice, tum in caulibus, ac breuioribus pediculis: semine paulo ampliore, multo acriore, & subamaro: caule breuiori cõstat, candidiore; radix crassior, quę & diutius viuere potest. Theophrastus vtrumque genus sub nomine Selini videtur intellexisse: inquit enim, Apiorum tum in foliis, tum in caulibus discrimen vtique constat; aliud enim folio spisso, crispo, densoq;; aliud rariori, latiorique, cauleque maiori: Horum iterum aliud candidi caulis; aliud purpurei, aut versicoloris: verum ad summam eiusmodi omne sylvestri proximum est. Apio radix singularis; propagines magnas suggerit, altius quam arbores, proportione sui corporis: perpetuo viret: cacumine perdurat amissis reliquis: foliis iam perfectis caulis assurgit: suaueolentiam præstat: omnium difficillime nascitur: nam celerrimus eius prouentus est die 40, quidam & die 50: seminis ætas vetustior celerius prouenit, fructificat non anno tantum, sed etiam bimatu, licet non inter capitata: mittit tamen à latere radices, quibus folia, caulesque proueniunt; nam inter ea est, quorum radix diuturnior caule: radices æque crassas de latere mittit, non à principio, sed de medio carnosas: lætius prouenit, si aceruatim seratur; ideo in lacimiis colligatum serunt palo adacto, sic quoque transferunt. Plinius Apij rami inquit, largis portionibus per iura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent. ex Crisippo & Dionisio, marem & fęminam esse: fęminam crispioribus foliis, & duris: crasso caule, sapore acri, & feruido: marem nigriorẽ, breuioris radicis, vermiculos gignentem: vtrumq; defunctorum epulis feralibus dicatum: inimicum visus claritati: sterilescere mares & fæminas: Puerperis abdicari, nam comitiales gignit iis, qui vbera hauriunt. Dioscorides Apium hortense non describit, tamquam notissimum. De Apio Galenus vsitatissimum esse inquit, & suaue, & stomacho gratum, vrinam mouere. puto autem apud Galenum & Dioscoridem genus illud Apij latifolij, quod peregrinũ est apud nos, Petroselinon appellari, quamuis difficile sit ex solo semine, quod describitur, coniectari; iudicandum enim est, plantæ faciem non differre ab Apio domestico, cuius frequens est vsus. inquit Dioscorides Petroselinon prouenit in Macedonia, locis præruptis: semine Ameos, odoratiore, sapore acri, aromatico. Galenus Petroselini semen maxime vsui esse scribit, cum tota etiam herba vnà cum radice similẽ, sed imbecilliorẽ facultatẽ sortiatur: est gustu acre, cum amaritudine: optimum vero Macedoni-

cedonicum, præcipue angusto quodam loco & prærupto natum, quod Estreaticum appellatur, acerrimum & amarissimum, quod etiam Theriacam amariorem reddit, præsertim cum recens imponitur: oriri autem & in aliis regionibus, quamquam infirmiora, non spernenda tamen. Hęc Galenus; porro cum semen huiusmodi in conficienda Theriaca venisset ad manus sub nomine Petroselini Macedonici, satum protulit Apium latifolium, quale descripsi. Plinius quamuis ex Crisippo hoc genus Apij fęminam appellauerit; crispioribus enim foliis, & duris: crasso caule: sapore acri & feruido constat: tamen alio genere inquit Petroselinon quidam appellāt in saxis natum, præcipuū ad vomicas remediū. sed hoc ad Smyrnium forte pertinet, & quod Petroselinon appellatum est teste Dioscoride: aut verum Petroselinon Macedonicum syluestre est; huiusmodi inferius ostendetur in Saxifragia.

CAP. XXXVIII.

ALIVD genus Apij sponte nascitur apud nos locis humectis & vmbrosis, quod in officinis vulgo Apium vocatur: eoque pro Apio satiuo vtuntur, alicubi serentes in hortis, sed infirmo odore, ac sapore: folio constat latiore quam nostrum satiuum, nigriore, & magis crispo, minus ramoso; nam simplici pediculo constat, cui à lateribus folia sunt, tripartito diuisa: caulem fert striatum, crassum, mollem, multis ramis cubitalibus, in quibus folia nullo pediculo adnexa, & paruæ vmbellæ in eorum alis: flosculis cādidis: seminibus satiuo tenuioribus, & subnigris: radices fibrosas fert, candidas, quamuis hæc à plerisque Eleoselinon idest Paludapium censeatur, quod minime negauerim: paucæ enim notæ, quæ Eleoselino traduntur, huic nō desunt; tamen ab eadem video nequaquam abhorrere Hipposelini descriptionē apud Dioscoridē & Galenum, non apud Theophrastum, & Pliniū, apud quos Hipposelinon est Olusatrum, de quo paulo post dicemus. describit aūt Dioscorides Hipposelinon in hunc modum: maius, & candidius est Apio satiuo; caule concauo, alto, molli, habente veluti lineas, foliis latioribus, in puniceum vergentibus, in quibus coma Libanotidis plena flore congestis corymbis: antequam defloreat, semen nigrum, oblongum, solidū, acre, aromaticum: radix odorata, candida, gustui grata, non crassa: oritur in vmbrosis, & iuxta paludes: assumitur inter olera, vt Apium: radix cruda & cocta comeditur: folia cum caulibus decocta manduntur, ōc per se, aut cum piscibus præparantur, condiuntur quoq; muria: semina, & radix potu cient menses, & stillicidio vrinæ mēdentur. hęc descriptio nulli magis ex his, quas habemus, conuenit quam huic, non enim Olusatro; quoniam caulis ei non mollis, non lineas habet, non radix candida, non comę inter folia dependentibus corymbis, neque Leuistico appella-

to; nam radix ei magna: semen album, & mendicamentosius est quam vt inter olera assumatur: huic, quam proposuimus, candor non videtur conuenire, neque color ad puniceum vergens, neque semen oblongum & solidum: an calidius est satiuo? nam caulis satiui nigricat, huius virescit: folia & si nouellis nigriora sunt vt plurimum, vidimus tamen & ad puniceum inclinantia: seminis condictio maxime quadraret Olusatro, quod nigrum, oblongum, & solidum; huic valde exile, nigrum tamen, & solidum, & in sua paruitate oblongum, at cęteræ condictiones clarissimæ sunt, nam caulis mollis lineas ostendit, cum striatus sit, comas potius quam vmbellas fert, corymbaceas inter folia, & inter cæteras condictiones locus natalis in vmbrosis scilicet & iuxta paludes, huic maxime consentit, & comparatio foliorum Phu, & Sij cum Hipposelino idem comprobat; non enim ramosum iis inest folium, sed simplici pediculo coniugatim disposita sunt. Galenus de Hipposelino inquit, insuauius est Olusatro, vt non nisi coctũ mandatur; crudum enim insuaue est, imbecillioris virtutis, quam Oreoselinon. Theophrastus hoc genus indicauit, cum inter Apia dixit, quoddam latiore folio constare, & caule maiori, colore purpureo, aut versicolore, cuiusmodi proximum est syluestri.

CAP. XXXIX.

CRESCIONE vulgo appellatur, & herba Cannella, quę in aquis stagnantibus nascitur & limosis riuulis, ab radice longo & crasso pediculo, concauo, & recto: cui folia coniugatim disposita insunt Apio vulgari longiora, & minus incisa, sed tantum serrata, læuiora, virentiora, & magis odorata: caulem fert infirmum: ramis procumbentibus, in quibus folia breuiora multo, sæpe subrubentia, in quorum alis paruæ vmbellæ fere sine pediculo hærent, vt in Apio vulgari: floscu lis candidis: seminibus nigris, rotundis, & paruis. Alterum genus reperitur crassiore caule, subrubente, ac recto, cui vmbellæ non in alis, sed in summis ramulis: radix fibrosa & candida: assumuntur inter olera: adhibentur ad stillicidia vrinæ in cataplasmate, potu renes expurgant. Dioscorides primum illud Eleoselinon vocat, idest Paludapiũ, quod breuiter describit in hunc modum: in humidis nascitur Apio satiuo grandius, ad eadẽ efficax. Alterum autem Sion appellat, vnde nomẽ Cresionis videtur deriuatum. De Sio inquit, in aquis inuenitur: frutice pingui, recto: foliis latis, Hipposelino similibus, sed minoribus, & odoratis, quę cruda, coctaq; esu calculos rũpunt atque excernunt: aliam vero descriptionẽ Sij ex Crateua tradit, quæ Sisymbrio potius alludit: nam & Sisymbrium aquaticũ etiam Sion appellata est teste Dioscoride, & nos quo

que

que eã vulgo Crescionem vocamus: sed hæc inter Nasturtia dicenda est. Galenus non videtur distinxisse inter Sion & Eleoselinon, cum Sij tãtum meminerit, nõ Eleoselini: numerat autem inter genera Apij, inquiens, in suauius esse, vt non nisi coctum mandatur, sicut & Hipposelinon; quantum aũt gustu odoratum est, tantum calfacientis facultatis particeps est: digerit: vrinam mouet: calculos frangit: & menses euocat. Plinius de Eleoselino inquit, id, quod spõte nascitur in humidis, Eleoselinon vocatur, vno folio, nec hirsutum: alibi Eleoselino comparat Hipposelinon, sed hoc in siccis nasci, pluribus foliis, non vnico, vt Eleoselinon. ex his manifeste indicatur plãta, quam descripsi; nam sæpius vnicum ab radice foliũ attollit, quo marcescente subinde aliud exit, non statim plura, vt in aliis generibus Apij. De Sio autem inquit latius est Apio, in aqua nascẽs, pinguius, nigriusue, copiosum semine, sapore Nasturtij: verum vltima hæc nota, non Sio, sed Sisymbio traditur à Dioscoride. Existimatur apud eũdem Plinium idem esse Lauer cum Sio, herba in riuis nascens, quę condita & cocta torminibus medetur, cruda aũt calculos eicit. Theophrastus de Eleoselino inquit. Paludapiũ, vt Theodorus vertit apud aquęductus & in paludibus prouenit; folio raro, nec hirsuto, sed simili quodam modo Apio, odore, sapore, & figura, quo in loco Theodotus Μονόφυλλον idest vno folio, vt Plinius legit, sed Μανόφυλλον, idest raro folio.

CAP. XL.

SISON in locis quidem humectis nascitur, non tamen in aquis, vt Sion: folia fert in simplici pediculo distributa, vt Sion, sed minora: diuiduntur hęc tenuius prope cacumine, vt in Coriandro: caulem fert rectum, firmum, cubito altiorem; tenuibus ramulis: quibus sũmis tenues vmbellę, ac numerosæ insident: flore candido: seminibus paruis, & nigris vt Sij, acribus, odoratisq;, huiusmodi semen affertur ex orientalibus pro Amomo, quãuis passim apud nos oriatur in foueis. Dioscorides Sisonis semen tantum describit, non plantã, inquiens, exiguum semen esse in Syria Apio simile, oblongum, nigrũ, feruentis naturę, eo indigenę in cõdimentis vtuntur: Planta in cacumine granula multa gerit. Apud Galenum, Sison, & Sinon legitur, calidus, & subamarus est gustu.

CAP. XLI.

CEREFOLIVM vulgo appellatur à recentioribus inter Apia connumeratum: peregrinum est apud nos: seritur in Gallia pro olere, herbula tenui cauliculo, dodrantali, aut paulo aliore: foliis in multas partes diuisis, figura tenuioris Apij, breuioribus,

&

& magis numerosis, odoratisque: ramulos fert rectos, quibus summis numerosæ, & paruæ vmbellæ: flosculis candidis: seminibus tenuibus, & longis, figura literæ. i: tota herba prope fructus maturationem, rubescit: radicula subest parua, quæ perfecto semine exarescit cum tota planta: estur cruda & cocta vt Apium. Plinius inter hortorum herbas meminit Cęrephylli, quod Pęderota inquit Græci vocant: seritur æquinoctio autumni, sed cum nullas herbæ nothas tradat, non licet nisi ex nomine coniectari hanc esse, quæ in hunc vsque diem Cerefolium vocatur. Puto apud Dioscoridem Oreoselinon esse, de quo inquit, caule constat dodrantali, ab radice tenui, in ambitu rami sunt, & capitula Cicutæ rotunda, multo tamen tenuiora: semine oblongo, acri, tenui, odorato instar Cumini: nascitur in petrosis, & montibus, vnde appellatio Oreoselini, idest montani Apij. Theophrastus, apud quem Theodorus Montapium vocat, inquit distat a cęteris Apij generibus maioribus differentiis: folio namque Cicutę simile constat: radice tenui: caule Anethi, minore. Plinius eadem recenset ex Theophrasto. Galenus inter Apia vim Oreoselini similem inquit esse Hipposelino, sed valentiorem.

CAP. XLII.

PETROSELINVM sylueſtre vulgò appellatur, & a recentioribus medicis Filipendula: oritur passim apud nos locis humectis, & in pratis: foliis ab radice stratis, Apij tenuioris figura, tenuius quidem sectis, sed minus laciniatis: caulem fert rectum, firmum, candicantem, striatum, cubitalem, & altiorem, in quo folia, alio modo secta sunt, in particulas scilicet longas, & angustas, colore candicante: in cacumine vmbellę crassiores: flore candido: semine farcto, horrido in summo: radiculas fert plures, ab eodem capite sparsas, quæ vt plurimũ parte postrema crassescunt, similitudine nuclei Oliuarum, vt in altera Filipendula, de qua agitur in Oenante: color his niger exterius, intus candidus, sapore dulci: laudatur ad calculum frangendum, & impellendum: herba recipitur inter olera, saporis insipidi. Non ab re fuerit, si hanc Bunion dicamus apud Dioscoridem, cuius duplex reperitur mentio iisdem ferè verbis repetita, vna inter olera, altera inter herbas medicatas cum Pseudobunio: vtrobique describit in hunc modum. Caulem mittit quadrangulum, in eo multos ramulos, foliolis digiti longitudine, tenuibus, & floribus plenos: folia autem, quæ ab radice, Apio similia sunt, multo tenuiora, Coriãdro proxima (aut Tribulo, vt alij legunt) flos Anethi: semen odoratum, minus Hyoscyamo: vrinam cit, calefacit, cuocat secundas, auxiliatur lieni, renibus, & vesicæ vsus recentis, & aridi: excipitur quoque succus è radicibus suis, & caulibus, & foliis cum meli-

m elicrato. Alio modo legitur in aliis codicibus. Caulem edit quadratum, procerum, digiti crassitudine: folia autem Apio similia, & quæ sequuntur. At prior lectio foliorum diuersitatem optime exprimit, eorum scilicet, quæ in ramis, & quę ab radice. Coniicio autem hanc Bunium appellatam; quoniam radices eius extuberant, vt Buniadis, qui Napus vocatur, de quo cum Rapis agitur. Plinius tamen etiam ipsum Bunium à Græcis vocatum Napum vocat, cum inquit. Naporum duas differentias, & in medicina Gręci seruant, angulosis foliorum caulibus florentis, quod Burion vocant, purgationibus fæminarum, & vesicæ, & vrinę vtile decoctum potum ex aqua mulsa, vel succi drachma. Alterum genus Buniada appellant, & quæ sequuntur. Describit præterea Dioscorides Pseudobunium fruticulum in Creta nascentem, palmi altitudine, foliis, & ramulis Bunij, acribus. Quamuis autem apud nos multæ eius differentiæ magnitudinis & paruitatis reperiantnr, acredinem tamen in foliis, & ramulis adhuc non animaduerti.

CAP. XLIII.

OLVSATRVM à latinis vocatur, vulgò autem Macerone corrupto vocabulo vt puto, a Macedonico Petroselino; quia eius loco aliquando acceptum est: alij Alexandrium vocant: oritur in vmbrosis hortis, prope maceries, pingui solo: lętissimum autem in cimiteriis: foliis latis, ramosis, crasso pediculo, subrubente, foliorum sectiones latiores sunt palustri Apio: caulem fert cubitalem, firmũ, multis ramis striatum; luteum florem in vmbellis Anethi: semen Fęniculo grandius, durum, nigrum, & angulosum, odoratum: radicem nigram, intus albam, acrem cum quadam amaritudine, non insuauem gustui, odoratam. venit in cibos cruda & cocta, tum radix concisa, tum folia tenella, & caulis ex aceto & oleo. Alterum genus peregrinum nuper ferri cępit: foliis ab radice longe exilioribus, quasi Apij tenuifolij, in caule autem sensim grandioribus segmentis, adeo vt prope ramulorum cacumina, nulla ex parte scissa sint, sed rotunda, caulem ambiant forma acetabuli vt in Periclimeno, colore pallescente: vmbellas fert luteas; & semina altero minora, ac rotundiora, similiter dura, & nigra, odore ferme Styracis: radix breuior, ac tenuior, gustu suauior, simili modo cute nigra, intus lactei coloris: vtræq; florent vere. Dioscorides Smyrnium vocat, quod inquit plurimum in Amano monte nascitur: caulem habet Apij, & stolones multos: folia latiora, sub pinguia, ad terram infracta, robusta, odore medicato, cum quadam acrimonia iucunda, colore in luteum languescente: capitibus caulium orbiculatis vt Anethi; semine Brassicæ rotundo, nigro, acri, sapore Myrræ, vt alterum alterius

loco

loco cedat: radix quoque odorata, acris fauces mordet, succosa, mollis, cortex eius foris niger, intus viridis, aut subalbidus: nascitur in saxosis, & collibus atque squalidis, & limitibus terrenis; hæc descriptio secundum genus indicat, quod scilicet peregrinum est apud nos. Galenus vtrumque ostendit nomine Smyrnij: de primo inquit Romæ plurimum vendi, appellarique vulgo non Smyrnium, sed Olusatrum, multo acrius est, & calidius, quam Apium, quin & odorati quippiam habet, vnde vrinas prouocat vehementius quam Apium Equapium, & Sion, mensesque mulieribus mouet. Vere autem caulem producit, qui crudus vescitur, non aliter quam folia, quæ hyeme sola plantæ inerant, caulem non dum habenti, vt neque tum Apium habet, postea vero accedente caule tota planta iucundior redditur, siue quis crudam ipsam siue elixam mandat, & quæ sequuntur. Iterum in simplicium censu, de eodem inquit, Smyrnium quidam Hipposelinon sylueſtre nominant, ex eodem genere cum Apio est, & Petroselino, sed Apio quidem validius, Petroselino autem imbecillius; menses itaque, & vrinas mouet: calidum siccum in tertio ordine. omnia hæc de Olusatro intelliguntur. De altero autem genere Smyrnij inquit Cilices Petroselinon vocant, quod in Amano monte nascitur; est quidem, & ipsum Smyrnium, minus vero acre Petroselino & Smyrnio; ideo vlceribus commodum; quia siccat sine molestia, & digerit indurata; semine vtimur ad menses vrinas, & asthmata. Theophrastus Hipposelinon vocat, quasi Equinum Apium, & vt Theodorus Equapium vertit: foliis vicinum Paludapio, hirsutum: grandi caule constat: & radicem crassam modo Raphani agit, sed nigram: fructum quoque nigrum fert, magnitudine Eruo ampliorem: ad vrinę difficultates, & calculos pellendos vtile: nascitur omnibus locis, & lachryma ex eo Myrrhæ similis defluit: quidam in totum Myrrham id esse affirmant. stillat ex radice, quæ sole exsiccata & sata Equapium prouenire affirmant: radix carnosa est, cortice non crasso, palato grato, sed folia sicciora & acriora sunt, perpetuo viret, cacumine perdurat, amissis reliquis. ex his significatur Olusatrum. Plinius Olusatrum, & Hipposelinon, & Smyrneum vocari tradit, miræ naturæ, namq; lachryma caudicis sui nascitur: seritur & radice: succum eius qui colligunt, Myrrhe saporem habere dicunt: Authori Theophrasto tribuit tribuit Myrrha sata natum. Veteres Hipposelinon in locis incultis lapidosis iuxta maceriam seri, nunc & repastinato seritur a Fauonio & post æquinoctium autumni. Alibi Smyrnium vocat inquiens; Smyrnium seri; Myrrhamq; radice resipere. Alibi Hipposelinon inquit simile Eleoselino esse; sed in siccis nasci: pluribus foliis, non vnico, vt Eleoselinon. Hæc omnia de Olusatro intelliguntur: de Smyrnio autem altero, eamdem ferme ad verbum habet descripitionem, quam Dioscorides tradit.

LEVI-

CAP. XLIIII.

LEVISTICVM vulgò appellatur, quia pro Ligustico aliquando accepta est: gaudet iisdem locis, quibus Olusatrum: folia fert ab radice erecta longis pediculis, foliis Apij latifolij oblongioribus, & candidioribus, in luteum quodammodo vergentibus, odore valde medicato, non sine aliqua iucunditate: caules fert rectos, striatos, cubito altiores: vmbellas luteas, in quibus semina farcta, vt in Petroselino sylvestri, maiora Fęniculo, aliquantum compressa, & striata, multum odorata, resinacea, ex candido flavescentia: radix candida, prągrandis, succosaque. quidam hanc de Laserpitium reducunt. Censeo apud Theophrastum Libanotidem fertilem esse: duo enim genera Libanotidis tradit: Theodorus Rosmarinum vertit; sterile, & fertile: de fertili inquit: folium habet palustri Apio simile, multo maius: caulem ad magnitudinem cubiti, aut maiorem: radicem magnam, crassam, candidam, & voluti Thus redolentem: fructum candidum, scabrum, oblongum, qui Cachrys vocatur: nascitur potissimum squalido solo, atque saxoso: vtile tam fructu, quam foliis, & radice in medicamentis: radix vlceribus vtilis, & mensibus, pota in vino austero & nigro: fructus ad vrinæ stillicidia, & aures, & argemam, & lippitudinem, & mulieribus lactis habertatem facit. Plinius Libanotis inquit, locis putridis, ac macris & roscidis seritur semine: radicem habet Olusatri, nihil à Thure differentem. Quidam alio nomine Rosmarinum appellant. Duo genera eius: alterum sterile; alterum cui & caulis & semen resinaceum, quod Cachrys vocatur: foliis odor Thuris: alię vero sunt Libanotides apud Dioscoridem: foliis Fęniculi, quamuis in cæteris descriptiones consentiant.

CAP. XLV.

LEVISTICVM alterum omnino in incultis nascitur locis, squalidis, montuosis, cui folia ab radice strata in terram, dura, & lenta, breuiora altero, & vt plurimum subrubra, odorataque: cauliculum fert leuem, subrubentem, cubitalem, paucis ramis: vmbellas subrubentes, & semina nigra, parum compressa in rotunditate, oblonga: radicem fert nigram, pollicis crassitudine, non sine odore: hanc nigram Libanotidem appellare possumus, quamuis Theophrastus nigræ non meminit. Plinius hanc significasse videtur, cum dixit, radicem habet Olusatri, nihil à Thure differentem.

CAP. XLVI.

LIGVSTICVM, in Alpibus Ligurię vulgò Imperatoria vocatur: folia à radice, rotundo pediculo, & fere lignoso, ac tripartito gerit, figura herbæ Sanctæ Mariæ, sed magis in acutum desinentia, magisque serrata, terna in singulis pediculi ramulis, odorata, prædura: caulem cubitalem, altioremque, paucis foliis: semina in vmbellis figura & magnitudine Fęniculi, nigra, odorata, & acria: radix candida pollicis crassitudine, in duas aut tres prælongas desinens, odore iucundo, sapore acri: oritur in Alpibus propè riuulos: vtuntur semine in obsoniis, & radice ad stomachi dolores, & imbecillitatem, ac omnes ferme internorum noxas. Dioscorides de Ligustico inquit plurimum in Liguria nasci, in monte Apennino Alpibus contermino, vnde nomen traxit, Panaces incolæ non ab re appellant, quoniam & radice & caule Heracleotico Panaci simile est, & viribus eisdem prędituin: gignitur in altissimis, asperisque montibus, & vmbrosis maxime circa fluenta: cauliculum fert Anethi geniculatum, tenuem, & in circuitu folia Meliloti, molliora, odorata, prope verticem graciliora, & magis diuisa: in cacumine muscarium, in quo semen nigrum, solidum, & oblongum, Fęniculo proximum, gustu acre, & aromaticum: radix candida Heracleotici Panacis similis, odorata: semine vtuntur indigenę pro Pipere in obsoniis. Adulteratur semine simili, quod amarum est, admixto Fęniculo, aut Sesili. Theophrastus meminit Ligustici inter odorata, quibus ad vnguenta vtuntur. Plinius Ligusticum inquit sylueſtre est, in Liguriæ suæ montibus seritur, vbique suauius satiuum, sed sine viribus: Panacem alij vocant: eamdem puto apud eumdem inter Panaces appellari Pharnaceon, à Pharnace rege cognominatum: seritur inquit hoc: longioribus quam cętera foliis, & serratis: radix odorata in vmbra siccatur, vinoque gratiam adiicit. huius genera duo fecere, alterum leuioris folij; alterum tenuioris: per alterum autem genus tenuioris folij, intelligi puto herbam in omnibus fere Alpibus frequentem, quę & in plana descendit, vmbrosis tamen locis, Imperatoriæ simillimam, sed sine odore: foliis tenuioribus, mollioribus, pediculis non rotundis, sed excauatis: radice breui: vmbella candida: seminibus, gustu insuauibus: hanc Pseudoligusticum appellari posse censeo, cuius semine adulterari legitimum Ligusticum testatur Dioscorides.

QVAB-

CAP. XLVII.

QVAEDAM in montibus nascitur Ligustico maior: foliis latioribus, rotundioribusque: caule crasso, proximo Ferulæ: vmbellas fert luteas: semina compressa, & rotunda, candicantia, Sphondilio minora: Radicem candidam, Ligustico crassiorem: Quidam pro Libanotide Theophrasti ostendunt: non tamen odor adeo insignis inest. Censerem hanc potius apud eumdem inter genera Panacis recenseri, cum inquit: sunt & aliæ, quædam Panaces: vna folio tenui; alia latifolia: vt Ligusticum significet, & hanc, quæ latiori folio constat, quasi Ligusticum maius dici possit, & Imperatoria maior.

CAP. XLVIII.

ANGELICA vulgò appellatur in Alpibus caule bicubitali, crasso, & concauo, odorato: foliis Olusatri, oblongioribus, læuiter serratis, mollibus: vmbellas fert latas: flore candido: semen candidum, oblongum, striatum, quod in foliacea quædam labra dilatatur, valde odoratum, quasi Moschum redolens, sapore acri: radicem palmi longitudine, crassam instar Napi, candicantem, fungosam, succosam, iucundissime olentem, acrē, & subamaram: lachryma concrescens pallescit: descēdit & in plana iuxta aquas locis vmbrosis, breuior: folio nigriore: radice minori, figura tenuioris Napi, quæ in plures radiculas desinit, odore infirmo ad Pastinacam vergente: caules recentes & tenelli, ac folia vtriusque gustui grata sunt. celebrant radicem ad venena, & pestilentiam. extat & satiua, quæ colitur in Germania: radice nigra, in multas fibras diducta, Ellebori modo, gustu suauior: eruitur antequam caulescat hanc ad Laserpitium referri posse reor, quod Græci Silphion vocant, licet in Italia non ad eam magnitudinem crescat, neque ea sit succi hubertas, quæ in Aphrica, & calidioribus regionibus, vt multis aliis contingit. Theophrastus de Laserpitio inquit: radix ei est multa, & crassa, vt radicibus potius constare eius tota natura videatur, quo euidentissime à cæteris differt: caulis quantus Ferulæ, & crassitudine fere proximus: folium, quod Maspeton vocant, Apio simile est: semen latum, foliaceum scilicet, quod folium appellatur: caulis annuus, sicut Ferulæ: Folium exit ineunte vere, quo pecus purgatur, ac pinguescit vehementer, & carnes mirabilem in modum suaues redduntur: post hac caulem edit hominum cibo idoneum omnibus modis, elixum, assumq; : corpora eo quoque purgari ferunt: Quadraginta diebus succus capitur duplex, alter ex caule, alter ex radice, ob id Scaparium, & Ra-

dicarium vocant: radix nigro cortice tegitur, eumque detrahere solent, certa quadam mensura, ad succum colligendum: collectum succum vasis coniiciunt, farinamque admiscent, & longo tēporis spatio quatiunt, quo modo & colorem capessit, & conditum incorruptumq; perdurat: locum Apicæ amplum occupat, sed maior pars colligitur apud Syrtes: culta fugere traditur, & si colatur, degenerare: Radicem alij cubitalem tradunt, aut paulo maiorem, hanc extuberare in caput, quod sublime penitus extat, vt fere super terram esse appareat, vnde primum, quod lac appellant, erumpit: dein caulis assurgit, ex quo Magydaris, & quod Folium dicitur, exeunt, Folium id semen est aurei coloris, quod, cum Auster ingenue post caniculam flauerit, discutitur, atque ita Laserpitium nascitur, eodemque anno radix consumatur & caulis: radices quoque madunt recentes in aceto decisas, & paulo post de Magidari loquens inquit: quod vero Magydarim vocant, nimirum à Laserpitio differt; tenerius enim, minusque vehemens, & sine Lasere est id est succo, aspectu quoque manifesta homini experto, licet quidam Laserpitium id appellent: Laser lachryma est gustu vehemens; modo Laserpitij, præstantior ex radice; quia purus, translucidus, & siccior: qui ex caule humidior, ideo farinam inspergunt, vt satis coagulari possit: folium & fructus suauis & mollis est, quia acrimoniam moderat permixtus humor aquosus. Laserpitium peculiare in Cirenensi, odore suauissimum. Plinius Græcos authores testatur, Laserpitum repente ortum, cum antea non esset in Aphrica circa Hesperidum hortos, Syrtimque maiorem, annis septem ante Cyrenarum oppidum, ex imbre piceo tellure madefacta, & reliquam historiam ex Theophrasto recenset. Dioscorides Laserpitium in Syria Armenia, Media, & Lybia nasci tradit, caule ferulaceo, quem Maspeton vocant: foliis Apio similibus: lato semine: radix excalfacit: in cibis ægre concoquitur: vesicæ noxia: succus è radice, & caule scarificatis colligitur: pręfertur ruffus, translucens, Myrrhæ similis, non porraceus, odore valens, suaui gusto, qui dilutus facile albescit Cyrenaicum siquis degustauerit, humorē toto corpore ciet, odore blandissimo, vt ne os quidem gustanti nisi paulum spiret: Medius & Syriacus infirmiores odore, magis viroso acrem vim habet: radicem alij qui Magydarim vocant: caulem Silphion; & folia Maspeton. Alteram præterea in fine capitis Magydarim tradit in Lybia nascentem: radicem Laserpitio similem, minus crassam, acrem, & fungosam, ex qua non profluit succus: eiusdem cum Laserpitio facultatis: ex quibus patet, nostram Angelicam non multum discedere à Laserpitio Cyrenaico, aut saltem ab altera Magydari: immo Angelica montana, & magnitudine, & odoris suauitate, & acrimonia, & succo maxime ad Laserpitium accedit: Altera vero ad Magydarim. Laser à recentioribus medicis Assa

voca-

vocatur distinguentibus in odoriferam & fętidam : vt per odoriferam succus Cyrenaicus significetur : per fętidam Medius & Syriacus. tamen in officinis non reperitur nisi fędissimum genus, quam Assam fętidam vocant, cuius suffitu maxime abhominabili fugiunt animalia, & mulieres à suffocatione vteri liberantur. mirum autem, si in Aphrica copiosum est Laserpitium, non afferri succum Cyrenaicum, qui ob excellentiam simplici nomine succus appellatur, græce Opos, omnium succorum calidissimus, maxime tenuium partium, aereæ substātiæ, & igneę, vt Galenus testatur. cum ex eadem Cyrenaica regione Ammoniacum habeatur teste Dioscoride: ideo quærendum inter eas merces, an cum Ammoniaco feratur.

CAP. XLIX.

HERBA Rena vulgo appellatur in Alpibus nostris, alibi Ostrutium, & Imperatoria vocatur inter nobiles Alpium plantas; nam & ea, ad omnes fere morbos internos instar Panacis vtuntur: Folia in singulis pediculis terna tantum gerit, subrotunda, & farcta, Apij modo, latiora, quam Olusatri, candidioraque, & magis rugosa, & subaspera: caulicul̄ fert cubitalem: vmbellas latas, flore cādido, feminibus latis, Sphondylio similibus: radices fert sūma tellure serpentes, geniculatas, multas, & prælongas, à quibus germina ex interuallis attolluntur: radiculis color subalbidus, aliquando interno diis subrubentibus, aut nigricantibus, odor suauis, non absimilis Angelicæ, sapor feruens, & subamarus: easdem vires habet quas Angelica, & efficaciores; nam vnice venenis aduersatur, & pestilentiæ contagia arcet: educit crassa ex thorace; & ventriculi pituitam deiicit: appetentiam excitat: vrinam mouet, & menses: rigores febriles discutit in vino pota: glutinat interna vulnera ex vino & aqua decocta: extrinsecus applicatur ictibus venenatis: canis rabiosi morsui, carbunculis cum polenta, doloribus lumborum, & vitiis Hypochondriorum. si vires huius plantæ contemplemur, & formam, maxime conuenire videbitur cum Panace: si igitur flos aureus inesset, constanter affirmarem Panacem Chironium esse. at eadem difficultas contingit in Panace Herculeo; quæ enim apud nos oritur, in cæteris omnibus conuenit cum descriptione ab antiquis tradita, excepto floris colore luteo, cum in nostra albus sit: Inquit autem Dioscorides de Panace Chironio, quod genus tertio loco describit inter Panaces: maxime nascitur in Pelio monte: folia fert Amaraco similia: flores aureos: radicem tenuem, non in profundum actum, gustu feruentem: valet radix contra serpentes potu, coma autem illitu. similitudo autem Amaraci non de Sampsucho intelligenda est, sed de

Partenio;

Partenio; nam & hæc Amaracus vocata est, cui folia Coriandri tribuuntur, quæ obrotunda & fracta sunt: radicis descriptio aptissime tradita est, nam tenuis, non in profundum, sed summa tellure, sapore acri. Theophrastus non folia Amaraci tribuit, sed Lapathi, idest Rumicis, in cæteris consentit cum Dioscoride. Inquit enim Panax Chironia, folium habet simile Rumici: florem auri specie: radicem longam: amat loca pinguia: vtuntur ea aduersus viperas, & Phalangia, & tineas vestium, & cætera reptilia data ex vino, & vncta oleo, & adnascētia ex melle. Plinius in hoc genere Panacis describendo, partim ex Theophrasto assumit, cum inquit: foliū eius Lapatho simile, partim ex Dioscoride in Panace Asclepio, vbi subiungit, maius tamen & hyrsutius: flos luteus, radix parua. profecto, si pro Lapatho Amaracus legatur, vt in Dioscoride, nulla erit inter hos authores differentia. rationi autem magis consentaneum est sic legere; nam in genere Ferulaceo, nulla est apud nos folio Rumicis, nisi quis Perfoliatam accipiat, quam ad Seseli Aethyopicum Dioscoridis reduximus: nam folia, quę ab radice sunt, Rumicis figuram habent; & flos aureus.

CAP. L.

HERBA Costa vulgò appellatur; quia radices pro Costo in vsum venerunt: oritur in montibus: folia fert ab radice humi strata, ramosis pediculis, foliorum segmentis in rotunditate oblongis, inæquabilibus, serratisque, non excedentibus ternum digitorum latitudinem: hæc initio lenia sunt, procedente tempore horrescunt: caules fert bicubitales, pallescentes, hirsutos; vnde emanat lachryma aurei coloris, odorata, acris: flores fert luteos paruis vmbellis: semina in latidinem depressa, vt Pastinacę: radices crassitudine baculi, in diuersas partes tendentes, neruosas, exterius subrufas, gustu feruente. Iudicatur à quibusdam non immerito Ferulæ genus esse, quod Sagapenum fert, de quo Dioscorides seorsum à Ferula agens inquit; Sagapenum succus est Ferulæ in Media nascentis; optimum translucens, colore exterius fulno, interius albo, redolens quid inter Laser, & Galbanum, gustu acri: Galenus in Antidotis inquit: est succus Ferulæ cuiusdam Panaci similis: hodie huiusmodi venditur in officinis inter merces orientales. Mesues & cęteri Arabes succum hunc inter purgantia medicamēta numerant; nam purgat humores crassos & tenaces ex cerebro & neruis, trahit quoque aquam flauam. sed multas alias vires & efficaces legere est apud Dioscoridem.

CAP. LI.

GALBANVM succus est pinguis, non tamen oleo solubilis, sed aqua: media quodammodo natura constat inter Gummi & Resinas; accenditur enim igni, vt Resinæ: humore aqueo soluitur, vt Gummi, tactu mollescit, vt cæra: color ex rufo subliuidus: odor validus, medicatus. affertur autem ex orientalibus. Dioscorides succum esse inquit Ferulæ in Syria nascentis, laudari similitudine Thuris, chartilagineum, & pingue, purum, liberum à ligno, sed aliquid seminis & Ferulæ ad mixtum habens, olfactui graue, neq; valde humectum, neque rursus aridum: naturam habet calfactoriam, feruentem, extractoriam, & discussoriam. Galenus inter ualida emollientia recenset; Plinius sincerum inquit fugat nidore serpentes.

CAP. LII.

AMMONIACVM inter succos pingues est aqua solubiles, consistentia aridioris cærę, exterius flauum, intus candidum, crassis guttis constans, sapor inest primo gustui suauis, postea sub amarus, odor Incensi, acrior Galbano. huiusmodi affertur inter merces orientales. Dioscorides succum esse tradit Ferulæ siue arboris Ferulaccæ in Cyrenaica prope Ammonis oraculum: probari valde coloratum absque lignis, & harenis, chartilaginibus, Thuri similibus, purum, densum, absque sordibus, odore Castorei, gustu amaro: vim habet emolliendi, extrahendi, discutiendi, & aluum purgandi: Plinius vnum scribit Thuri masculo simile, quo maxime probatur; alterum pingue, & resinosum, adulteratur harenis, veluti nascendo apprehensis: igitur quam minimis glebis probatur, & quam purissimis.

CAP. LIII.

PANAX herculeum vulgò à nostris Panacea, Ferula est in Alpibus, cui folia ab radice simplici pediculo quina ad summum, aliquando terna, initio vnica, lata, fracta, & aspera, instar foliorum Fici: caulem cubitalem fert, subalbidum, hirsutumque; vmbellas in cacumine lateas: flores candidos: semina in latitudinem rotundam valde compressa, & candicantia: radix in plures ramos diuiditur, candida, acris, & amara; viuit arescente caule, at sine succo: alterum genus ex Sicilia ad nos translatum: foliis constat in terra stratis, initio quasi Pastinacæ satiuæ, læuibus, sed procedente tempore in vastam amplitudinem

nem dilatantur, simul & asperitatem induunt, segmentis amplis se tangentibus, vt vnicum folium integrum figura cruciformi ad amplitudinem cubitalem accedat; vere caulem attollit, anno secundo aut tertio bicubitalem, rubentem, læuem, in quo lachryma concrescit colore flauo, idem procedente tempore subhirsutus redditur: vmbellæ insident amplę: flore candido: semine crasso, & oblongo, candida lanugine hirsuto: radix non magna, candida, quæ perfecto semine exarescit. Dioscoridis descriptio secundæ magis congruit, quam primæ: inquit enim Panax herculeum in Cyrene Lybiæ, & Macedonia: nascitur alicubi etiam colitur questus gratia, hinc collecto Opopanace radice incisa: foliis constat asperis, in terra iacentibus, herbacei coloris, ad Ficulnea accedentibus in ambitu quinquepartito diuisis: caule altissimo, vt Ferulæ, lanugine quadam incano, minutioribus foliis: vmbellis Anethi: flore luteo: semine odorato, feruentique: radices multas ab vna origine, candidas, graueolentes, crassi corticis, subamari gustus. Theophrastus Herculanam Panacem inquit, folio constare magno, & amplo, vt quoquo versus tres palmos perficiat: radicem prope digiti crassitudine bifidam, aut trifidā, gustu subamarā, odore synceri Thuris. Plinius Herculeum intelligit, cum simpliciter Panacem vocans inquit Ferulam esse sui generis quinque cubitorum: foliis primo quaternis, mox senis, in terra iacentibus ampla magnitudine, rotundis, in cacumine vero oleagineis: semine in muscatiis dependente, vt Ferulæ: excipitur succus inciso caule messibus: radice in autumno. ex his patet præter floris colorem, & caulis altitudinem, cæteras conditiones nostris conuenire, sed magis Siculę. habemus autem Opopanacem inter merces exteras, odore graui, colore flauo: laudatur à Dioscoride intus quidem candidus, & subrufus, extra vero croceus, lęuis, pinguis, friabilis, tener, facile tabescens in aqua, & elactescens, odore graui, amarissimus. Mesues Opopanacem inter medicamenta purgantia ponit, at plantæ figuram aliter tradit, vt Asclepium Plinij & Theophrasti videatur intelligere.

CAP. LIIII.

SPHONDYLIVM in montibus, & collibus nascitur, locis riguis, foliis Pastinacæ satiuæ, simplici pediculo, sectionibus latioribus, in angulos desinentibus, vt Platani folia: in totum vulgari Panaceę tota planta similis est, tantum minoribus foliis. Dioscorides inquit: folia Platanum referunt, cæterū ad similitudinem Panacis: caules cubitales, vel ampliores, Fęniculo similes: semen in cacuminibus simile Seseli, duplex, latius, & candidius, paleosiusque, graue olens: flores candidi; radix candida, Rhafano similis: oritur in palustribus, & aquosis.

Plinius

Plinius inquit à Panace differt, quæ vocatur Sphondylium foliis tantũ; quia sunt minora, & Platani diuisura: non nisi in opacis gignitur: semen Silis speciem habet, medicinæ tantum vtile.

CAP. LV.

PASTINACA vulgò appellatur, radix vasta, quæ in hortis seritur cibi gratia, quamuis & sponte oriatur breuiori radice: folia fert simplici pediculo, longitudine duorum dodrantum, sectionibus oblongis latitudine ternum digitorum, circumfarctis, hirsutis, frequentibus: caulem crassum, bicubitalem, & ampliorem, striatum: vmbellas summis ramis insidentes, latas; flore luteo: semina in rotunditate depressa, lata, candida: floret æstate: radix singularis in altum demittitur, cubitalis, subpallida, cortice carnoso, neruo intus duro: Hæc venit in cibos elixa exempto neruo, dein frixa more fungorum verno tempore: ex eadem cum saccaro electuarium conficiunt ad vires recreandas conualescentibus, & puerperis, communissimum rusticorum remedium; appetentiam quoque præstat. Pastinaca nomen Latinum est, quod Plinius multis tribuit, scilicet Staphylino sylueſtri, & satiuo; item Hibisco in genere Maluæ: Quartum genus Dauco, quam nostri Pastinacam Gallicam vocant: Meminit & Pastinacæ maioris, cui neruus inest, vt Siseri, sed tantum anniculæ. Atheneus de magna Pastinaca inquit; quod Caros vocatur, magna est Pastinaca, quæque facile augeatur, meliorem habet succum, quam Pastinaca, magis calefacit, vrinamque magis ciet, stomacho confert, facileque digeritur, vt Difilus est author. profecto si aliqua magna dici debeat Pastinaca, hęc quam proposui, cognomen id meretur. sed apud Dioscoridem quo nomine donata sit, incertum est; neque enim in genere Staphylini, neque Dauci ponenda videtur; cum totius plantæ facies longe discrepet; neque cum Sisere, cui valde affinis est; nam Plinius Pastinacam maiorem seiunxit ab eodem; alioqui Siseris facultates, quas Dioscorides & Plinius tradunt, maxime conueniunt cum nostra Pastinaca; & vulgo cognitus traditur Siser, vt apud nos Pastinaca. Inquit enim Dioscorides, apud quem non Siser, sed Sisaron vocatur, notum est vulgo, eius radix decocta, ori grata est, & stomacho vtilis; vrinam ciet; & appetentiam inuitat. Plinius inquit: Siseris præcipua generositas est in Germania: ei Princeps Tiberius nobilitatem dedit, qui singulis annis efflagitabat: ex quo apparet frigidis locis conuenire: inest longitudine neruus, qui indecoctis extrahitur, amaritudinis tamen magna parte relicta, quæ mulso in cibis temperata etiam in gratiam vertitur: neruus idem & Pastinacæ maiori dumtaxat anniculæ. Seritur Siser Februario, Martio, Aprili, Augusto, Septembri, Octobri, vtilis est sto-

macho. nemo tres Siseres edendo continuaret, vtilis etiam conualescentibus. Est & erraticum satiuo simile, & effectu; stomachum excitat; fastidium abstergit; vrinam cit, & Venerem; cordi conualescentium conuenit, aut post multas vomitiones per quam vtile. Heraclides contra argentum viuum dedit: hęc de Sisere Plinius. Videtur autem Plinius Germanicum Siser aliam intellexisse à nostra Pastinaca, quam maiorem Pastinacam vocauit.

CAP. LVI.

SISER Germanicum, foliis constat Pastinace, tenuioribus, ac minus hirsutis, Sio proximis: flore candido: seminibus laris, pluribus ab eodem exortu: radiculis digitalibus, & amplioribus, alis breuioribus, quasi aceruatis bulbis, vt in Asphodelo, subcroceis, quæ coctæ in cibos veniunt. Puto apud Dioscoridem Elaphoboscum vocari, quasi Cerui Pastinacam: nam Græce βόσκειν pascere est; vnde Pastinacæ nomen deriuatum videtur. Inquit igitur de Elaphoboſco: caulem Fæniculi, aut Libanotidis fert, geniculatum: folia duorum digitorum latitudine sufficienter oblonga, vt Therebinthi, circumfracta, aliquantum aspera: ramos quosdam: vmbellas Anetho similes; flores subluteos: & semen Anetho simile: radicem trium digitorum longitudine, crassitudine vnius, albam, dulcem, esui aptam: assumitur etiam caulis nuper ortus inter olera. Aiunt ceruas huius herbæ pastu morsibus serpentum resistere, cuius gratia semen in vino propinatur. In hac descriptione flos luteus non conuenit Siseri Germanico, cui albus est flos. At nostræ Pastinacæ maxime quadraret tum flos, tum folia, caulis, & semen; at radicis breuitas nequaquam, nisi genus sylueſtre assumatur, cui radix breuior multo quam satiuæ, ac flos luteus. At id nequaquam disiungendum videtur à satiua, cum solo cultu differat; grandescit enim in læto solo, & optime refosso. hæc faciunt, vt nostram Pastinacam vulgatissimum Sisarum esse putem: Germanicum autem Siser ob radicum figuram digitalem, & reliquas notas ad Elaphoboscum referam; quamuis flos non sit luteus. Plinius non inepte Elaphoboscum describit, inquiens. Ferulaceum est geniculatum, digiti crassitudine; semine simili, corymbis dependentibus, sed non amaris: foliis Olusatri: & hoc lautum in cibis, quippe etiam conditum prorogatur ad vrinam mouendam.

SAXIFRA-

CAP. LVII.

SAXIFRAGIA vulgò appellatur in montibus nascens inter saxa: foliis Pimpinellę, non hirsutis; vnde quidam Pimpinellam vocant. eius plures differentię. Quædam ab odore radicis Hircina cognominatur: folio maiori, quasi ad Pastinacę folium accedẽte, magis acuto, crispo, circũferrato: ramos fert cubitales, striatos: radicẽ crassam, acrem, odore hirci: flores albos in tenuibus vmbellis: semina Apij, oblonga, odorata, valde acria, & subamara. Altera minor, cauliculo constat dodrantali: foliolis ab radice Pimpinellę, scilicet subrotundis, & circumferratis, in simplici pediculo dispositis: rami autem tenuius diuiduntur, vt Sisonis: semen fert acrius, & odoratius priore, nigrius, & tenuius: adeo vt cum Petroselino Macedonico cõgruere omni ex parte videatur, & magis quam vulgare Petroselinum latifolium, de quo egimus. Tertia foliis constat ab radice stratis in terram, sectionibus rotundis, & latis, simili modo serratis: caulem tenuem, rotundum, cubitalem, in quo folia vario modo scissa, Coriandri similitudine: in cacuminibus tenues vmbellæ, antequam floreant, deorsum inclinatæ: flores albi: semina valde exigua, quasi Ameos, lanuginosa, subcandida, gustu feruẽtia. Quarta in totum tertiæ similis: solo semine discrepat, quod paulo crassius est, nequaquam lanuginosum, & infirmius. Celebrantur Saxifragiæ ad calculum frangendum, & vrinam impellendam, etiam ad venena & pestem: spicula infixa extrahenda totius herbæ succo, sed præcipue semine & radice. Tertia species forte dici posset Cuminum syluestre primũ, cui semen acerosum, & acrius satiuo; & exilitate cõuenit cũ Ammi.

CAP. LVIII.

PIMPINELLA Romana vulgò appellatur herbula, cubito breuior: paucis foliis in simplici pediculo, rotundis, paulo latioribus Pimpinella, candicantibus, hirsutisque: vmbellas fert candidas: & semina lata, ac rotunda, vt Pastinacæ, circulo candido, ac denticulato ornata instar clypeoli; vnde quidam Tordylium esse putarunt, at infirmi odoris, saporisque non ingrati: radix est tenuis & inutilis. ipsa herba cruda assumitur inter olera, copiosè nascitur in sub Vrbiis Romæ, præcipue in Vaticano. Alterum genus syluestre insuauius passim in ruderibus nascitur, & sæpibus, cubitale, & altius: foliis latioribus ad Pastinacam accedentibus, ad pediculum reflexis, hirsutioribus, quę prope cacumina tenuius diuisa sunt: flores, & semina in totum similia.

CAP. LIX.

CORIANDRVM seritur in hortis: caule cubitali: foliis variis, initio quidem latioribus, quasi Pastinacæ, rotundioribus, colore virente, leuibus; in progressu eadem sensim tenuius diuiduntur, vt tandem Fæniculo proxima reddantur, odore ingrato, ac pertinaci, vt mirari liceat in Hispania experti in cibis tum cruda, tum cocta, quę in Italia vehementer fętent: eo cibo somnum conciliant, sed capitis grauitas, & vertigines excitantur: vmbellas in cacuminibus fert candidas, & semina rotunda quibusdam apicibus in summo, quibus siccatis odor inest suauis; idcirco condimentis inseruntur: incrustantur quoque saccaro inter bellaria: Corion Græci vocant, & Coriannon. Dioscorides multas plantas Coriandro cōparat tamquam plantæ notissimæ: ipsam tamen non describit: ei vim refrigeratoriam tribuit, vt inter venena reponatur: nam qui succum eius biberunt, insaniunt, multa loquentes, vt temulenti. Dubitat Galenus de eius facultate refrigeratoria, quoniam & effectus caliditatis in eo videt: in his postea multum altercantur recentiores: similis est in plerisque aliis difficultas: Nam ea magis refrigerando interficiunt, quibus caliditas cum multa humiditate vaporosa coniuncta est, vt Crocum, Styrax, Vinum, multo magis Cicutæ succus, & Coriandri, & Papaueris, quibus humiditas crassior & indigesta est; indicat enim fætor. At Coriandri semen ab ea humiditate exemptum est magna ex parte; idcirco sine noxa assumitur; largius tamen assumptum, & vsu continuo mentem non sine periculo tentare tradit Dioscorides. Arabes laudant ad reprimendos vapores à ventriculo ascendentes, vt in epilepsia, dolore capitis, ebrietate: semen tostum aluum cohibet, & sistit sanguinis profluuium. Meminit Theophrastus sparsim Coriandri, hæc scribens: prouentu contumax: semen nouum nascire recusat, nisi conuoluatur: vetus celerius prouenit: radix lignosa, vnistirps, non prolixa, neq; fibris multis: multis caulibus: multisque ramis constat: semen nudum, sub Canis ortum salescit. Plinius Coriandrū inter sylueſtria non inueniri testatur. sunt tamen qui hodie Coriandrum sylueſtre passim in Hetruria oriri testantur, in pratis, & campestribus; quod profectò adhuc mihi incompertum est, nisi per Coriandrum sylueſtre accipiant eam plantam, quæ vulgò Verdemarcum appellatur, de qua suo loco egimus. venditur autem in officinis Coriandri semen ex Orientalibus allatum.

ANISVM

CAP. LX.

ANISVM ſemen eſt Fęniculo minus, & rotundius, odore, & guſtu ſuaui, ſubdulce, & acre; ideo præ cæteris incruſtatur ſaccaro inter bellaria: ſeritur in hortis annuo prouentu, vt Coriandrum: eius planta breuior Coriandro: foliis initio rotundis, in ſummo ſerratis: procedente tempore inciduntur Coriandri modo, bene olentia: flos albus. Dioſcorides tamquam notum indeſcriptum reliquit: Theophraſtus Aneſum vocat, recenſens tantum inter odorata. Plinius quoque tacet, deſideratum viride aridumue omnibus, quæ condiuntur, quæque intinguntur; panis etiam cruſtis inferioribus ſubditum; oris halitum iucundiorem facit, & vultum iuniorem pręſtat: inſomnia leuat ſuſpenſum in puluino, vt dormientes olfaciant.

*

Finis Libri Septimi.

AN-

ANDREAE CAESALPINI ARETINI

DE SVFFRVTICIBVS ET HERBIS. LIBER OCTAVVS.

CAP. PRIMVM.

QVAE bina ſeminis conceptacula ferunt, ſolitariis ſeminibus in ſingulis alueolis, paucæ ſunt. Harum flos ſummo fructui inſidet inſtar Ferulacei generis, vt Rubiæ, Agrimoniæ: aut fructus ſine flore eſt; & flos ſine fructu, vt Mercurialis Xanthij. Fructificant hæ non in vmbellis, vt Ferulacea, ſed aut ſparſim in alis foliorum, & ſummis ramulis; aut in capitulis, vt Pimpinella.

CAP. II.

MERCVRIALIS vbique obuia eſt iuxta parietes, hortorum maceries, & vias, herba dodrantali altitudine, frequentibus geniculis, in quibus bina folia, & bini rami à latere producuntur: folia latiora quam Oleæ, mollia, & circum ſerrata, ex viridi palleſcentia. Quæ floret, racemulum ex alis oblongum, & tenuē fert, refertum granulis herbaceis, qui floſculi ſunt ſine fructu. Quę autem fructum fert, geminum in ſingulis pediculis breuiſſimis gerit, ſimilitudine teſtium, herbacei coloris, ſubhirſutum. vtuntur hac herba clyſteribus ad alui ſubductionem. Altera in montibus naſcitur: ſimplicibus ab radice caulibus: foliis maioribus: fructū grandiuſculo: ſine flore: radices fert Graminis modo tenues, candidas, cæruleo quodam colore, vt plurimum depictas. Dioſcorides Linozoſtim vocat: foliis Oxymi, Helxine cognatis, minoribus: ramulis geniculatis, multis alis. Fęminæ fructus copioſus, racemorum ſpecie; Mari pendet é foliorum ſinu paruus, rotundus, ceu bini teſticuli cohærentes: frutex dodrantalis, aut maior. Hæc deſcriptio prioribus duabus conuenit. de montana Mercuriali mentionem non fecit. Theophraſtus Phyllon vocat, ideſt Folium, cuius fæminam Theligonon

gonon appellari tradit, idest Feminificum, vt Theodorus vertit: Marem autem Arrenogonon, idest Marificum; quia illud ad fæminas procreandas faciat, hoc ad mares, vt testatur quoque Dioscorides de vtraque Mercuriali. Describit Theophrastus vtramque specie Ocymi, inter se similes, fructu tantum distare; nam Theligoni fructus Musci oleaginei modo est, verum pallidior: Arrenogoni sicut Oliua, cum primum ex muscoso flore emergit; geminat vt testiculi hominis. Dioscorides tamen ex Crateua aliam vtriusque Phylli historiã affert, quæ aliqua ex parte cum Mercuriali conuenit, vt suo loco ostendetur. Plinius à Mercurio inuentam tradit, vnde Hermupoa à multis dicta est, apud nos Mercurialis: Duo genera, masculus & fæmina: quæ efficacior, caule cubitali, interdum ramoso, in cacumine, Ocymo angustioribus foliis, geniculis pensis, alarum cauis multis, semine in geniculis dependente; fæminæ copioso: mari iuxta genicula stanti, rariori, ac breui, contortoque: fæminæ soluto, & candido: folia maribus nigriora: fæminis candidiora: radix superuacua, prætenuis: nascitur in campestribus cultis. mirum est, quod de vtroque proditur, vt mares gignantur hunc facere, & fæminæ illam.

CAP. III.

XANTHION herba in æstate prouenit iuxta lacus, & in torrentium alueis siccatis: caule crasso, multis ramis in latera tendentibus: foliis latis figura Populi albæ: fructum sine flore fert in alis foliorum, spinosum, Lappę modo hęrentem vestibus; ideo quidam Lappam minorem vocant: figura nuclei Oliuarum, cuspide bipartita: semina bina intus septo chartilagineo disiunta, oblonga, & nigricantia: flores in summis ramulis fert sine fructu, vel potius aridos, floccos herbaceos. Dioscorides nasci inquit, læto solo, & lacubus exsiccatis: caule cubitali, anguloso, pingui, crebris alis: foliis Atriplicis, incisis, odore Nasturtij: fructu grandis Oliuæ, rotundo, spinoso vt pilulæ Platani, qui contactu hæret vestibus. hic capillos ruffos reddit tusus & aqua dilutus, si prius nitro illiti sint capilli: asseruatur per se tusus dum viret, aut ex vino, exsiccatusque. hinc videtur nomen Xanthij adeptum esse.

CAP. IIII.

AGRIMONIA vulgò appellatur in incultis nascens, & tenui solo: caule recto, ferme cubitali, sine ramis, lignoso, & hirsuto: foliis frequentibus, longo pediculo, & simplici constantibus, in quo coniugatim foliorum partes dispositæ sunt, serratę, maiores Quinquefolio, alis paruis inter mediis, vt Pimpinellæ: summus caulis in

prælon-

prælongam definit veluti caudam circundatam floribus luteis ex quatuor foliolis constantibus: fructus fert pilosos deorsum nutantes, & parte postrema latos, qui siccati vt Lappæ vestibus adhærent: intra osseum corticem bina semina continentur: tota planta sapore constat siccantes, absque manifesta amaritudine, aut alio sapore, & odore. Dioscorides Eupatorium vocat, cum tamen a quibusdam falso Argemone dicta sit, nam alia est Argemone: est autem Eupatorium surculosa herba: vno caule lignoso, nigricante, recto, tenui, hirsuto, cubitali, interdum ampliore: foliis per interualla Quinquefolij aut Cannabis potius similibus, quinque partito, aut amplius diuisis, nigricantibus, & ipsis per ambitum serratis: semen è medio caule erumpit, pilosum, deorsum spectans, quod siccatum vestibus hæret: folia contrita cum adipe suillo vlceribus rebellibus cicatricem inducunt. Herba, aut semen in vino potum dissentericis, & hepaticis, & serpẽtium ictibus auxiliatur. Plinius Eupatoria inquit regiam authoritatem habet: caulis lignosi, nigricantis, hirsuti, cubitalis, aliquando & amplioris: foliis per interualla Quinquefolij; aut Cannabis, per ambitum incisis quinquepartito, nigris & ipsis, plumosisque: radice superuacua: semen dissentericis in vino potum auxiliatur vnice. Aliud porro apud Auicennam & Mesuem est Eupatorium; sapore amaro, laudatum ad lecinoris obstructiones abstergendas. Galenus quoque Eupatorio facultatem tribuit incidendi & abstergendi citra manifestam caliditatem cum astrictione quadam: herbam esse tenuium partium, idcirco pollere ad obstructiones Hepatis expurgandas: Quæ facultates Agrimoniæ non videntur inesse, cum præter astrictionem alia euidens qualitas in ea non sentiatur: Quod cum viribus à Dioscoride traditis consentit; nam siccando cicatricem inducit, dissentericos, & fluxus hepaticos sanat. An latere potest sub terrestri substantia qualitas aliqua tenuis incidens & abstergens? Facit & difficultatem, quod scribit Dioscorides libro sexto, vbi ad epotam Mandragoram pręcipit excitandos à sopore ægrotantes olfactoriis, inter quę Eupatoriũ in primis numeratur, quasi vehemens in eo sit odor, quod nequaquam Agrimonię inest. Hinc puto Arabes alias plantas inuexisse pro Eupatorio, & amaras & odoratas, de quibus loco proprio agemus. At Agrimonia excitare possit sopore affectos, si eius vstæ nidor vt capillorum naribus excipiatur. Quoniam vero hæc Argemone appellata fuit à quibusdam teste Dioscoride, videtur Plinius eamdem intellexisse, cum de Lappa Canaria inquit: trita cum Plantagine & Millefolio ex vino Carcinomata sanat ternis diebus soluta; medetur & suibus: hæc effossa sine ferro & addita in colluuiem poturis, vel ex lacte & vino, quidam adiiciũt, & fodientem dicere oportere: hæc est herba, Argemon, quam Minerua reperiit suibus his remedium, qui de illa gustauerint; merito enim hæc

inter

inter Lappas numerari potest, cum semen pertinaciter vestibus adhæreat. aliæ tamen sunt Argemoniæ apud eumdem Plinium, & apud Dioscoridem, de quibus locis propriis agetur.

CAP. V.

PIMPINELLA à recentioribus appellatur, vulgò autem apud nos Sorbastrella à sorbendo dicta; nam sanguinem ex vulneribus sorbet, & vulnera glutinat: herba in arido solo, & inculto nascitur, & saxorum crepidinibus: seritur quoque in hortis inter olera; nam cruda in cibum venit ex oleo, sale, & aceto: foliola coniugatim multa in longo, & tenui pediculo fert, subrotunda, & circumserrata, grati odoris, qui etiam in vino placeat. Nam calices herba virenti replent, vt vinum ex ea bibatur, quod facit ad arcenda venena & pestem: cauliculos fert rectos, dodrantales, aut paulo altiores: paucis foliis, ramisque: in cacuminibus capitula ex granis congestis; quibus flosculi insident constantes ex quaternis foliolis, herbaceis, media quadam lanugine rubra: fructus angulosi, asperi, duri, quibus bina semina continentur: radix vnica est paruo Raphano similis. laudatur ad sanguinem sistendum, & dissenteriam. extant eius aliquæ differentiæ magnitudinis & paruitatis. Fama est alicubi cum eius radicibus vermiculum erui sericis tingendis colore coccineo, quem Chermesinum vocant. sed audio in Hispania Coccum huiusmodi vermiculum gignere, quod magis rationi consentaneum est; nam Cocci folia non absimilia sunt Pimpinellæ. Quamquam scio etiam Chermisinum ex purpurarum conchis haberi. Pimpinella sapore constat astringente, cum quadam dulcedine, subacri. Hermolaus vim in esse scribit extrahendi ferrum & spicula ex vulneribus facile, & sine dolore. Apud Dioscoridem Tragium dici puto, quod secundo loco describitur in hunc modum: Folia Scolopendri habet, & radicem sylvestris Raphani, tenuem, & candidam, quæ tum cruda, tum cocta in cibo dissentericis opitulatur: folia in Autumno hircum redolent; vnde nomen Tragij; prouenit in montibus, & præcipitiis. Quamuis autem hirci odor in Saxifragia magis manifestus sit, quæ & Pimpinella ob foliorum similitudinem dicta est: facultas tamen astringendi, & vsus in cibis, huic inest, non Saxifragiæ.

CAP. VI.

POTERIVM translatum est nuper ad nos, ac viuit in horto Pisano: frutex cubitalis, in multam latitudinem extensus: ramis frequentibus: foliis Pimpinellæ, minoribus, quasi Trichomanes,

superne virentibus, infra candicantibus, tenui cortice, villoso, ac flauescente: summi ramuli in spinas desinunt, molles, ramosasque: quibus fructus racematim cohærent Piperis magnitudine, in candido subruben tes, fungosa exterius cute: flosculus iis inest qualis Pimpinellę: sapor totius plantæ astringens, & subacris, sine odore: Radices summa tellure spargit: pulcherrime prouenit surculo. Dioscorides de Poterio inquit, large fruticat: ramulis proceris, mollibus, lentis, tenuibus, vt Tragacantha: foliis gracilibus, rotundis: totus frutex lanoso cortice, ac tenui obducitur, spinosusque est: flores fert paruos, candicantes: semen gustu odoratum, & acre, nullius vsus: inuenitur in aquosis collibus: radices habet binum ternumue cubitorum, neruosas, & firmas, quę propeterram recisæ lachrymam dant Gummi similem: radix tusa vulneribus sanandis efficax, pręcipue neruis pręcisis illita: decoctum quoque eius potu affectibus neruorum opitulatur. Plinius eadem fere ad verbum habet, excepto flore, quem longum, & herbaceum scribit. Alibi autem Phrynion vocans inquit. Auxiliatur Ranis rubetis Phrynion in vino pota: aliqui Neurada appellant; alij Poterion: floribus paruis: radicibus multis, neruosis, bene olentibus. Si igitur prædicta planta Poterium est, flores parui magis conueniunt, quam longi: odor tamen nec in fructu, neque in radicibus est conspicuus. Ab hac non multum distare putandum est Tragium Creticum; nam frutex Lentisco similis tum folio, tum fructu, & virgis, minoribus tamen, & succus simili modo inest, Gummi non dissimilis: Vires pręterea, quæ traduntur huius Tragio à Dioscoride, consentiunt cum Pimpinellę virtute, quam congenerem esse animaduertimus, alterum Tragium appellantes; nam semen folia, & lachryma illitu spicula è corpore eiiciunt: omnia quoque corpori impacta euocant: sed amplius strangurię medentur: calculos vesicę frangunt: menses trahunt: datur drachma vna in potione. fama est sylueſtres capras sagittis confossas, huius herbę pabulo spicula excutere. In hoc eodem genere & Tragacantha videtur esse.

CAP. VII.

VISA est apud nos spina ex semine peregrino nata, frutex ramosus, binis aculeis robustis, iuxta singula folia, quæ ramoso constant pediculo, in eoque coniugatim foliola disposita sunt, subrotunda, lęuia: hęc noctu contrahuntur, & quasi complicantur, interdiu pandunt se: at perfectam plantam cum flore ac fructu videre non licuit: suspicatus sum Tragacantham esse, de qua Dioscorides inquit: radix est lata, ac lignosa, summo cespite nixa; vnde surculos humiles, robustos latissime fundit, in quibus minuta sunt folia, & multa, interpositis

positis spinis inter folia occultatis, candidis, robustis, subrectis. est autem Tragacantha lachryma, quę vulnerata radice manans concreuit: præstat perlucens, gracilis, lęuis, syncera, & subdulcis. naturam habet conglutinantem similem Gummi, valet ad scabritias arterię, tusses, raucedines, distillationes in elegmate cum melle, ad renum dolores, & vesicę rosiones bibitur cum passo dracma cum cinere cornu cerui, aut cum exiguo Aluminis scissilis. Apud Theophrastum Theodorus Hirci spinam vocat: habere lachrymam dicitur: hęc antea nasci tantum in Creta putabatur: nunc vero in Achaia etiam Peloponnensi, & aliis locis, & Asiæ circa Medeam comperiri certum est. sponte succus consistit, spissaturque lachrymæ modo; hanc enim cedere nequaquam opus est: large in Archadia nascitur, nec deterior Cretica existimatur, sed etiam visu pulchrior. Plinius inquit Tragacanthem fert Creta Insula, Spinæ albæ radice multum prælatam apud Medos, aut in Acaia nascenti. Hodie affertur lachryma specie vermiculorum candida, arida, qua mulieres pro glutine vtuntur, & medici ad tusses & distillationes acres.

CAP. VIII.

RVBIA, quam officinæ Rubeam Tinctorum vocant, radices sunt Iunci modo tenues, & rubicundæ, quibus infectores lanarum vtuntur: laudatur crasso cortice, in quo est vis tingendi, nerulo intus tenui: seritur in Piceno, præcipue Rauennæ. sunt & sylvestres in Etruria frequentes, locis montosis, & aridis: omnium caules infirmi, qui sine adminiculo nequaquam scandunt: sylvestres inter vepres assurgunt, aliquando ad bicubitalem altitudinem, paucis ramis. satiua procumbit in terram, ramosior multo, & longior: foliis quoque longioribus, in acutum desinentibus, subasperis: in summis ramulis flosculos fert, racemosos, pallidos: baccas quales Ligustri, rubro colore tingentes: intus osticula duo, concaua, acetabuli figura: tota planta asperitate quadam horrida est: quadrato caule: foliis per interualla quinis, in orbem figura stellæ. sylvestris asperior est: foliis breuioribus, Oleæ figura & magnitudine: florem fert candidum: fructum similem satiuę. Quędam in genere sylvestri fructu constat subaspero, ac nigro, quod genus breuiori caule constat. Dioscorides Erythrodanum vocat: radicem rubram, qua lanæ tinguntur. Vna sponte prouenit: altera seritur, vt in Thebana Galliæ, & Rauenna Italiæ; in Caria inter Oleas, vt in aruis, hanc non sine quęstu serunt, cum maximum ex ea prouentum sentiant. asperi sunt caules, & quadranguli, longi, Aparinæ non dissimiles, robustiores, & multo prorsus maiores: foliis per interualla circum articulos stellæ modo dispositis: semen rotundum, inter initia viride, mox rubrū,

postea cum maturuerit nigrum: radix tenuis, longa, rubra. Theophrastus describit folio Hederæ, rotundiori tamen: humi serpit Graminis modo: loca amat vmbrosa: radix rubra: cit vrinam, qua de causa ad lumborum & coxæ dolores ea vtuntur. At folio Hederæ adhuc non vidimus. Plinius inquit, in primis Rubia tingendis lanis & coriis necessaria: laudatissima Italica, & maxime suburbana, & omnes pene prouincia scatent ea: sponte prouenit, seriturque: similitudine Eruiliæ, verum spinosus ei caulis, & geniculatus hic est; quinis circa articulos in orbe foliis: semen eius rubrum est.

CAP. IX.

APARINAE vulgò apud nos Aspręlla vocatur, frequens in aruis, & sæpibus: læto solo nascitur, tenerior multo Rubia, sed tactu asperior, vt vestibus adhæreat: folia fert angustiora, in singulis geniculis plura, sena, aut septena: flosculos candidos: fructum asperum, & durum: radicem valde tenuẽ, flauescentem. Dioscorides describit ramis multis, & paruis, asperis, quadrangulis, per interualla orbiculatim foliis circundantibus, vt in Rubia: flos albus: semen durum, rotundum, concauum, album, vmbilici figura: herba vestibus adhęret: ea vtuntur pastores coli vice ad pilos ex lacte eximendos. apud Theophrastum Theodorus Lappã vertit, quæ suę asperitatis causa vestibus adhęrescit, vt difficile auferri possit: Notabile in ea, nam quiddam inest hirsutum & asperum, in quo nascitur flos, non exiens, neque manifestus, sed intus maturescens, & semen pariens, vt accidit Galeis & viperis: illa enim postquam oua inter se pepererunt, mox animalia gignunt, hęc quoque florem intra se continens, & concoquens, fructum deinde parit. Amplexi caulis est, si non habeat, quibus accumbat: humi serpit: inter Lentem maxime coalescit, quam Eruangę modo aggreditur, & herbam totam, veluti branchiis capessit, nec secus angit, atque obstrangulat. Galenus inter semina alienigena in frugibus reperta Aparinem recenset, quæ Lentem amplectitur, strangulat, & suffocat & detrahit non aliter quam Orobanche Eruum. Plinius Aparinem inquit, aliqui Oraphalocarpon, alij Philantropon vocant: ramosam hirsutam; quinis senisque in orbem circa ramos foliis per interualla: semen rotundum, durum, concauum, subdulce: nascitur in frumentario agro, aut herbis pratisue, asperitate etiam vestium tenaci. Inter cæteras facultates laudantur folia, cum fece aceti trita ad strumas dissoluendas. Alibi Plinius, eamdem inter Lappagines Asperuginem vocat; asperioribus foliis constantem, quod verbum alludit vulgari nomenclaturę: Aspręlla enim vocatur.

LAP-

CAP. X.

LAPPAGO quidam Aparinem lęuem vocant, vbique nascitur, Aparinę similis, nequaquam aspera, durior, ac ramosior, vt Rubia; sed foliis pusillis, & subrotundis, septenis, aut pluribus in singulis geniculis: racemoso flore, candido, & magis manifesto: fructu exiguo, Milij magnitudine: radice rubra, oblonga, vt Rubiæ, multis aliis capillaribus flauescentibus. Eius aliquæ differentiæ magnitudinis & paruitatis, asperitatis ac lęuitatis. Aliqui non immerito inter sylucstres Rubias numerant. Puto autē apud Plinium Lappaginē vocari: Inquit enim similis est Anagallidi, nisi esset ramosior, ac pluribus foliis aspera, rugosa, asperioris succi, grauis odoris. quæ talis est, Mollugo vocatur, cuius succus expressus pondere xi denariorum in vini cyatis duobus ad podagras quotidie sumitur: similis & asperioribus foliis Asperugo vocatur: sed alia Lappago vocatur à Theodoro, quam Theophrastus Hippophion vocat.

CAP. XI.

GALION Lappagini similis est, tactu læui: sed foliis angustissimis, in singulis geniculis numeroso ambitu: flosculos copiosos fert in cacuminibus, racematim, luteos, & granula exigua, ac nigra: radicem flauescentem. extant & huius differentiæ magnitudinis & paruitatis, & coloris. Quædam enim flore candido constat, in læto solo nascens, & palustribus. Quæ vero luteum florem gerit, in sterili solo magis, ac montibus prouenit. Dioscorides inquit. Galion ab eo nomen traxit, quod in cōtrahendo lacte coaguli vicem præstat: ramulum, foliumque habet Aparinæ simillimum, rectum: florem in cacumine luteum, tenuem, densum, copiosum, odoratum: nascitur in palustribus: flos medetur ambustis; profluia sanguinis prohibet: radix Venerem stimulat.

CAP. XII.

CRVCIALIS herba vulgò appellatur: multis ab eadem radice cauliculis, simplicibus, dodrantalibus quaternis foliis in singulis geniculis ad modum crucis, hirsutis, sed tactu molli, paulo Rubia minoribus: flosculos fert in singulis geniculis, luteos inter folia: fructus rotundos, leues, candidos: oritur in pratis, & collibus: Eadem in montibus longe exilior nascitur: Quędam in marittimis minima, quatuor digitorum altitudine: fructu in orbibus pungente. Plinius Alysson vocat inquiens: distat à Rubia, qui Alyssos vocatur, foliis

liis tantum, & ramis minoribus, quippe nomen accepit, quod à cane commorsos rabiem sentire non patitur, potus ex aceto, adalligatusque: mirumque est, quod additur, saniem conspecto eo frutice siccari. Non abhorreret ab eadem herba & Dioscoridis descriptio; nam de Alysso post Aparinem statim agens inquit: Fruticosa herbula est, vnicaulis, subaspera: rotundis foliis: sed quod de fructu subiungit, non videtur congruere: cum inquit: fructum fert duplicium scutulorum effigie, in quo est semen quadantenus latum: in montibus, & asperis locis emicat: Non tamen ex toto abhorret hæc conditio; nam & in Aparina & Rubiæ generibus semen duplex continetur, altera parte concauum, altera conuexum scutulorum effigie. Hermolaus ostendebat Alysson, non herbam Crucialem, sed quam nos Rubiam sylueſtrem appellauimus: foliis quinis in singulis geniculis, asperioribus, quam Crucialis, & grandiori semine: magis anguloso caule: flore candido, cuiusmodi est, quam nos inter sylueſtres: fructu aspero: & breuiori caule ostendimus. At Galenus & Aetius alias omnino diuersas plantas ostendunt Alyssi nomine, de quibus inter Matrubij genera quærendum est.

CAP. XIII.

QVAEDAM dodrantalis, fruticosa: ramulis tenuibus: binis foliolis, angustis, in singulis geniculis: in alis grana singula acetabuli figura in quinque barbulas desinentia, parua, dura, viridia, & striata: intus semina bina continentur: oritur in montibus.

CAP. XIIII.

QVIDAM fruticulus in collibus saxosis nascitur, arido solo, & inculto: ramulos tres, aut quatuor ab radice spargens, simplices, dodrante longiores, humi procumbentes: in quibus pauca folia, ceu Lini, breuia, colore aliquando viridi, aliquando ex rubro nigrescente: supra folia pendent flores ex vno tantum latere vsque ad cacumina, spectantes ad terram, purpurei, vel cærulei, vel pallescentes, ex rotundis foliolis tegentibus: fructum compressum & rotundum, qui in summo scissus est: semine in vtroque latere oblongo, gustu subamaro. Non abhorret ab hac Osyris Dioscoridis; inquit enim: fruticulus est niger: virgas ferens tenues, lentas: foliola tria, aliquando quatuor, quinque, & sex ceu Lini, initio nigra, mutata autem subrubra fiunt. decoctum huius sanat morbum regium; sed quoniam apud Plinium coloris mutatio non foliis tribuitur, sed fructui, idcirco aliam ostendimus Osyridem eius descriptioni conuenientem.

QVAE

CAP. XV.

QVAE in geminis conceptaculis plura ferũt semina, multa sũt, & multis modis varia; nam aliis pauciora in singulis alueolis continẽtur semina: aliis plura: constitutio quoque vasculorum differt; nam alia septum habent productum à dextris ad sinistra, vt alueoli ante & retro spectent, vt genera Verbasci: Alia vicoversa alueolos habent in dextris & sinistris, septo secundum profunditatem producto: vt genera Nasturtij & Leucoij: septum præterea vel tenuis est membrana, adeo vt in quibusdam vix conspicua existat, vt in Plantagine; vel crassum corpus, quæ vt plurimum est seminis sedes, vt in Acantho: abscedit autem perfecto semine exarescente vasculo, aut veluti testa superposita, vt in Plantagine, Hyoscyamo: aut vtrinq; valuula solo relicto septo, vt in Nasturtio; aut solum rimula in summo vasculi fit, vnde effunditur semen, vt in Verbasco; aut dehiscunt vtrinque oscula, vt in Linaria. Vt autem varia est vasculorum constitutio, sic & totius plantæ facies valde differt in singulis generibus, sed incipiamus ab his, quibus pauciora insunt semina, inter quæ ea sunt, quæ spicata appellantur à Theophrasto, quia spicam gerunt similem frumentis.

CAP. XVI.

PLANTAGO herba est in humidis nascens, passim in pratis, & secus vias: foliis in terra stratis, figura Betæ, neruis in longitudinẽ discurrentibus, aliis quinque, aliis septem; vnde vulgò Quinqueneruia & Centineruia, & Beta syluestris appellatur: radicem fert pollicis crassitudine, breuem, à qua multæ aliæ tenues, & fibrosæ descendunt: cauliculos simplices, ac nudos totos, fere semine circundatos more spicarum: flosculo lanugineo pallescente. sunt autem tenuia vascula & oblonga, breuibus quibusdam folliculis protecta, in quibus semina continentur exigua, ex nigro rufescentia, splendidaque: Huius cauliculi apud nos ad cubitalẽ altitudinem non accedunt aliquando vix palmum attingunt procumbentes ad terram, quo vero longiores, eo magis eriguntur: estat quędam foliato caule, frequens in Germania. Dioscorides Arnoglossum maius vocat, quasi Agni linguam: habitus inquit est lato folio, oleraceo, anguloso: caule subrubro, altitudine cubitali: tenui semine à medio ad verticem vsque circundante: radicibus teneris, pilosis, & candidis, digiti crassitudine; in palustribus, secus aggeres & septa. Theophrastus simpliciter Arnoglossum vocat, aliquando Stelephuron, vtrumque verbum à Theodoro Plantago vertitur. De Arnoglosso

noglosso inquit: ab radice tantum foliata est: prorogat suos prouentus ex singulis floribus: alibi Stelephuros inquit spicosa, quæ Agnina lingua a quibusdam vocata est, & ab aliis Conturnix, similis caudæ Vulpinæ, nisi quod florem non particulatim edit, sed per totam spicam Tritici modo: flos lanugineus, vt Frumenti: Genere autem conuenit cum Oculo Canis,& Bibinella,& Cauda Vulpina,quæ spicam gerunt,nõ acutam, neque aristatam, tota forma cum Tritico similia, sed latiore folio constant. Plinius seorsum de Plantagine,& Stelephuro agit: nam Stelephuros inquit proxima est Caudæ Vulpinę,nisi quod illa particulatim floret. Alibi duo genera Plantaginis tradit, minorem, & maiorem: De maiore inquit: foliis laterum modo inclusa, quæ quia septena sunt,quidam eam Heptapleuron vocarunt. Huius & caulis cubitalis est,& Napi similis: nascitur in humidis, multo efficacior minore. At quæ Napi similitudo cum Plantagine, non video, nisi intelligatur semen. Miras huius herbæ facultates legere est apud Dioscoridem.

CAP. XVII.

LANCEOLA vulgo appellatur, quia caules lanceas cum sua cuspide referunt: herba similis Plantagini: foliis angustioribus, longioribus, ac mollioribus, sapore non ingrato; nam cruda sumuntur inter olera, quæ oleo,sale,& aceto parantur: caules fert multos, cubitales, nudos, ex medio foliorum exeuntes, rectos,quamuis prope radicem incuruos: quibus summis breues sunt spicæ, lanuginosæ: flosculi ab imo incipiunt in orbem circundantes apice quodam insidente stamini tenuissimo, pallescentes: fructus similis Plantagini, sed binis tantum seminibus: oritur in pratis,& tenui solo. reperitur & in hoc genere maior,& minor, & maximum quoddam genus in montibus. Dioscorides Arnoglossum minus, idest Plantaginem minorem vocat: angustioribus foliis, minoribus, mollioribus, leuioribus, ac tenuioribus: cauliculis angulosis, veluti in terram procumbentibus: flore pallido: semine cacuminibus caulium impofito. Plinius similiter Plantaginem minorem describit: angustioribus foliis, nigrioribus, linguæ Pecorum simillimis: caule anguloso,in terram inclinato: in pratis. An hæc apud Theophrastum Alopecuros, idest cauda Vulpina dicta est? inter spicosa, spicam habet hirsutiorem, & magis lanuginosam, similem Vulpium caudis, vnde nomen. ei similis Stelephuros,nisi quod florem non quemadmodum illa particulatim edit: flos vtrique lanugineus,sicut etiã Frumento: Hæc Theophrastus. Quamuis autem inter frumenta sylueſtria & pabularia quędam ostendatur, cui spica mollissima est, maxime similis Vulpium Caudæ, non tamen in eo genere contineri videtur, quæ

Theo

Theophrastus spicosa appellat inter olera: hæc enim latifolia magis traduntur, quam Triticum, vt patet in Plantagine, quam Stelephuron vocat in hoc genere. Plinius Theophrastum secutus inquit: Alopecuros spicam habet, mollem, & lanuginem densam, non dissimilem Vulpium caudis; vnde ei & nomen. Proxima est ei, & Stelephuros, nisi quod illa particulatim floret.

CAP. XVIII.

BIBINELLA herbula est ex Sicilia habita, minor Lanceola, ac viridior: folium medio quodam modo se habet, inter Lanceolam & Plantaginem; paruis circumquaque apicibus, vt Coronopo, frequentioribus: cauliculos fert palmares, plenos semine, vt Plantago: herba assumitur inter olera. Apud Theophrastum Thryallis vocatur, quam Theodorus Bibinellam vertit: hæc inter spicosa quadantenus similis est Stelephuro idest Plantagini: meminit & Plinius inquiẽs, Thryallis est ex his, idest Stelephuro, & Alopecuro.

CAP. XIX.

CORONOPVS, quæ vulgo herba Stella appellatur, foliola fert multa, circa radicem strata, longa, & angusta: appendicibus quibusdam raris, & inæqualibus, magna ex parte falcatis, acutisque, non tamen pungentibus, sed initio nullis, sapore dulci, & astringente, ideo cruda in cibis recipiuntur: cauliculos fert tenues, humi procumbentes: spica simili Lanceolę, tenuiori: seritur in hortis, sed & sponte nascitur in incultis, & secus vias. quæ seritur angustiore folio constat, mollior, rarioribus appendicibus, gratior: syluestris hirsutior, foliis profundius laciniatis, Erucæ similitudine. Dioscorides Coronopum vocat, quasi pedem coruinum, ob aduncas foliorum appendices vnguibus pedis coruini similes: hodie tamen Pedem Coruinum vocant Ranunculi speciem ad inustiones laudatam pro Cauterio. reperio Coronopum inter cæteras appellationes antiquas, Astrion quoque dictam fuisse, quasi Stellam, quod nomen hodie vulgare est; at breuiter in hunc modum describitur à Dioscoride: est oblonga herbula, in terram strata: foliis scissis: coquitur in olere: radicem habet tenuem, astringentem, quæ in cibo cęliacis facit: prouenit in incultis iuxta domos, & secus vias. Plinius eadem transcribit inquiens, Coronopus oblonga herbula est cum fissuris: seritur interim, quoniam radix cęliacis præclare facit in cinere tosta: sed alibi inter aculeatas recensere videtur, quarum caules per terram serpunt, sed imbi verbum aculeatarum superioribus adne-

ctendum est, cum de Ononide loquens inquit, viuaxque præcipue aculeatarum: sequitur postea: caules aliquarum per terram serpunt, vt eius, quam Coronopum vocant. Apud Theophrastum Theodorus Silaginem vertit, quæ ab radice tantum foliata inter olera, quibus amaritudo quædam inest, vt Cicoraceis.

CAP. XX.

QVAEDAM in montibus nascitur inter saxa: latiore, ac densiore frutice, quam herba Stella: foliis pusillis, angustioribus multo, ac sine appendicibus, aut scissuris, quasi Graminis, leuibus, sapore subaustero, gustui grato: cauliculos tenues, spicosos, vt Plantaginis: radicem fert lignosam, inferne singularem, superne in multos ramos fissam, vnde erumpunt dēsa foliola, capillaceam comam præseferentia: Frequens hæc in Etruriē Montacuto: ea vtuntur in cibis cruda. altera in ædificiis visitur simplicior, lanuginosa: tenui radice: cauliculis quatuor digitorum longitudine, quibus insident capitula Psyllio similia: hanc quidam Serpentinam vocant: Dioscorides Holestion vocat, quasi totum esui aptum, intelligens, vt puto, priorem illam fruticosam. Alij tamen ex Plinio Holostium vocant. est inquit Dioscorides, pusilla herba, tribus aut quatuor digitis supra terram: foliis, sarmentisque Coronopi, aut Graminis, sapore austero: radice admodum tenui, vsque in capillamenti speciem, candida, quatuor digitorum longitudine: in collibus: & carnes hæ, cum coquuntur, addita cohęrescunt: extat & vsus eius ad rupta in vino potæ. Plinius non Holestium sed Holosteon vocat, quasi totum osseum, ex aduerso tamen appellatam à Gręcis herbam; quia sine duritia, sicut Fel dulce. Herba inquit est tenuis vsque in capillamenti speciem, longitudine quatuor digitorum, ceu foliis angustis: astringens gustu: nascitur in collibus terrenis: ex quibus error notatur in Dioscoride, capillamenti similitudinem tribuenti radici, cum potius herbæ conueniat, nam folia comam capillaceam radici fruticosæ insidentem præseferunt, aliquando amplitudine, quanta humani capitis vertex; ob duritiem vero fruticis, forte Holostium dictum est, non à contrario sensu, vt Plinius putauit.

CAP. XXI.

PSYLLIVM à supradictis distat, quod in caules assurgat foliatos, & ramosos, altitudine prope cubitali: folia ab radice longa, & angusta, vt Coronopi, sine scissura, hirsuta, in caule vero breuiora: ex alis cauliculi excūt, quibus insidēt capitula, quæ spicæ sunt breues, ex con-

congestis granis cõstantes, vt in Lanceola : flosculi simili modo, stamine lõgo constant, apicem quendã sustinente : semina in suis folliculis bina, euidenter concaua, in speciem nauiculę; parte autem conuexa pulices representant, vnde appellatio apud Grecos, colore nigricante, cum splendore quodam : oritur locis harenosis, precipue marittimis. eius duas notauimus differentias, magnitudine & paruitate tum seminis, tum foliorum, ac totius plantæ : maioris semen candidius est : recentiores Pulicariam vocant, licet eodem nomine etiam Conizam intelligant. Dioscorides describit foliis Coronopi, hirsutis, longioribus : ramis dodrantalibus, vt tota herba Feni speciem gerat : coma eius à medio incipit caule, in summo capitula duo, aut tria compacta, in quibus semen durum, nigrum, simile pulicibus, vnde nomen : nascitur in aruis & in cultis. Plinius in vineis reperiri : radice tenui, superuacua : sarmentosum fabæ granis in cacuminibus : foliis canino capiti non dissimilibus: semine autem pulici : intelligit autem per caninum caput herbam, cui vasculum inest canino capiti simile : folia autem Psyllij, vt suo loco ostendetur. Apud Theophrastum censeo Cynopa intelligi Psyllium, quoniam inter nomina à Dioscoride tradita, etiam Cynoides, & Cynocephalon dicta est, ob similitudinem cum capite Canino herba. Theodorus modo oculum canis vertit, modo Canariam. suspicatur Hermolaus non Cynopa legendum esse, sed Conopa, vt intelligatur herba Culex appellata; nam Græce Conops culicem significat, de qua herba reperitur apud rei rusticæ scriptores, Cucumeres nasci sine semine, si farina eius herbæ maceretur semina. Ego potius Culicem herbam censerem Conizam deriuato nomine à Conope, quoniam culices abigit, vt Dioscorides testatur : Cynops igitur apud Theophrastum numeratur cum spicatis supradictis : germinat post æquinoctium primis imbribus. Apud Plinium quoque inter easdem spicatas Cynopis mentio reperitur. Psyllij facultates diligenter apud Mesuem leguntur inter medicamenta purgantia : nam soluit emolliendo pars quædam in semine, quæ in superficie est, dum soluitur in aqua, nam aquam inspissat, vt testatur Dioscorides, nostri mucillaginem Psyllij appellant, qua vtuntur ad asperam arteriam, ad acres distillationes in eclegmate, & ad linguæ ariditatem, asperitatemque in febribus exurentibus, ad quem vsum sufficit semen globulo tenuis lintei exceptum, vt in aqua frigida madescat; soluitur enim glutinosus eius succus, cui facultas inest refrigerandi, & humectandi vehementer. At seminis medulla vehementer calida & sicca est, acris, rubificans, & exulcerans, in genere venenorum. Dioscorides quoque libro sexto inter venena Psyllium numerat.

CAP. XXII.

POTAMOGETON in fluminibus, & ſtagnantibus aquis naſcitur: longis ramis, iunceis innatans: foliis per interualla, Plantaginis magnitudine, Laurini folij, ex quorum alis ſpicas egerit ſuper aquas quatuor digitorum longitudine, granis ruffeſcentibus, circũdatas; in quibus bina ſemina continentur. Dioſcorides inquit; foliũ Betæ ſimile, hirſutum, & parum extra aquam ſupereminens; facultate refrigerandi, & aſtringendi: inter cætera nomina Stachyitem appellari, quaſi ſpicatam. Plinius inquit Potamogeton ſimilis Betæ: foliis minoribus tantum, hirſutioribuſque, paulum ſupereminens extra aquam: peculiariter refrigerat, & ſpiſſat. Aliam præterea Plinius ex Caſtore Potamogeton deſcribit: foliis Equiſeti, de qua nos alibi.

CAP. XXIII.

MALABATRVM ex hoc genere videtur eſſe; nam affertur ex India foliũ quoddam, quod Folium Indum vocant, Lauro ſimile, cui tres venę, ſeu nerui diſcurrunt ſecundũ longitudinẽ; iucundi odoris, ſapore pingui, ac ſubacri: huiuſmodi ferunt apud Calecutenſes mandi voluptatis gratia: Betellas patrio nomine vocant, ora mandentium & dentes inficere colore ſubrufo, Venerem excitare; idcirco in frequenti vſu eſſe. Putant quidam huiuſmodi eſſe, aut Caſiæ folium, aut Gariophylli; quoniam earum folia Lauri vel Mali Aſſirij traduntur. At qui arbores eas viderunt, vt Betellas, tamquam rem diuerſam tradunt, vt videre licet apud Lodouicum Romanum, & Aloyſium Cadamuſtum in ſuis nauigationibus, & alios, apud quos, & pictura eiuſdem folij traditur, neque fuerit Tembul Auicennæ, quod inquit mandunt Indi, ad gingiuas conſolidandas, & ventriculum roborandum, temperamenti frigidi & ſicci; non enim euidens eſt aſtrictio in hoc folio, ſed acredo quædam manifeſta, & caliditas aromatica. conſideranti igitur Potamogeti folium in noſtris paludibus & figura & neruis tribus diſcurrentibus maxime affine huic folio eſſe, nullum videbitur abſurdum, ſi hoc Malabathrum ſtatuamus apud Dioſcoridem, inquit enim: folium eſt ſui generis in paludibus Indiæ genitum, aquiſque innatans paluſtris Lenticulę modo: nulla radice: Hoc protinus collectum, Lino traiectum, ſiccatur, & reponitur. Tradunt exuſtis eſtu paludibus cremiis & ſarmentis in vri locum, alioqui non prouenturo eo genere nĩ ita fiat. laudatur recens, & in albo nigricans, contumax frangi, ſolidum, integrumque, odore, qui nares feriat, & qui ſummoto quoque eo perſiſtat,

ſtat, ſapòr eius ſimilis eſſe debet Nardo ſub lingua, non ſalſus: Damnatur infirmum, & minutim contuſum, præſertim ſi cariosum virus oleat. Vim habet Nardi, quamuis in cæteris infirmiorem, tamen vrinis impellendis, & ſtomacho roborando vtiliorem: Oris halitum & ſuauitatem commendat linguæ ſubditum: interponitur veſtibus ad odorem & noxia animalia arcenda. Plinius Malobathron vocat è Syria quidem, & Aegypto arborem eſſe conuoluto folio, ex quo exprimitur oleum ad vnguenta. Laudatius autem ex India venit, in paludibus ibi gigni, Lentis modo, odoratius Croco, nigricans, ſcabrumque, quodam ſalis guſtu, minus probatur, candidum celerrime ſitum in vetuſtate ſentit, ſapor eius Nardo ſimilis eſſe debet, odor in vino ſufferuefacti antecedit alios. Auicenna Malabatro tribuit ramos, & florem frangibilem. Contendit Don Garzia Luſitanus Malabatrum in India vocabulo parum immutato vocari Tamalapatra, & eſſe arborem ingentem in ſiccis natam; non in paludibus natare, vt Dioſcorides tradidit. De Betellis autem, quas Betre vocat, inquit Tambul vocari, quaſi Tembul Auicennę: inquit naſci vbique in maritimis Indię, at in mediterraneis nequaquã, niſi transferatur; neque in frigidioribus locis, vt Chinna; neque in calidioribus: in inſulis Molucchis fructum ferre ſimilem caudæ Lacertæ, qui guſtui gratus comeditur ab indigenis: ſeri vt vites, adiunctis adminiculis, vt ſerpat, Hederæ modo: ſed operoſa eget cultura, & aquarum irrigatione continua; ex quibus ſignificatur plantam paluſtrem eſſe, ſimile quoq; fructu noſtro Potamogeto, intelligique pro Malabathro à Dioſcoride: Quod autem Tamalapatra vocant Indi eſſe genus arboreum, quod ſcribitur à Plinio; & apud Auicennam Tembul.

CAP. XXIIII.

ACANTHVS vulgò Brancaurſina: oritur in vmbroſis: foliis ab radice magnis, & multis, figura Cardui ſylueſtris, at nequaquã ſpinoſis, leuibus, mollibus, ex viridi nigricantibus: caulem ex medio foliorum fert, ſimplicem, nudum, rotundum, ac rectum, vltra cubitalem altitudinem: à cuius medio vſque ad verticem veluti in ſpica fructus continentur, figura grandis oliuæ, inter flores candidos, ac diſſectos, & membranas quaſdam procedente tempore aculeis robuſtis armatas: in fructibus bina vtrinque ſemina conduntur oſſea, compreſſa, Fabæ magnitudine: radices multas, ac longas fert: Tota planta glutinoſo quodam ſucco, ac muccoſo conſtat, ex quo gummi Tragacanthæ æmulum faciunt quidam. Dioſcorides Acantham vocat, quaſi ſpinam: prouenit inquit, in viridariis, & locis ſaxoſis, ac humectis: habet folia multo latiora, ac longiora Lactuca, Erucæ modo diuiſa, ſubnigra, pinguia,

lęuia:

lęuia : caulem lęuem, bicubitalem, digiti crassitudine, circundatum pro pe verticem per interualla foliolis quibusdam, oblongis, tamquam nucamentorum squamulis, spinosis (Græce Ακανθωδεσιν non vt deprauate quidam codices legunt γακυνθωδεσιν, idest lacinthinis) ex quibus flos erumpit albus : fructum oblongum, melinum: caput autem Thyrsi : radices subsunt lentæ, muccosæ, longę, ruffescentes, quæ inustis & luxatis conueniunt cataplasmate imposito. sylueſtrem præterea Acanthum tradit Dioscorides Scolimo similem, spinosam, & breuiorem domestica : sed in hoc genere adhuc nequaquam vidimus spinosis foliis; idcirco inter Acanacea sylueſtris Acanthus ostenditur. Apud Plinium Acanthos est topiaria, & vrbana herba : elato, longoque folio, crepidines marginum, assurgentiumq; puluinorum toros vestiens. Duo genera eius sunt; aculeatum, & crispum, quod breuius : alterum læue, quod aliqui Pederoton; alij Melamphyllum vocant. Apud Theophrastum Acanthos inter arbores ponitur, Aegypti peculiaris; Spinam Aegyptiam vertit Theodorus : aliquando pro Acere, nisi mendosus sit codex. vbi inter arbores, quæ in plana descendunt, post Palyurum, vt Oxiacantham subiungitur Acanthos, cum Sphendannos idest Acer ex sequentibus verbis significetur. Acantha autem inter herbas spinam vertit Theodorus, de qua inquit : germinat vt Cyperus, sed radix non Harundinosa, neque geniculata est : & alibi, spinam quandam narrant, quæ aquam conicta congelet. eius caulem alibi testiculo comparat : quæ omnia Acantho conueniunt; nam caulis simplex, veluti spicam gerit, vt genera testiculorum, & ob muccosam substantiam aquam inspissat iniecta : hodie ob vim emplasticam hac herba vtuntur ad tumores rebelles suppurandos.

CAP. XXV.

HACTENVS de spicatis : reliqua genera florem gerunt foliatum in sede fructus, eumq; alia continuũ, patulum, vel concauum, vt genera Verbasci, Auricula muris, os Leonis; alia ex foliis coagmentatum, vt Rhafani, & Leucoij genera. sed de his posterius.

CAP. XXVI.

ANTIRRHINON herbula est humi strata : prouenit non dum exacta hyeme in hortis, & iuxta parietes : ramulis dodrantalibus, tenuibus, ex capillari radice : foliolis subrotundis, quibus paucæ incisurę, vt in Cymbalaria, subhirsutis : flosculos tenui pediculo fert, iuxta singula folia, cęruleos specie Anagallidis : fructus pendent gemini, figura testiculorum, candicantes, in quibus duo semina continentur,

nentur, concaua, vt Aparinę, candida, vt parte concaua narium cauitatem rotundam ostendant, parte autem curua caluariæ testam præseferant. Alterum genus exilius, in parietibus frequens: foliolis magis serratis: seminibus exilioribus, ac pluribus, in simili vasculo. Dioscorides inquit herba caule, & foliis est Anagallidi similis: flore Leucoij purpureo, minore; vnde sylueſtris Anagallis (seu vt alij legunt) Lychnis nominata est: semine vituli naribus simili. Theophrastus Anthirrhizon vocat, vtilem ad gloriam comparandam, Aparinæ similem: radice nulla: fructui insunt tamquam nares vituli, quo peruncto gratiam, vitæque gloriam consequi creditur. Plinius similem Lino tradit: radice nulla: flore Hyacinthi: semine Vituli narium. Hermolaus corrupte pro Aparina, Linum eo loco scribi putat. At verò, quæ affinitas Anagallidi, vt Dioscorides comparat, cum Aparina, aut Lino? Qui Plinij lectionem probant, ostendunt Antirrhinon foliis Lini: capitulis Vituli per nares & os effundentibus: semen minutum: Planta ea vulgo à nostris Os Leonis vocatur: auget hanc fidem, quod Bucranion aliquando inuenitur appellari, quasi Bubulum, aut Vitulinum caput, vt testatur Hermolaus apud Galenum. Si vero Dioscoridem sequamur, non hæc, cui neque in foliis, neque in caule similitudo vlla est cum Anagallide, sed ea, quam descripsi perbelle quadrabit: a qua non abhorret similitudo Aparinæ apud Theophrastum, si caules humi procumbentes spectemus, & fructum, quamquam folia valde differant.

CAP. XXVII.

AVRICVLA Muris plures habet differentias: vna in pratis humectis nascitur, & scrobibus: pluribus ab eadem radice fibrosa cauliculis rectis, simplicibus: foliis oblongis, lęuibus, assidue prope cacumina exilioribus: flosculos ex cęruleo candicantes fert in summis cauliculis, veluti in spica, similes Anagallidi: vascula autem tenuia, compressa, in summo diuisa, in quibus pauca semina: tota planta sapore astringente constat. Altera in parietibus: foliis internis, in ambitu serratis, rotundioribus, & subhirsutis, prope cacumina autem angustis in acutum desinentibus, non serratis. Tertia, quæ à Germanis Veronica mas appellatur: oritur in collibus, gracili solo: pluribus ab eadē radice ramis, humi procūbentibus, dodrātalibus, subrubentibus: foliis per interualla binis, oblōgis, nigris, leuiter circūserratis: ramulos in cacuminibus fert, veluti spicas, digiti longitudine: flosculis circundantibus, cæruleis: & vasculis compressis, bifidis, in quibus tenuia semina: radice nititur tenui: tota plāta, gustu astringēs, & subamara est: laudatur ad vlcera sananda, & scabie: propinant quoque ad febres pestilentes, & obstru-

obstructiones internas: eius succo ferunt quendam Gallorum Regem à Lepra sanatum. Quarta huic similis, hirsutior: ramulis rectis, in longissimam spicam desinentibus: caudæ muris similem: flosculis cæruleis eleganter vestitam: oritur in montibus: huic non absimilis, quę in Germania pro Chamędri mare vsurpatur. Quinta & sexta, quæ pro Chamędri fæmina: foliis latioribus, rotundioribus, & crispis, vt Mentæ: racemulos in alis fert magis quam spicas, in quibus flores latiores: oritur in sylvis: vtręque amariores Veronica; ideo valentiores ad obstructiones internas. has omnes ad Myosota, seu Myosotidem, idest Muris auriculam redigendas censeo apud Dioscoridem: inquit enim: Myosotis caules plures fert ab vna radice, aliquatenus rubentes ab imo, & concauos: foliis angustis, oblongis, dorso acuto, nigris, per interualla geminis, in acutum desinentibus: ex alis parui cauliculi enascuntur, in quibus flosculi cęrulei, parui insunt, vt Anagallidis: radix digiti crassitudine, multis capillamentis fibrata: radix illita Argylopia sanat. Plinius leuem herbam, & reliqua ex Dioscoride transcribit, ei vim stipticam, & ex vlceratiuam tribuit: ideo sanare Argylopas.

CAP. XXVIII.

ANAGALLIS aquatica, herba in aquosis nascitur circa duos dodrantes: caule crasso, concauo, molli, & subrubente, ramoso: foliis per interualla geminis, subrotundis, aut oblongis, vt Mentæ, lęuibus, serratis: racemulis ex alis foliorum oblongis, in quibus flores cærulei, vt supradictis, scilicet forma Anagallidis: & fructus compressi, in summo bipartiti. Veterinarij hac herba vtuntur, ad equorum scabiem sanandam, & tumores discutiendos. Hæc quoque ad Auriculam Muris pertinere videtur; quamuis apud Dioscoridem Anagallis aquatica vocetur Sion, ideo quidam hodie Crescionem vocant: oritur enim cum Sio.

CAP. XXIX.

PROVINCA vulgò in officinis vocatur herba in vmbrosis nascēs, quæ viticulas fert longas, & tenues, humi repentes, succo lacteo: foliis per interualla binis, effigie Lauri, sed minoribus, quasi Ligustri, duris, nigricantibus, perpetuis: floret ineunte vere, cum nuper è terra viticulæ exeunt, nec dum procumbentes ad terram: flores oblongi in quinque folia patentes, figura Gelsimini, colore cæruleo, sine odore, in alis foliorum singulares: fructus oblongos, veluti siliquas bifurcatas gerit; in quibus semina oblonga, & depressa. Venit in coronas lugubres folio. altera maior: folio latiore, quasi Hederaceo: grandioribus

floribus

floribus, quos toto anno fert, cæruleos: peregrina apud nos. Dioscorides Clematidem vocat cognomine Daphnoidem, de qua inquit: humi serpit læto, & pingui solo: viticulas spargens, crassitudine Iunci, exiguas: folia Lauri figura, & colore, multo minora. Plinius duo habet nomina diuersis locis, eamdem tamen plantam significantia: Vincaperuinca inquit, in modum lineæ, foliis geniculatim circundata, topiaria herba, inopiâ tamen florum aliquando supplet: hæcque à Græcis Chamædaphne vocatur: sed aliam tradit Chamędaphnem ex Dioscoride. Alibi inter Clematides, inquit: est & alia Clematis Ægyptia cognomine, quæ ab aliis Daphnoides, ab aliis Polygonoides vocatur: folio Lauri, longa tenuisque: Ægyptus hanc maxime gignit. Videtur autem Plinius nostratem Prouincam, Vincamperuincam appellasse: Peregrinam autem Clematidem Ægyptiam. Laudatur Prouinca ad sanguinem vndecumque fluentem, ad dissenteriam, & alui profluuia, in vino pota, & ad dolorem dentium commanducata.

CAP. XXX.

PHYLLON Græcè, quasi folium latinè dicitur: aliud tamen à Malabatro, quod & Folium appellatur: herba in Alpibus reperitur, saxa conuestiens, similis Semperuiuo maiori, sed longe tenuior: foliis pusillis, fermè Oleagineis, multos ab radice orbes describentibus, nequaquam pinguibus, candida quadam linea in ambitu læuiter denticulata: cauliculi ex singulis orbibus dodrantales, altioresque, subhirsuti, & subrubentes, paucis foliis: flores summis ramis, summisq; fructibus insidentes, candidi, vascula subrotunda, parua, mollia. Alterum genus humilius: cauliculis simplicibus, altitudine quatuor digitorum, aut paulo altioribus, in quibus frequentia foliola specie alterius, longe exiliora: florem autem grandiusculum fert, purpureum, singularem in cacumine: fructum oblongum bifidum in extremo, in cæteris similem priori; nam vtrique semina minuta vt Papaueris nigri in duplici cauitate continentur: vtręque sapore constant astringente. Dioscorides ex Crateua tradit Phylli duo genera. Theligonon, quasi Fæminificum; & Arrenogonon, idest Marificum: vtrasque Musci modo in saxosis nasci: Theligonon inquit, prouenit Musci modo: folio Oleæ, sed colore magis herbaceo: caule tenui, breui: radice exili: florem album fert: semen Papaueris maiusculum. hęc descriptio satis conuenit priori à me descripræ Arrhenogonon, cætera huic simile, solo fructu distat: habet enim similem Oleæ, cum nuper ex muscoso flore prodierit: sic enim ex Theophrasto legendum puto: verbum autem Βοτρυώδης, idest racemosum, Βρυώδης, potius scribendum esse idest muscosum; nam velu

ti ex Musco fructus erũpit incipientibus geminis oliuis similis. Verum Theophrastus non has videtur intellexisse per Phyllon Fæminificum, & Marificum; sed Mercurialem ipsius Dioscoridis: cum describat: foliis Ocymi: vtrique autem in genere maris fructus inest geminus, vt testiculi hominis: vtrique traditur facultas generandi mares vel fęminas; nam Arrhenogonon potu masculos partus facere; Theligonon fæminas. Plinius inquit, Phyllon à Græcis vocatur herba in saxosis montibus: fæmina magis herbacei coloris: caule tenui: radice parua: semine rotundo Papaueri simile, hęc sui sexus facit partus: Mares autem semine tantum differunt, quod est simile incipienti Oliuæ: vtrumque bibitur in Vino. alibi Arrhenogonon, & Theligonon inquit: herbæ sunt habentes vuas: flores Oleæ similes, pallidiores tamen: semen album Papaueris modo: Theligoni potu fæminam concipi narrant: Arrhenogonon ab ea semine Oleæ, nec alio distat: huius potu mares generari perhibentur, si credimus. alij vtramque Ocymo similem tradunt; Arrhenogoni autem semen geminum esse, testibus simile. hæc partim ex Dioscoride, partim ex Theophrasto assumpta sunt: in codicibus tamen Plinij non Arrhenogonon, sed Arsenogonon corruptè legitur. Alibi Theligonon speciem Crateogoni facit; minus aspero gustu: vtrique semen testibus simile esse; sed quia hęc à variis authoribus desumpta sunt, nequaquam curamus.

CAP. XXXI.

AFFINIS Thelygono est herba in eisdem locis nascens: foliis latioribus, rotundis, quasi cotyledonis, circum incisis, parte inferna subrubentibus, pinguibus: cauliculum fert semicubitalem, Thelygono similem: paucis foliis: ramisque, quibus summis flores candidi, & vascula oblonga, figura Hyponici, mollia: radicem habet breuem, & villosam, cui aliquando adhærent veluti granula rotunda, partim alba, partim rubea, quibus propagatur; sapor astringens, cum aliqua amaritudine: comminuit calculos: & vrinam mouet: vnde quidam vulgò Saxifragiam maiorem vocant, & albam.

CAP. XXXII.

PIROLA vulgò appellatur in Alpibus herba: foliis ab radice Pyri, astringentibus: cauliculum simplicem, & nudum fert, dodrantalem, subrubentem: circa eius summitatem fructus sunt rotundi, deorsum inclinati, magnitudine Myrthi, resimi, & subruffi: quibus summis flores insident albi: vtuntur huius decocto ad vulnera tum interna, tum externa. alia in campestribus nascitur, locis aquosis: folio

Betæ

Betæ carnoso, & tenero, sed paruo: caulem foliatum fert, simplicem & rectum: fructum virentem circa summum inter folia, paruum, rotundum, ac resimum, sapore astringente: vtrique fructus figura quasi Tintinnabuli.

CAP. XXXIII.

QVAEDAM in montibus: foliis subhirsutis, crispis, nigricantibus, figura Solani: caule tenui, ferme cubitali, paucis ramis: fructus hirsutos fert, subnigros, oblongiores Pirola: & flosculos candicantes in summis fructibus. Huic satis conuenit Circeæ descriptio, de qua Dioscorides inquit. Circea, quam & Dirceam aliqui vocãt, foliis constat hortensis Solani, agnatis, crebris: flore nigro, pusillo, copioso: semine Milij, nascente in quibusdam veluti corniculis; dodrantali: radice triplici fermè, aut quadruplici, candida, odorata, excalfaciente: Nascitur in apricis, saxis, & vento perflatis: Radicis tusæ pondo quatuor in sextariis tribus vini dulcis per diem & noctem macerantur, potuque triduos vuluas expurgant. Semen in sorbitionibus datum lacte mammas nutricum explet. Eandem descriptionem ad verbum habet Plinius: sed semini vim minuendi lactis tribuit in vino, aut aqua mulsa pota. Prædictæ autem plantæ cætera satis congruunt præter florem nigrum.

CAP. XXXIIII.

EVFRAGIA vulgo appellatur, herbula in Alpibus, copiosa in pratis: tenui, & simplici cauliculo, palmi altitudine: foliolis subrotundis, rugosis, circumserratis, geminis ex interuallo, nullo fere pediculo adnexis: flosculos inter folia fert, concauos, Ocymi figura, candicantes, aut modice purpurascentes: fructus in rotunditate oblongos, exiguos: radix fere nulla: gustu cõstant siccante, & subamaro. Altera ramosa: foliis maiusculis, altior, frequens in Liguriæ Alpibus: vtręque florent in æstate. non reperitur hoc nomen nisi apud recentiores medicos. describitur à Mattheo Syluatico: caules fert Hyssopo similes, coloris violacei, ramis carentes: ab eorum medio folia parua, incisa, sicut crista Galliculi: flores tendentes ad albedinem, exiguos: medetur ægretudinibus oculorum, & confert visui. At Hermolaus flores luteolos tribuit: folia Pampinulæ, idest Pimpinellæ, minora, ac magis serrata, & lentiuscula: minus quoque fruticosam esse: pręcipue claritatis ad omnia vitia oculorum, luteolus igitur color in eo flore permixtus deprehenditur cum albo & purpureo. Arnaldus Villanouensis Eufragiam extollit ad visum restituendum in senibus, aut in quacumque ætate oculorum vitia contingant, dummodo in natura pituitosa & pingui ea fiat.

Exhibet vinum cum Eufragia confectum in vindemia, aut puluerem cum oui vitello, aut cum vino. fit quoque aqua destillata ex tota herba florente, qua oculi abluuntur in caligine, & suffusione: ad eadem præstat succus illius.

CAP. XXXV.

AD Eufragiam reducendæ videntur, quædam quamuis sine nomine, Cristæ appellari possunt; quoniam folia Cristas oblongas pullorum Gallinaceorum præseferunt. vna simplici, & recto caule, duorum dodrantum altitudine: foliis oblongis, pallescentibus, tactu glutinoso: flores fert in spica prędensa luteos: & fructus proportione grandiores Eufragia: oritur in collibus gracili solo, & inculto. Altera simili altitudine, ramos fert rectos: foliis purpureis, ex latitudine cristata, in rostrum prælongum desinentibus, densis: inter quæ aurei sunt flosculi, quasi in spica: amat loca culta, & montana, & frequens inter segetes: vtręque florent mense Maij. Dicerem hanc Amellum esse; quoniam inter folia purpurea, luteos condit flores, spectatu pulchra, si ex vno cespite multos caules ferret, vt Virgilius cæcinit de ea: vbi inquit. Namque vno ingentem tollit de cespite syluam. Igitur aptius ostendemus inter affines Asterattici & Anthyllidis. Hæc eadem apud quosdam recentiores herbarios inter vulnerarias herbas recensetur, apud quos Filago, & Cartofilago appellatur, cuius duas faciunt differentias: vna enim est, quæ hebet longum & altum caulem, atque rubicunda existit, in summo luteum florem gerens: Altera rubentibus est foliis, & acutis: caule procero, & hirsuto: floribus luteis. Ex aceto & vino circumponitur vulneribus recentibus; nam glutinat. idem præstat eiusdem cremate cinis inspersus: fistulas quoque sanat, & tetra vlcera idem cinis ex aceto præparatus, & siccatus. Hermolaus Barbarus putat corruptè dici cartofilaginem, cum potius Ceratophylax dicenda sit; quia partem oculorum Ceratoidem, idest, corneam tunicam defendat, salutique percussam restituat: foliis Seriphij, vel potius Rorismarini, aut Lini quoque capitulis arentibus cinis subluteis: sed ipse hac descriptione, aut herbam Impiam, aut aliam similem videtur intelligere. Mattheus quoque Syluaticus eo nomine nullas ex his intelligit, sed Papyrum, ducto nomine à chartis & filamentis, quæ ex Papyro fiebant: eique vires eas tribuit scilicet ad vulnera & fistulas, quas Chartofilagini recentiores ascribunt.

CAP. XXXVI.

DVo alia genera Cristarum passim reperiuntur in Autumno: vna quidem in pratis, & suburbiis: folio oblongo, & angusto, colore nigricante, æquiter scisso: flosculo purpureo; Altera in inculti-

tis copiosa inter Ericam: angustissimis foliis: flore aureo, quem apes valde expetunt: Vtraque caule constat tenui, ferme cubitali, nigricante: ramis in latera tendentibus: flosculos numerosos, inter folia, tamquam in spica: & fructum oblongum, ac rotundum: sapor amarus, & astringens omnibus, vt Eufragiæ. Auderem hanc secundam cum Erica nascentem ob similitudinem cum Erica, vel Tamarice Acacalim asserere apud Dioscoridem, nisi inter frutices illam recenseret: statim enim post Ericam inquit: Acacalis fruticis in Aegypto nascentis semen est, quod fructui Tamaricis simile est: hoc aqua madefactum additur in collyria ad oculorum claritatem præstandam. Serapio Athel vocat: fruticem arborescentem esse: ramulis sursum spectantibus: foliis longis, exilibus, angustis, sine spinis: excauari ex eius ligno vascula: color fruticis quadantenus subrubens, Scorpiique colori non absimilis. ex aliorum autem authoritate, esse ex genere Tamaricis: lignum habet, & ramulos virides, maculis rubris sparsim infectos: folia numerosissima Tamaricis foliis quam simillima: gustuque vim astringentem maxime ostendit: flore caret: fructum fert Cicerum siliquis non absimilem, rotundum, cinericiis coloris, qui ad glaucedinem, pallorem que potissimum vergit: pauca in eo granula colligens inuicem agglomerata, atque coniuncta, dulcia nominata, quę nimirum Februario mense colliguntur. Huic tandem ea tradit; quæ Dioscorides Acacali tribuit. Quamuis autem herbaceę prædictæ plantæ, valde recedant à natura arborea; forma tamen simili constant, neque abhorret facultas; nam ex genere Eufragiæ sunt. Alia vero est Crista Gallinacea apud Plinium, Græce Alectorolophos: ad caligines oculorum efficax, de qua alibi dicendum, & apud Dioscoridem Peristereon rectus idest Verbenaca recta, Crista gallinacea à Romanis dici scribitur, à qua nõ abhorrere videtur ea, quam in pratis oriri diximus; nam flosculos fert omnino similes alteri Verbenacę: vnicaulis est: folia sine pediculo cauli adnexa, incisa, non tamen subalbida, sed potius nigricantia.

CAP. XXXVII.

IN montibus duo alia genera Cristarum reperiuntur: foliis latioribus Eufragia: fructu lato, quasi parui nummi, folliculari specie: intra cuius bipartitos loculos semina continentur, depressa, sapore subdulci. Quædam simplici caule constat, dodrantali: alia ramos habet rectos, cubitali ferme altitudine: oriuntur in pratis.

CAP. XXXVIII.

QVAEDAM in Alpibus reperitur: caulibus digiti craſſitudine, cubitalibus, rectis, ſimplicibus: foliis præduris, rectis. quaſi Filicis, aut Tanaceti: Huius vaſcula oblonga, prædura, modice depreſſa circa cuſpidem: ſemen continent, candidum, & farctum.

CAP. XXXIX.

OROBANCHE vulgò Cauda Leonis, caulis eſt tener, rectus, odrantalis, ſimplex; ſine foliis, ſubflauus: flores fert veluti in ſpica concauos, albicantes, vaſcula oblonga, in quibus puluiſculus ſubrufus continetur pro ſemine: radice nititur rotunda, colore flauo, cui radiculę inſunt breues; amburit plantas leguminum vicinas, vt ad frugem non perueniant; ideo mala herba à ruſticis vocatur: Altera breuior & ramoſa: floribus purpuraſcentibus. Dioſcorides inquit: cauliculus eſt ſexquipedalis, interdum maior, ſubrubens, hirſutus, tener, ſine foliis, pinguis: flore ſubflauo, aut in luteum vergente: radice digiti craſſitudine, quæ dehiſcit, cum areſcit caulis: naſcitur inter legumina, quæ ſtrangulat; vnde nomen: comeditur cruda, & cocta Aſparagi modo: cocta cum leguminibus accelerare coctionem creditur. Plinius eadem ſcribit. Theophraſtus hoc nomine aliam oſtendit, vt patet in Cuſcuta.

CAP. XL.

ARACHIDNA ex genere eſt Orobanches, plãta apud nos in opacis naſcitur, tenerrima, ſuccoſa, odore fungi, guſtui grata: ab eadem radice, quæ in profundum agitur, numeroſi veluti cauliculi exeunt, candidi, intra terram latitantes, quibus loco foliorum frequentia inſunt corpora fungoſa, candida, veluti ſquamæ præcraſſę, ſpecie quodamodo radicis Dictariæ; ideo ſunt, qui Dentariam Aphyllon appellent: iidem cauliculi, cum è terra eruperint, prędictis ſquamis carent, findunturq; in ramulos, ſimiles Orobanche; floribus multis, purpureis, aut candicantibus: fructus fert breues; in quibus ſemina candida, rotũda, in duobus vaſculi lateribus ſedentia. coquitur in cibis, dum tenera eſt, more Aſparagi, aut fungorum; cum exareſcit, dura redditur, ac nigreſcit. in Gallia Ciſalpina vulgò Carpignam vocant. datur puluis in potu ad affectus matricis, & colicos. Theophraſtus duas oſtendit. Arachidnam, & quod Araco ſimile eſt: ambę inquit fructum ferunt ſub terram,

ram, non minorem superno: Pars ipsa carnosa, radicem simplicem, crassam, altius infigendam mittit; cæteras verò, quibus insidet fructus, tenues, ac summo cespite cohęrentes agit: loca harenosa potissimum amant: neutrum folia gerit, neque foliis quicquam simile; sed quasi binorum fructuum partibus inter se oppositis, fęcunda potius extãt, quod mirum profectò est: hæc Theophrastus. Plinius inter herbas, quibus vtuntur in cibis, huius meminit inquiens: Aracidna quidem & Aracos, cum habeant radices ramosas, ac multiplices, nec folium, nec herbam vllam, aut quicquam aliud, supra terram habent.

CAP. XLI.

CVSCVTA à recentioribus Medicis appellata, fruticulus est, sine foliis, vt prædictæ, sed totus supra terram; nam eius nulla radix visa est, neque vllum in terra principium, sed videtur aliis plantis innasci, vt Viscum in arboribus: viticulas tenuissimas fert, quasi filamẽta numerosa, colore subrufo, quibus paruos frutices, & herbas irretit amplexu tenaci, præcipue Genistam: flosculos fert per interualla candicantes, veluti in capitula aceruatos: exiguis seminibus: sapore constat sub amaro. Serapio describit inquiens: Cuscuta herbosis fruticibus adnascitur, quas irretit volubili contextu sępius, fili instar: semine tenuissimo scatet, circa summa fastigia: nascitur in arboribus inter uineta: herbas potissimum enecat: inter Linum inuenitur, & cum eo conuoluitur; vnde vulgò Podagra Lini vocatur: amarescit, sed magis astringit: efficax obstructionibus viscerum auferendis. Recẽtiores Gręci Casytam, seu Cassutam vocant: vnde Hermolaus suspicatur apud Plinium Cadytas vocari, de qua inquit: herba in Syria, non tantum arboribus, sed etiam ipsis spinis circumuoluens se. Theophrastus eamdem videtur intellexisse nomine Orobanches. Theodorus Eruangam vertit: inquit Erui propria est; quia Eruum potissimo vincit ob eius imbecillitatem: herbam totam veluti brachiis capessit, & angit, & strangulat.

CAP. XLII.

EX hoc genere est Epithymum, quod scilicet in Thymo reperitur circumuolutum, aliquas plantæ, cui innascitur, qualitates recipiens. de Epithymo Dioscorides inquit: est flos Thymi durioris, eius scilicet, quod Thymbræ similius est. capitula sunt tenuia, & lęuia, caudiculas habentia, capillamenti instar. Digladiantur hîc authores; alij proprium Thymi florem recipientes, vt verba Dioscoridis innuere videntur; alij rem externam, Thymo extrinsecus adnatam.

Plinius

Plinius litem diremit,florem non Thymi legens, sed e Thymo, quasi sui generis sit flos é Thymo pronatus, Satureiæ similis: Differentiam verò esse inter hunc, & proprium Thymi florem; nam hic herbaceus est, alterius Thymi albus. A quibusdam autem aliter Epithymum traditur: sine radice nasci,similitudine tenuis pallioli rubens: bibi siccatum vmbra dimidia acetabuli mensura ex aqua ad pituitam, & bilem detrahendam. Mesues inter purgantia medicamenta recenset: esse ex herbis super nascentibus aliis herbis Cuscutæ simile. optimum in Creta, subrufum, acuti odoris; deterius in Syria, minus rufum; item damnari sub citrinum, & pallidum: eligendas extremitates, quæ sunt partes crassæ, veluti flores.

CAP. XLIII.

TORNABONA nuper ex India Occidentali inuecta est, primum in Hispaniam cum magnis encomiis ob multas, & mirabiles eius facultates, vt apud Monardē eruditissimum Medicum Hispanū legere licet. vocat autem is Tabaccum patrio apud Indos nomine: deinde in Galliam, mox in Italiā Alfonso Antistiti eius patruo Nicolai Tornabonii Antistitis opera tunc apud regē Gallię Legati transmissa est; vnde nomen apud nos inuenit; nam cum studiose ab eo coleretur ea herba, communicarenturque ex eadem multis languentibus remedia præstantissima, nomen herbę Tornabonę diuulgatum est in totam Hetruriam, cum Tabacci nomen Indicum adhuc non fuisset auditum. Herba est Verbasco similis,nigrior: caulibus baculi crassitudine: multis ramis,altitudine ferme ternum cubitorum,hirsutis: folia fert lata,& prę-longa, in angulum acutum desinentia, lanuginosa, mollia, tactu glutinoso: flores in summis ramis, longos, & concauos, tubę figura, purpurascentes: Vascula oblonga, figura Oliuæ, plena multo semine, minuto, ex fuluo nigrescente: tota æstate floret, & vsque in Hyemem, sed frigoris inclementia perit; regerminat autem ex radicibus; aliquando ex caulibus, quibus etiam concisis seritur: sed facillime prouenit semine: amat loca pinguia, & à sole illustrata. tota gustu constat astringente, & subacri, cum humiditate quadam glutinosa,pingui. Ideo vehementer exsiccat,sine multa caliditate: penetrat autem in profundum eius exsiccatio, & astrictio, ob tenuitatem & acredinem, vt statui possit sicca in gradu tertio, calida in primo. Vlceribus malignis & diuturnis præcipuum remedium; exterit enim sine morsu, & in profundum siccat: inspergitur puluis foliorum,quę filo transfixa fuerint, exsiccata in vmbra: idem excipitur cerato: aut ipsa folia virentia imponuntur: succus quoque lineamentis exceptus idem præstat. Glutinat vulnera recentia: tumores quoque omnes discutit chataplasmate, & cancros sanat. Aqua distil-

distillata sanguinem vndecumque fluentem cohibet ablutione, aut super nares trahendo, aut potu: pulueris fumus super carbones iniecti, in os attractus per fistulam ad destillationes mire facit; nam pituitā multam attrahit ore prono, ac toto corpore; simul & exsiccat quæ in pulmone, & faucibus, seu humores fuerint, seu vlcera. narrant tamen non sentiri in itinere, si globolus ex ea teneatur in ore, viresque corporis interim non deficere: fumum eius aiunt inebriare, & soporem suauem accersire: remedium ad lassitudinem.

CAP. XLIIII.

QVAEDAM congener Tornabone in nostro orbe nascitur, quæ à quibusdā pro Hyoscyamo nigro ostenditur breuior: foliis rotundioribus, ad Solanum somniferum accedentibus, glutinosis, uirentibus, vt Tornabonæ. Flores fert in summis ramis pallescentes, concauos, breues, labris parum sectis: vascula rotundiora quam Tornabonæ, in quibus semina omnino similia: æstate floret, & aduentante hyeme perit in totum, peregrina apud nos.

CAP. XLV.

HYOSCYAMVS, qui vulgò dens Caballinus vocatur: oritur prope domicilia, & vbi excrementa proiiciuntur, in collibus magis; at locis depressis, & aquosis non prouenit: herba similis Verbasco: sed foliis laciniatis, hirsutioribus, & tactu veluti madidis: caules fert crassos, pingues, & lanuginosos: ramis in latera tendentibus, prælongis, ac simplicibus, veluti caudis, in cacumine reflexis: flores autem ordine prodeunt explicato cacumine, inter parua folia, concaui, aspectu tristi, ex pallido & purpureo, nigris quibusdam lineis inscripti, similitudine floris Fabarum; vnde nomen traxit: Hyoscyamus enim quasi Faba Suilla dicta est: Vascula seminis superne tantū ordine disposita, tecta folliculo præduro, forma Balaustij, extremis angulis pungēte, operculum vasculo superpositū, quo abscedente semē effunditur, copiosum, cinerei coloris, in candido liuescens. Alterum genus in maritimis nascitur, pręcipue in ędificiis: breuioribus, & rotundioribus foliis, nequaquam laciniatis, sed angulosis tantum, ac minus hirsutis: flores fert luteos, purpureo quodam colore in faucibus: Vascula rarius disposita, tenuiora, mollioraque: in quibus semina ex candido flauescentia. Dioscorides Hyoscyamum fruticem esse scribit: caulibus crassis: foliis latis, oblongis, diuisis, nigris, hirsutisque: flores è latere caulis ordine prodeunt vt Cytini Punicorum scutulis septi, pleni seminis Papaueris.

eius tria genera; vnum semine nigro: floribus pene purpureis: foliis Smilacis: cytinis præduris, & spinosis: Alterum semine subflauo, vt Irionis: flore melino: foliis; & siliquis simplicioribus. Vtraque dannata vsu; nam insaniam, & soporem gignunt: Tertium mitissimum à Medicis receptum, pingue, lanuginosum, molle: candidi floris; seminisque: quod in marittimis, & ruderibus nascitur. Galenus tria genera eodem modo recenset colore tum floris, tum seminis distantia: ex quibus manifestum est, duo genera à nobis descripta, nigrum, & flauum esse; Quod enim vulgo notum est, semine liuido, nigrum dici potest; nam flores eius pene purpurei, & cytini prędurj, spinosique: folia vero Smilacis inter flores sunt, nulla scissura, in acutum desinentia: hoc tamen pro albo tota Italia vtitur: quod autem secundo loco descripsi, flauum est; sed quia rarum est, à paucis visum; idcirco non in vsu. nullum autem hactenus vidi, cui flos candidus esset, & semen; sed de albo Hyoscyamo nostram sententiam diximus in Solatro vulgari. recipitur autem Hyoscyami semen inter medicamenta soporifera; nemo autem solum exhiberet ob deleteriam facultatem: foliis recentibus vtuntur ad vlcera inflammata; nam dolorem soluunt; tumores reprimunt: semen suffitum, carbonibus iniectum dolorem dentium tollit: tritum ex aceto pruritus aufert, & pediculos manus necat: aqua distillata ex tota herba recenti illita fronti dolorem capitis sedat, & somnum conciliat. Plinius de Hyoscyamo inquit; Herculi ascribunt eam, quę Apollinaris; apud Arabas Altercum, apud Græcos verò Hyoscyamum appellatur: plura eius genera; vnum nigro semine; floribus pene purpureis, spinosum: talis nascitur in Galatia: vulgare autem candidius est, & fruticosius, altius Papauere: Tertij semen Irionis semini simile; & omnia insaniam gignentia, capitisque vertigines. Quartum genus molle, lanuginosum, pinguius cæteris; candidi seminis, in marittimis nascens: hoc recepere medici: item ruffi seminis, nonnumquam autē candidum ruffescit, si non ematuruerit, improbaturque: & alioqui nullum nisi cum inaruerit, legitur. Natura vini, ideoque mentem, caputque infestans. Videtur ex his Plinius, quod secundo loco ponit, vulgare nostrum intellexisse, quod licet candidius nigro, improbatum tamen. Iusquiamum in officinis vocatur.

CAP. XLVI.

VERBASCVM, vulgo Tassum barbassum, multas habet differentias: florem omnia ferunt patulum, in quinque partes dissectū, qui vel lęui ictu ad radicē paulo post decidit vnus post alterum, veluti incantamento: fructus ferunt prędutos, diuisos secundū septum: seminibus nigricantibus. Plurima vno caule recto assurgunt, eoque aut simplici,

ſimplici, aut ramoſo: omnia vltra cubitalem altitudinem: folia lanuginoſa fere omnibus, lata, ab radice ſtrata in terram, aut candida, aut virentiora, aut purpuraſcentia: his longiora, anguſtioraque: his latiora, ac breuiora; aliquando fimbriata à lateribus: flores plurimis lutei; aliis candidi; aliis purpurei: ex his nouem ſpecies animaduertimus. primum caule baculi craſſitudine, ſimplici: frequentibus foliis, multa lanugine candicantibus, latis: deſinit is in prælongum thyrſum, craſſumque, ſtipatum floribus luteis, ac fructu, qui cum inaruerit, oblitus oleo, aut amurca in vſu eſt pro face: Aretij Planta domini vocant; alij Candelariam. Duo alia genera in cæteris prædicto ſimilia; ſed longiſſimis foliis, quaſi Helenij; & caule altiſſimo, aliquando terna cubita excedente; floribus latis, amplitudine Roſæ ſylueſtris; colore huic quidem aureo, alteri autem candido. Quartum genus breuius eſt prædictis: ramoſo caule: tenuibus, ac rectis ramis: foliis ſubrotundis, cinereis, minus hirſutis: floribus pallidis, tenuibus. Quintum ab eo diſtat colore tum foliorum, tum floris; nam folia ſuperne ſubpurpurea ſunt, inferne candida: flores albi: peregrina apud nos. Sextum folia fert cæteris anguſtiora, oblonga, & fimbriata, lanuginoſa, & magis virentia: caules ab eadem radice plures, in latera ſpargit: ramis tenuibus: flore luteo: hoc frequentius apud nos eſt, ſecus vias, & in ruderibus: hoc pręcipue vtuntur piſcatores; nam contuſa ea herba in fluminum vadis, torpeſcunt piſces, aut flore contuſo in paſtillos, qui proiiciantur in gurgite. Septimum in montibus oritur: foliis latis, ſubrotundis, ex purpureo nigricantibus, pauca lanugine: caule recto, cubitali: paucis ramis: floribus luteis. Octauum prædicto minus: foliis ſimili colore, Betæ magnitudine: floribus purpureis: peregrinum. Nonum folia ab radice fert, oblonga, & anguſta, ſinuata, lęuia, colore virenti: caulem rectum, cubito altiorem: paucis ramis, rectis: flores in virgis rarius diſpoſiti, colore aureo: fructum grandiuſculum: naſcitur paſſim in ruderibus: reliqua genera pleraque, ſabuloſis gaudent. Dioſcorides Phlomon vocat, in genera ſumma duo diſtribuens; album, & nigrum: albique marem, & fęminam. Fæminę deſcriptio in hunc modum traditur: folia eius ad Braſſicam accedunt, multo hirſutiora, latiora, & candida: caulis albus, cubitalis, & amplior, ſubhirſutus: flores albi, aut ex luteo palleſcentes: ſemen nigrum: radix longa, craſſitudine digitali, acerba: naſcitur in campeſtribus. hæc deſcriptio maxime conſona eſt, quarto & quinto generi. De mare autem inquit: longiora & anguſtiora producit folia: caulem vero tenuiorem: innuit autem ſextum à nobis deſcriptum. De nigro autem inquit: in omnibus ſimile eſt albo, ſed latiora, & nigriora habet folia: quę conditiones montano, quod ſeptimo loco deſcripſimus, conueniũt: reliqua à nobis deſcripta ad prędicta genera reduci poſſunt, nam

primum ad Fæminam, secundum & Tertium ad marem: omnia grandiora: duo postrema ad nigrum in genere masculi; nam quod ponitur à Dioscoride nigrum, ad Fęminam magis pertinet. At Verbascum sylvestre, inter eas, quæ Marrubio affines sunt, reposuimus: & Phlomides, idest Verbascula explicata sunt superius; nam simplicia ferunt vascula. Plinius album marem facit; nigrum vero fæminam: sunt inquit folia Brassicæ, latiora, pilosa: caulis rectus, cubitali amplior; semen nigrum, inutile: nascuntur & in cāpestribus; alibi tradit similem Verbasco herbā, quę sæpe fallit pro ea capta: foliis minus candidis: cauliculis pluribus: flore luteo: hæc abiecta Blattas in se contrahit; ideoque Romæ Blattariam vocant, quę descriptio ei maxime conuenit, quam vltimo loco descripsi. Porro genera omnia Verbasci in vsu sunt ad vlcera sananda, præsertim circa pudenda, & ad sedis rimas, ac tenesmum: exsiccant enim sine morsu, & conglutinant, aut per se in puluerem redactis foliis, vel radice, vel cerato rosaceo exceptis, aut decoctis.

CAP. XLVII.

VIRGA regia vulgò apud Insubres Aralda vocatur, herba in sylvis nascens, locis montanis, præcipue iuxta fluenta: foliis longis, & angustis, neruatis instar Plantaginis, circumserratis, maioribus, quam Lanceolæ, ad terram inflexis: caulem fert simplicem, rectum, cubitalem, in quo pauca sunt folia: flores frequentes ab vno tantum virgę latere, ordine perpetuo dispositi sunt, deorsum inclinati, concaui, & oblongi, colore pallido: fructus Verbasco similes: radicibus nititur fibrosis, vt Plantago: Herba gustu amara, & subacris, glutinosaque, celebris ad omnia vulnera consolidanda. extat & maior: flore grandiusculo, nunc pallido, nunc purpureo, in montibus: Germani Digitalem vocant à similitudine floris, cum digitali mulierum. Dioscorides Alisma, & Damosonium vocat: describit autem in hunc modum: folia ei Plantaginis, angustiora, conuexaque in terram: caulis simplex, tenuis, cubito altior, specie thyrsi, in quo capitula insunt: flores tenues, albi, subpallidi: radices Ellebori nigri, tenues, boni odoris, acres, subpingues: humida amat loca: herba sistit aluum, menstrua pellit, tumores illita mitigat: radix bibitur ad Leporem marinum: Ranam rubetam: Opium: torminibus medetur, dissentericis, conuulsis, vteri affectibus. Galenus Damasonium casu experimento didicisse, calculos renum frangere, radicis decocto epoto; nam abstersoriam quandam facultatem obtinet. Plinius eandem ferme habet descriptionem: folia inquit, ei Plantaginis, nisi angustiora essent, & magis laciniosa, conuexaque in terram, alia etiā venosa similiter: caule simplici, & tenui, cubitali, capite thyrsi:

radi-

radicibus densis, tenuibus, vt Veratri nigri, acribus, odoratis, pinguibus: nascitur in aquosis. Alterum genus eiusdem in syluis, nigrius; maioribus foliis: ex postremis his verbis significare videtur, quam Digitalem appellari diximus; sed verbum capite thyrsi, melius apud Dioscoridem Thyrsoides cauli adiungitur, non capitulis. Auicenna Fistulam pastoris vocat, quod verbum à recentioribus perperam tribuitur Plantagini Aquaticæ, putantibus eam Damasonium esse: videtur autem hęc Fistula pastoris vocata, ob floris figuram fistulosam.

CAP. XLVIII.

GALEOPSIS à Græcis appellata, non à galea, nec à lacte dicta est; sed à fele ob fętorem, vnde & Galeobdolon appellata est, quasi felis fetor, vulgò autem Vrtica mortua, herba est passim in ruderibus nascens; quadrato caule, & læui, cubitali, ac ramoso: foliis Vrticæ, lęuibus, ingrati odoris, si terantur: flosculos tenues, paruis racemulis insidentes, inter folia, rotundos, & concauos, labiolo superiore prominente, purpureos. Fructus Verbasci, magis in acutum desinentes. Dioscorides post Vrticas huius meminit: constat foliis Vrticæ, læuioribus, grauis odoris attritu: flore purpureo, tenui: oritur circa sepes, & semitas, & passim in ruderibus. Plinius eadem ex Dioscoride scribit: discutit duritias, carcinomata, strumas, parotidas, panos ex aceto.

CAP. XLIX.

SCROFVLARIA maior à recentioribus Medicis vocatur, herba in aquosis nascens in aggeribus, grandior Galeopsi: caulibus crassis, bicubitalibus: foliis lõgioribus, leuibus, serratis, quibus binæ appendices iuxta pediculum: flores quoque grandiusculos fert circa summos ramulos, nigriores: radicem habet obliquam, & strumosam, ob id laudatam ad strumas. exrat & in Alpibus riguis: folio purpurascente: herba illita, & succus ad vlcera putrescentia, & faciei defędatione, elephanticas confert: repellit ficos, & alios affectus ani, & cuiusuis generis strumas: aqua eiusdem distillata quatuor vnciis pota, mane & vesperi, & linteolis madefactis impositis idem præstat. aliæ porro sunt Scrofulariæ, de quibus propriis locis agitur.

CAP. L.

DVAE sunt fruticosæ in montibus, & collibus, folio in multas & tenues partes scisso, læui, grauis odoris: flosculos figura similes Scrofulariæ prædictæ, ex purpureo candicantes: & fructus tenuiores,

nuiores, valde duros, congestos circa ramulos: differunt magnitudine. Maior folia ferme Filicis habet, aut Tanaceti: colore subcãdido, & splendente: caules rectos, in caeumine ramosos: peregrina apud nos. Minor ramis constat obliquis, fruticosior: foliis breuioribus, diuisura ferme Rutæ, tenuius tamen, & inæqualius scissis; ideo sunt, qui Rutam syluestrem appellent, & Harmel: at fructus non in tres partes diuisus, sed binas, nec semen triangulum, sed minutum, vt Papaueris. Ego potius ad Sideritim secundam apud Dioscoridem reducendas censeo, præsertim maiorem; inquit enim: ramos habet bicubitales, tenues: folia in longo pediculo Filici similia, numerosa, vtrinque per oras diuisa: ex alis superiori parte surculi longi exeunt, tenues, in summo orbiculati, asperum capitulum habentes, in quibus semen est simile Betæ, rotundius, & durius: herba vulneraria est. per asperum capitulum interpretor, aceruatos veluti in globum fructus, præduros, ac rotundos, vt Betæ. Plinius de eadem inquit binum cubitorum est: ramulis exilibus, triangulis: folio Filicis, pediculo longo, Betæ semine.

CAP. LI.

LINARIA vulgò appellatur herba, Esulæ simillima, sed lacte caret: caule ferme cubitali constat, rotundo: ramis rectis, simplicibus: numeroso folio, longiore quam Lini: flores in summis virgis fert luteos, concauos, ore compresso, in tenuem caudam desinentes: vascula oblonga, parua, & mollia, duobus osculis semen effundẽtia, nigrum, & minutum: nascitur in aggeribus passim: floret æstate. eius succum laudant ad cancros, & erysipelata. Quædam in vineis nascitur, parua: paucis foliis, breuibus, & subhirsutis: flosculos fert purpurascentes: vascula exiliora.

CAP. LII.

OS Leonis vulgò appellatur herba in ædificiis nascens: ramis crassis, & curuis, cubitalibus: foliis Linariæ; deorsum inflexis: flores circa summos ramos, veluti hiantis Leonis, cum præmuntur iterumque os sponte cõprimentis, speciosos, pollicis crassitudine, colore roseo, aut candido: capitula fert dura effigie canini capitis, præcipue Laconici, rostro recuruo: semen effundit ex tribus osculis, quamuis binæ tantum insint cauitates, tamquam ex duplici nare superiori, & ore inferiori: semen minutum est, & nigrum: copiose nascuntur in mæniis Florentiæ. Quædam in præruptis scopulis nascitur: foliis breuioribus, latiusculis, subhirsutis: floribus pallescentibus. Alia in mon-

montibus similior Linarię; nam recticaulis est: flore breui, cæruleo; capitulis rotundioribus. in vineis quoque recticaulis nascitur: flosculis purpureis: capitulis paruis. Plinius has omnes intelligere videtur, appellans herbam Cynocephaliam, quasi caninum caput: inquit in Aegypto Osyritem vocari diuinam herbam, vt Appion Grammaticus asserebat, & contra omnia veneficia. Meminit & Canini capitis in Psyllio. Dioscorides eam, quæ roseo flore constat, Chamępeucem appellat, quasi humilem Laricem: herba inquit est virens: incuruis foliis, surculisq; flore roseo; quo in loco deprauati quidam codices legunt Chamæleucē. Plinius Chamæpeuce, inquit: folius Larici similis: lumborum, & spinæ doloribus propitia: quoniam vero harum capitula etiam vitulinum caput referre videtur, binas habens nares; idcirco sunt, qui ad Antirrhinon has referunt, cum pręsertim à Plinio tribuantur folia Lini, vt notauimus in Antirrhino: Osyritis autem dicta videtur apud Aegyptios; quia ob similitudinem capitis Vitulini dicata est Osyridi eorum deo, vt Bos. Osyris autem Dioscoridis Linariæ conuenire videretur, si pauciora haberet folia; idcirco alias eo nomine ostendimus, præsertim apud Plinium.

CAP. LIII.

EORVM, quæ in duplici vasculo ferunt semina, relinquitur illud genus, cuius vascula in dextram & sinistram cauitatem distincta sunt. omnibus septum inest membranaceum: seminis autem sedes in duobus septi lateribus est, vt abscedentibus vtrinque vasculis solo relicto septo, sæpe relinquantur semina in ambitu septi. flores omnibus diuisi in foliola quaterna. reperiuntur in hoc genere olera multa, omnibus acredo inest; aliis in radice, vt Rhaphano, Hiberidi; aliis in foliis, vt Erucę, Lepidio. omnibus saltem in semine, vt Brassicæ, & Bursę pastoris.

CAP. LIIII.

BRASSICA olus est vulgatissimum: caule constat crassissimo, simplici, propè radicem gracliore: folia dense circundant, magna, subrotunda, ac læuia, pediculo crasso, & carnoso: cui appendices quædam insunt: ex summo caule veluti ex palmæ cerebro cauliculi exeunt, qui tenelli adhuc existentes cymæ appellantur, quæ non minus quam folia in cibis expetuntur cocta: in his rara sunt folia, & parua; flores pallidi, aut candidi; siliquæ tenues, rotundæ: in quibus semina rotunda, & subrufa clauduntur, ex interuallis disposita. eius multę sunt differentiæ pro foliorum colore, crispitudine, densitate, aliisque qualitatibus. color aliis virentior est: aliis candicans: aliis ad purpureum vergens:

gens: crispitudo, & lęuitas tum in genere virenti, quod nigrum vocatur, tum in candido reperiuntur. At genus purpureum, nequaquam crispum adhuc visum est. omnium crispissimum inter nigra reperitur, quod & gratissimum ex oleo paratum, de quo Plinius inquit: Sabellico vsque in admirationem crispa sunt folia, quorum crassitudo caulem ipsum extenuat, sed dulcissimum perhibetur ex omnibus: & Theophrastus, crispa inquit, succi bonitate, & folij amplitudine læui pręstantior est. In hoc genere quædam est, quæ scissis foliis constat, similitudine quadam Apij; vnde Selinadam & Apianam vocauerunt teste Plinio, stomacho vtilem, & aluũ modice mollientẽ. Candida, & purpurea breuiori caule constat, graciliorique: sed qui magis crescit in caput, foliis rotundioribus, magis sursum reflexis. crispa inter candidas crescit in caput oblongum, amplexu foliorum, candida, tenerrima, & dulcissima, seu ex oleo paretur, seu ex iure carnium. Læuis non nisi ex iure pingui paratur, aliquando ob amaritudinem abiecta prima decoctione. De hac Plinius inquit: lęuis constat latis foliis è caule exeuntibus; vnde Caulodis dicta est, nullius in medicina momenti: hinc sumptum vulgare nomen Cauoli apud nos. quædam pręterea in caput rotundum crescunt ex foliorum amplexu coagmentatum, Caputios vocant. Plinius Cumanum vocat, sessili folio, capite patulum. Quibusdam caudis ipse in caput extuberat Rapi similitudine, vulgo Torzutos vocant, cymis præcipue laudati & interna medulla. De quibus Plinius inquit: Lacuturres capite prægrandes: folio innumeri; alij in orbem porrecti; alij in latitudinem torosi: nec plus vllis capitis post Tritianum, cui pedale aliquando conspicitur, & cyma nullis serior, pręcipuus fit caulis ipsius sapore & magnitudine: primum omnium si in repastinato seratur, dein si terram fugientes, cauliculos seces, à terraq; proceritate luxuriosa attollentes se exaggerando, etiam accumules, ita ne plus quam cacumen emineat. Tertium quoddam genus capitatæ Brassicę à flore cognominatum, Cauli flores appellantur: Cymæ sunt candidæ, luxuriosa sobole cohęrentes, veluti in vmbellam latam, & solidam, tenerrimam, ac suauissimam, priusquam explicentur in flores; raro tamen hi perueniunt ad Frugem, vt hinc videatur apud Theophrastum illud genus esse, quod nullum inquit, aut prauum semen producit. sed hæc omnia satiua sunt. extat & syluestris Brassica, sponte nascens, sed gustui ingrata, in marittimis, asperis, qualis in scopulis Iluæ nascitur: foliis ex candido purpurascentibus, similis satiuæ purpureę, tantum minor. Dioscorides describit in marittimis nascentem, præruptis locis, satiuę similem, candidiorem, hirsutioremque, amaram, cuius cyma in lixiuio cocta ori non insuauis est; sed ea, quam prædixi in Ilua nasci, nequaquam hirsuta est. Plinius hanc Petręam vocat, inimicissimam vino, quam præcipue Vitis fugiat, aut si non possit

fugere,

fugere, moriatur: folia habet bina, parua, rotunda, lęuia, plantis oleris similior, candidior, satiua, & hirsutior. At per bina folia rotunda intelligit binas foliorum appendices rotundas. Theophrastus hirsutiem negat inquiens: Brassica sylueſtris modo peculiari à cæteris sylueſtribus distat; nam in cæteris asperior est, tum caulis, tum folia: hæc caules habet rotundiores, leuioresque quam satiua, & foliorum appendicem: illa latum: hæc habet rotundiorem, & folium ipsum minus angulatum. Describit alibi Brassicam sylueſtrem in hunc modum. sylueſtri folium læue, sed paruum, atque rotundum: & ramis, foliisque permultis condita est: succum asperum & instar medicamenti habet, quamobrem eo Medici ad aluum purgandam sępe vtuntur. Plinius Theophrastum imitatus, cum duo satiuæ Brassicæ genera tradidisset, crispam, scilicet & læuem: Tertia inquit proprie Crambe vocatur tenuioribus foliis, & simplicibus, densissimisque: amarior, sed efficacissima: & alibi ex Catone inquit: sylueſtris, siue erraticę immensó plus effectus laudantur: minutis caulibus: lęuis, tenera, quæ minime probatur. Alibi Rhaphanum vocat: cum inquit, Gręci tria genera fecere foliorum differentia; crispi, lęuis, Tertium sylueſtre; nam sic Theophrastus Græce vocat, quam Dioscorides Cramben, & Latini Brassicam. quo in loco de sylueſtre inquit: huic folia læuia quidem, sed breuiora, ac rotunda, copiosaque, atque fruticosa: sapor autem asper, & medicamenti instar ad eliciendas aluos. sparsim autem de Rhaphano, idest Brassica, apud Theophrastum hæc traduntur. radicem habet singularem: caudice vno constat, quasi arboris naturam adipiscatur: perpetuo viret: folium carnosum, carne in latitudinem distensa: vtraque parte fructificat cacuminibus & lateribus: Vitem offendit odore, vt eius germen propinquum refugiat; vnde & medela est contra temulentiam: exit die decimo: prouenit non solum semine, sed & auulsione, vt semper aliquid eius radicis accipiatur; recisa regerminat, & caules secundi suauiores, si, antequam caulescat, folia detrahantur: radices plurimum perdurant: & aliæ regerminant, aliæ non: aquis salsis rigata melior redditur; sed alicubi depraauate ῥαφανὶς, idest radicula, non ῥάφανος legitur. Vires Brassicæ notissimæ sunt apud Dioscoridem, & Galenum: priuatim semen lumbricos enecat; miscetur tritum in ferculis puerorum: alia vero est Brassica marina apud Dioscoridem, & Brassica Canina, de quibus propriis locis agitur.

CAP. LV.

RADIX vulgò, à quibusdam Radicula vocatur; cum tamen apud Plinium, Radicula Struthium significet. hęc autē à Gręcis Rhaphanis vocatur, quasi Radix perspicua: est enim tenella, ac fra-

gilis, candida, ferme translucida, sapore acri, placens in cibis cruda: folia ab radice humi strata, longa, & lateribus scissa, aspera: caulis ramosus, cubitalis, in quo breuiora folia: flores purpurei, aut candidi: siliquæ breues, carnosę. interseptæ duobus aut tribus seminibus, rotundis, flauis, magnitudine paruę Vicię. Radicis plures differētiæ; nam quędam in longitudinē crescit, quædā in rotūditatē has vulgò Rauanellos vocāt, quorū alij cortice nigro cōstant, alij cādido. longarū quędā vasto corpore cōstan t, & cortice crasso, qui gratior est interno corpore; hęc Armoracia vocamus: omnes satiuæ. sunt & sylueſtres paruæ, ac pręduræ: floribus luteis: cæteris eisdem: hęc quoque alicubi Armoracia vocant: nascuntur in aruis. Theophrastus Rhaphanida vocat. Theodorus Radicem vertit. de hac sparsim inquit: celerrime prouenit inter hyberna: die tertio erumpit, si terra cooperiatur, vsque ad æstatē durare potest, & excrescere: nec enim regerminat; nisi accumulatam humum semoueas: semē in siliqua latere potius apta fructum parere. eius genera plura: Corinthia amplitudine adolescit, adeo vt stirpe constet detecta; nam sursum versus protraditur, non vt cæteræ in terram ampliari soluta est. Liotalassia, quam Thraciam vocant, validissima aduersus frigora. Beotia dulcissima est, & figura rotunda, nec vt Cleonea prælonga. Quibus folia lęuia, dulciores, suauioresque sunt: quibus autem scabra, acriores. Genus præterea habetur, quod foliis Erucæ simile constat. Plinius Rhaphanos vocat inquit enim: corticę & carthilagine constat Rhaphani, multisque eorum cortex crassior, etiam quā quibusdam arborum: amaritudo plurima illi est, & pro crassitudine corticis: cætera quoque aliquando lignosa, & vis mira colligendi spiritum, laxandique ructum: ob id cibus illiberalis vtique si proxime olus mandatur: si vero cum oliuis drupis rarior ructus sit, minusque fętidus. Egypto mire celebratur propter olei fertilitatem, quod de semine eius faciunt: hoc maxime cupiunt serere, si liceat, quoniam & quæstus plusquam è Frumento, & minus tributi est, nullumque copiosius oleum: non pertinet autem ad hoc olus, quod subiungit inquiens, genera Rhaphani Græci fecere tria foliorum differentia, crispi, atque læuis, & tertium sylueſtre, & quæ sequuntur: hæc enim ex Theophrasti Rhaphano idest Brassica desumpta sunt: accipienda autem, quę subiungit. nostri alia fecere genera: Algidense à loco, longum, atque translucidum, Alterum Rapi figura, quod vocant Syriacum, suauissimum fere, ac tenerrimum, hyemisque patiens: pręcipuū tamen est, quod è Syria non pridem aduectum apparet; quoniam apud Authores non reperitur; id autem tota hyeme durat. etiam num vnum sylueſtre; Greci Agrion vocant; Pontici Armon; alij Leucem; nostri Armoracion, fronde copiosius quam corpore, in omnibus autem probandis maxime spectantur caules; in initio enim rotundiores, crassioresque,

resque, ac longis canalibus: folia ipsa tristiora, & angulis horrida: seri vult Rhaphanus terra soluta, humida; fimum odit: palea contentus: frigore adeo gaudet, ut in Germania infantum puerorum magnitudinem æquet. seritur post Idus Februarij, vt vernus sit: incipiente incremento confert alterna folia circumobruere; ipsos vero accumulare; nam qui extra terram emerserit, durus fit, atque fungosus. Aristomachus detrahi folia per hyemem iubet, & ne lacunæ stagnent, accumulare: ita in æstate grandescere, quidam prodidere, si palo adacto cauerna palea insternatur, in sex digitorum altitudine, deinde semen fimoque & terra cõgeratur ad magnitudinem scrobis crescere, pręcipue tamẽ salsis aluntur; itaque etiam talibus aquis irrigantur; & in Aegypto è nitro sparguntur, vbi sunt suauitate præcipui, in totum quoque salsugine amaritudo eorum eximitur, fiuntque coctis similes; nam & cocti dulcescunt, & in Napotum vicem transeunt. crudos Medici suadent ad colligenda acria viscerum dãdos cum sale ieiunis esse, atq; ita vomitionibus pręparant meatum: tradunt & pręcordiis necessarium hunc succum, quando Phthisim cordi intus inhęrentem, non alio potuisse depelli comportum sit. in Aegypto Regibus corpora mortuorum ad scrutandos morbos insecantibus, atque, vt est Græca vanitas, fertur in templo Apollinis Delphis, adeo cęteris cibis prælatus Rhaphanus, vt ex auro dicaretur Rhaphanus. Hæc atque alia scribit Plinius de Raphano: alibi de sylueſtri Rhaphano inquit laudatissimum in Archadia, quanquam & alibi nascitur, vtilior vrinę dumtaxat eiiciendę, cætero bilem detrahit: præterea cortices in vino stomachum purgant: pituitam extenuant: vrinam concitant. est & satiui vsus in Italia, & Armoraciam vocant satiuum. Satiui vero decocti mane poti ad ternos cyatos comminuunt & eiiciunt calculos. Idem Plinius alibi Napos vocat, recensens quinque genera à Theophrasto exposita, scilicet Corinthium, Cleoneum, & reliqua. Dioscorides describit sylueſtrem foliis satiui, sed magis ad Lapsanam accedentibus: radice macilenta, molli, subacri.

CAP. LVI.

LAPSANA in aruis frequens nascitur, Rhaphano sylueſtri in totum similis: breuiori caule: flore candido: foliis minus, hirsutis. Dioscorides Lampsanam vocat, olus sylueſtre; cuius folia, & caules in cibo coquuntur. Plinius inter sylueſtres Brassicas inquit Lapsanam esse, pedalis altitudinis: hirsutis foliis Napi simillimis, nisi candidior esset flore: & alibi, est cyma sylueſtris trium foliorum, olus carminibus Diui Iulij pręcipue iocis militaribus celebratum; alternis quippe versibus exprobrauere Lapsana se uixisse apud Dyrachium, pręmiorũ parsimoniam cauillantes.

CAP. LVII.

NAPVS, quem vulgò Nauonem vocant, radix est in longitudine extuberans, acrior Rapa, amarior Rhaphano; ideo cocta tantum venit in cibos: color aliis candidus; aliis buxeus: caules; & folia fert Rhaphani, leuiora: flores luteos: siliquas Brassicæ exiliores: seruntur apud insubres, vt Rapa: Bunias à Dioscoride vocatur eius radix inquit, elixa flatulenta est, ac minus nutrit quam Rapa, asseruaturque mutia vt illa. semen potum venenis aduersatur; ob id recipitur in Antidotis. Galenus non distinguit à Rapis inter alimenta: cum autem recipiatur Buniadis semẽ in Theriaca apud Andromachum, ipse sylueſtris Buniadis semen recipit, quod è Creta optimum habetur. Atheneus suspicatur apud Theophrastum: cum Buniadis nomen non reperiatur, Rapum marem esse Buniadem; apud antiquiores Raphym & Rapym appellatam esse; citat Nicandrum de Buniade loquentem cum Rapis & Rhaphanis, & Diphilum medicum de Buniade & Rapa sic loquentem. Rapa acris est, difficulter digeritur, ventosque gignit, At melior est Bunias; est enim dulcior, facilius digeritur, stomacho magis confert, magisque nutrit. Rapa, quæ assata fuerit, magis digeritur, ac magis extenuat. Plinius Napum vocat: putauit autem apud Theophrastum esse, quam Rhaphanida vocat; cum inquit Naporum Græci quinque genera fecere, vt superius in Rhaphano dictũ est: forte non Rhaphanis legebatur eo in loco apud Theophrastum, sed Rhaphys, quæ eadem cum Bunide sed ex propria sententia de Napis loquens inquit. Romæ palma datur Aminterninis, inde Norsinis, tertia nostratibus. eorum eadem fere natura cum Rapis: gaudent ęque frigidis: seruntur que eodem modo: sed diligentiores quinto sulco Napum seri iubent: Rapum quarto, vtroque stercorato: alibi Naporum duas facit differentias, vnam, quod Bunion Græci vocant, de quo nos alio loco agimus. Alterum Buniada appellant. Rhaphano & Rapo simile: seminis pręclari contra venena, ob id & in antidotis vtuntur illo. hæc Plinius. aliud vero est Napi Græce apud Galenum, vt in Sinapi dicitur. sylueſtrem Napum hodie animaduertunt; foliis ad Erucam accedentibus: radice ampliore, & rotundiore.

CAP. LVIII.

RAPA in aruis seritur in fine æstatis: hyeme radix crescit in amplam rotunditatem, ad pabulum iumentorum, & ad hominum cibum, non solum radice cocta, sed vt foliis ac cima Brassicę modo: folia sunt lata, aspera, angulosaque, non sine appendicibus vt Brassicæ:

ſicæ : caules non craſſi, cubitales, ramoſi : flores lutei : ſilique Braſſicę, breuiores : ſemina rotunda, nigricantia, exigua. differentiæ in radice; nam quædam Seſſeli rotunditate conſtant, iucundiores : quædam in rotunditate oblongæ ſunt, color omnibus candidus. Gongyle apud Grecos vocatur. Theophraſtus radice inquit, carnoſam eſſe, quaſi ex carne & cortice conſtantem; habet enim corticem carni adherentem; ſi terra cooperiatur, non germinat, neque folium mittit, ſed vſque in æſtatem durare poteſt & excreſcere. Mas eſt & fæmina, quæ tamen genere non diſtant; gignitur enim vterque ex eodem ſemine; nam ſi denſius ſeratur, maſculi fiunt, ſi rarius, fæminæ. Item ſi uitioſa terra ſerantur, aut ex prauo ſemine, omnes enim maſculeſcunt : probum autem ſemen eſt, quod tenue eſt : gaudet frigoribus. Plinius Græcos ſequutus duo prima genera eſſe, maſculum & fæminam; maſculum in rotunditatem globari : fæminam in latitudinem fundi, concauam, ſuauitate præſtantiorem, & ad condiendum faciliorem, ſed ſæpius ſatam tranſire in marem. Apud Traſpadanos tertium hunc eſſe fructum poſt meſſem & Vinum. Ante omnia cunctis animalibus naſci, ſatiari iis ruris Alites, magiſque ſi decoquantur aqua : Quadrupedes & fronde earum gaudere. Homini non minorem Rapaciorum ſuis horis gratiam, quam cimarum; placere quoque flaccida, & in horreis enecata, magis quam viuentia. Nebulis & pruinis, ac frigore vltro ali amplitudine mirabili, viſa eſſe quadraginta libras excedentia; in cibis pluribus modis comendari; durare etiam Sinapis acrimonia edomita, & coloribus picta.

CAP. LIX.

SYLVESTRIS Rapa ſponte in aruis naſcitur : radice non craſſa, nec rotunda, ſed tenui, & longa, vt Rhaphani ſylueſtris : foliis Rapæ minoribus, hirſutioribus, ſimiliter anguloſis : caule breui, ramoſo : floribus aureis, capitulis Fabę magnitudine, anguloſis : intus oſſeum quid continetur : vnico ſemine ob ſiliquę breuitatem. Altera ramoſior, & altior : floſculis pallidis : capitulis exilioribuſque. Plinius tertiam inquit eſſe Rapi ſpeciem ſylueſtrem : radice in longitudinem procurrente, Rhaphani ſimilitudine : & folio anguloſo, ſcabroque; ſucco acri, qui circa meſſem exceptus oculos purgat, medetur caligini admixto lacte mulierum. Idem Theophraſtus innuit, cum de ſylueſtribus loquens inquit : Rapa radice longa, & modo Rhaphani : breuique caule conſiſtit. At Dioſcorides longe aliter deſcribit Rapam ſylueſtrem, quam in hoc genere nequaquam adhuc vidi.

CAP. LX.

GLASTVM, vulgò autem Guadum herba est, qua fullones vtuntur, tingendis lanis cęruleo colore, sine quo color ater nobilis, ac perseuerans non fit: eius gratia seritur in Piceno, aliisque locis maiore quęstu, quam frumentorum: secant folia, quæ ab radice, antequam caulescat; ea diligenter conterunt molis lapideis, congerunt deinde expresso humore in ingentes massas, nigras sub dio, vt imbribus, & sole concoquantur: easdem iterum atque iterum subactas tandem in panes cogunt, ac vendunt: folia hæc magnitudine Lactucæ sunt, sed colore & specie Brassicæ paruæ, carnosa, læuia: caulescit anno secundo incunte vere: caulis rectus, bicubitalis, subrubens: foliis multis angustioribus, digitalibus, sine pediculo hęrentibus: rami in summo tantum sparguntur, frequentes, onusti flosculis luteis; & siliquis nigris, pendentibus, figura paruarum ligularum; quibus singulis singula insunt semina, nigra, in rotunditate oblonga: radix syluestris Rhaphani similis: sponte oritur inter segetes: foliis angustioribus, ac parum angulosis: iis, quæ ab radice, costa alba per medium discurrente, odore Brassicę; caule cubitali: paucis in summo ramulis: flosculis pallescentibus: fructu non pendente, sed subrecto, duro, candicante, vt Rapæ syluestris, & talis à Dioscoride describitur Rapa syluestris; nam folia lęuia, digitali amplitudine, caulis cubitalis, ramosus in summo; at capitulum non altera siliqua includitur, nec plura continet semina, sed vnicum. idcirco ad Isatim magis pertinere arbitror. duo autem genera Isatis tradit Dioscorides domesticum & syluestre. De domestico inquit Isatis satiua, qua infectores lanarum vtuntur: folium habet Plantagini simile, pinguius, nigriusque: caulem duos cubitos excedentem. Syluestris satiuæ similis: folia habet maiora, Lactucæ proxima: caules tenuiores, multifidos, quadantenus rubentes; in quorum cacumine folliculi multi dependent, quandā linguarum effigiem referentes: in quibus semen, flore tenui, luteo. secundum hanc descriptionem, quę hodie seritur apud nos, syluestris est apud Dioscoridem. Quam autem sponte in aruis nasci diximus, fuerit domestica; angustioribus enim foliis constat; & paucioribus ramis, non tamen ea in vsu est apud infectores nostri temporis; neque caulem adeo altum gerit; verum subiungitur in quibusdam codicibus, mendosas esse prædictas descriptiones; nam luteum florem; & scapos tenuiores, ac multifidos: & cacuminum ligulas illas, folliculares Isatis habet satiua, non syluestris: continetur in iis semen nigrum, simile Git: caule supra cubitos duos alto, non, vt quiddam dixerunt, cubitali tantum: syluestris nigriora fert folia: caulicu-

lum

lum minorem, crassioremque: florem purpureum, aut cæruleum: fructu aspero, cruciformi: semen inclusum foliis pusillis, & assidue per interualla quinis. hoc modo legentibus, vt Hermolaus legit, nostrum Glastum satiuę Isati adamussim quadrabit. syluestris autem ea planta fuerit, quæ vulgo herba Sancti Antonij vocatur ob effectum; nam eius succo vlceratæ partes illitæ tetrum colorem cõtrahunt specie ignis sacri, quod quidam ad extorquenda munuscula mendicantes efficiunt. Eiusdem radiculæ fibrosæ, manu cõtrectatę dolorẽ dentium leuant: nam reuellunt cutem rubefacientes, sed colore tetro inficiunt. Herba in syluis nascitur: pluribus ab eadem radice caulibus, ramosis, cubitalibus, subrubentibus: folia Glasto breuiora, rotundiora, ac nigriora: flores purpureos, Leucoio similes: folliculos per interualla paruos, quatuor, aut quinque, oblongos, quasi crucem constituentes, hirsutos, siliquam paruam continentes: semine intus Glasti: floret in Autumno. Plinius vtramq; inter Lactucas syluestres recenset; cum aptius inter Brassicas syluestres numerari debuissent. Tertiam inter eas facit nascentem in syluis, quam Gręci Isatim vocant: eamdem videtur alibi intellexisse, cum inquit: In Gallia Glastum vocant; simile Plantagini, quo Brittanorum coniuges, nurusque toto corpore oblitæ, quibusdam in sacris nudæ incedunt, Aethyopiam colorem imitantes: quamuis & hæc possint conuenire satiuæ Isatis de qua inquit: inter Lactucas syluestre, quarto genere infectores lanarum vtuntur, Glastum vocant; simile erat Lapatho syluestri foliis, nisi quod plura habet, & nigriora.

CAP. LXI.

SINAPI, quæ & Sinapis appellatur, prouenit lætissime in aggeribus sata, vbi eruta nuper terra fuerit: caulem fert tricubitalem, multis ramis: folia Rapę, latiora: flosculos luteos: siliquas membranosas, breues, sursum spectantes, refertas multo semine, tenui, rotundo, fuluo, linguam vrente: radice constat tenui, & lignosa. Altera syluestris minor: angustioribus foliis, vt Rapæ syluestris, scabris, cæteris eisdem. Tertia folio constat laciniato, Erucæ modo, sed scabro, & subcandido: caule cubitali: floribus luteis: siliquis in latera inclinatis: seminibus ex flauo candicantibus, maiusculis: seritur in hortis: vulgo Rucam vocant. huius semen musto iniectum, ebullitionem prohibet, & dulcedinem conseruat. Plinius eadem tria genera ostendit his verbis: vnum gracile: Alterum Rapi foliis simile: Tertium Erucæ: semen optimum Aegyptium. Athenienses Napy appellauerunt: sic Galenus appellat, Paulus, & Aetius. Dioscorides vtroque modo vocat; at neque describit; neque differentias assignat. Theophrastus succum acrem tribuit:

buit: semen in siliqua, è cuius satu exit die quinto: Medici semine vtuntur ad extrahendum ex alto: in condimentis quoque assumitur cũ Sapa.

CAP. LXII.

ERVCA herba in acetariis assumitur cruda, sapore acri, & iucundo; ideo seritur in hortis: folia fert læuia, oblonga, vtrinque laciniata, raris foliorum segmentis, distant magnitudine; nam quædam latiore constat folio: caule cubitali: floribus candicantibus, maculosisque: siliquis Sinapi maioribus: Altera fruticosa: angusto folio, minus laciniato: pluribus cauliculis, semicubiti altitudine: flores fert luteos: siliquas tenuiores: tota acrior existit. Quoddam genus sponte nascitur in parietibus & maceriis; frequens in agro Vrbeuetano: foliis maioris Erucæ, sed hirsutis: caulibus dodrantalibus: floribus albis: siliquis Rapi similibus, hirsutis: tota planta à tertio genere Sinapis distat solum paruitate, & florum albedine. Dioscorides Euzomon græcè appellat: vnum domesticum tradens, quæ largiore cibo cruda ventrem concitat: Alteram sylueſtrem, cuius semine in Iberia pro Sinape vtuntur; est enim multo acrius domestico, & vrinam vehementius impellit: at neutram describit; solum ex attributis circa aliarum plantarum comparationem colligere licet: Erucæ folia laciniata esse, eo modo quo diximus. Theophrastus meminit satiuæ inter olera: radicem tribuit lignosam; & satam celerrime prouenire. Plinius de Eruca inquit: tantam inesse in condiendis obsoniis suauitatem, vt Græci Euzomon appellauerint: æstate vel hyeme facillime nasci: frigora contemnere: diuersæ naturæ esse quam Lactucam, concitatricem scilicet Veneris. Idcirco iungi fere illi in cibis. esse & sylueſtrem.

CAP. LXIII.

QVODDAM genus Erucæ in marittimis nascitur, locis harenosis: foliis crassis, pulposisque, varie diuisis, aliis, vt Rhaphani, aliis Erucæ, aliis angulosis tantum: caules fert humi procũbentes: siliquas crassas, & breues, angulosasque: hæ cum exaruerint, decerptæ calculum renum frangunt, & vrinam impellunt, puluisculo earum poto.

CAP. LXIIII.

IRIO passim in ruderibus nascitur, & circa semitas: caule cubitali: ramis ad latera tendentibus, & deorsum inflexis, fractu contumacibus: folia fert latioris Erucæ, minus laciniata, subhirsuta: flo-

flosculos exiles, luteos, circa ramos frequētes: siliquas tenuissimas, subnigras, ramis hærentes, in quibus minuta semina continentur, valde flaua, & acria, valde efficacia ad vrinam impellendam: Altera est amplior tum foliis, tum floribus, ac siliquis; ramis erectioribus: peregrina apud nos: Tertia parua, acrior, non nisi iuxta parietes reperta: cauliculis dodrantalibus, foliosis: breuiori folio, fere triangulo: siliquas fert non in extremis ramis, vt cæteræ, sed inter folia. Dioscorides Erysimum vocat, iuxta vrbes, rudera, hortosque: foliis Erucæ syluestris: cauliculis in lori modum lentis, & obsequiosis: floribus luteis: siliquis in cacumine gracilibus, corniculatis, vt Fęnogræco: semine Nasturtij, exiguo, vrentis gustus. Plinius Irionem à Græcis Erysimum vocatum esse inquit; fruticosum: foliis Erucę, angustioribus paulo: semine Nasturtij. Quoniam autem aliud est Erysimum apud Theophrastum, inter fruges, vsurpatum in cibis, cuius & Galenus mentionem facit, Plinius tanquam eandem plantam accepisse videtur, cum inquit: Irionem Sesamę similem esse inter fruges, sed medicaminibus potius annumerandum, quam frugibus.

CAP. LXV.

HERBA Sancti Alberti vulgò appellatur quædam Irioni similis: caule striato, recto, cubitali, altiorique: foliis magis laciniatis, lęuibus: flosculis luteis, in summis ramulis rectis: siliquas fert grandiores, ac firmas, in quibus semen simile prędictis: eo vtuntur ad fistulas.

CAP. LXVI.

ACCIPITRINA vulgò appellatur: foliis minutissime diuisis, Absinthij Santonici modo, subcandidis, & subhirsutis; vnde quidam inter Absinthij genera collocauerunt; non tamen amaritudo inest, neque odor: sapore subastringente: caulem fert tenuem, rectum, cubitalem; ramulis rectis; quibus summis tenuissimi sunt flosculi, pallescentes; ac siliquę longissimę, tenuissimęque: seminibus flauis, vt Irionis, minutissimis, quæ laudantur ad lūbricos necandos. Altera huic similis: foliis crassius diuisis, ad Nasturtium accedentibus, minoribus: flosculos fert candidos; siliquas prælongas, & tenues: oritur in incultis.

CAP. LXVII.

QVAEDAM cauliculo simplici constat, vltra dodrantem; in quo folia vsque ad medium sine pediculo hærentia non laciniata, vt reliquis, sed tantum in ambitu serrata, dorso in curuo, vt Del-

phinium ob id dici possit, subhirsuta: in cacumine flosculi insunt candidi, & siliquæ longissimæ, numerosæ, rectæ, tenues; in quibus minuta semina: oritur in asperis, sed tamen riguis. Dioscorides Delphinium sic describit: surculos emittit ab vna radice sexquipedales, aut maiores; à quibus folia exeunt parua, tenuia, diuisa, prælonga, quæ Delphinorum effigiem repræsentant; vnde tractum nomen est: flos Violæ albæ similis, purpureus; semen in siliquis Milio proximum, quo non aliud vtilius bibi potest à scorpione percussis. hęc descriptio prętet floris descriptionem optime quadrat; idcirco aliam ostendimus flore purpureo, speciosо, qui & Hyacinthus nominatus est.

CAP. LXVIII.

SISYMBRIVM Aquaticum, quem vulgò Crescionem vocant, in riuulis fontium nascitur: denso frutice: caulibus infirmis, & concauis: foliis rotundis, læuibus, appendicibus quibusdam, subrotundis, vt Erucę: gustu acri: flores in summis ramulis fert parnos, candicantes: siliquas Erucæ. assumitur in cibis vt Eruca. Efficax ad vrinam mouendam, etiam extrinsecus imposita. Quædam non absimilis oritur in sicco: tenuioribus foliis, & simplicioribus cauliculis. Dioscorides vnum quidem Sisymbrium Mentę affine tradit, de quo nos proprio loco agimus. Alterum de quo hic agitur: Cardamine inquit cognominatur ob Nasturtij saporem; gaudet riguis, in eiusdem locis proueniens, vbi Sion: folia primum rotunda sunt, adulta Erucę modo finduntur: assumitur in cibis crudum. Plinius de eodem inquit, quod in riguis nascitur: simile Nasturtio est, sed hanc similitudinem Dioscorides in sapore tantum notauit.

CAP. LXIX.

DVAE in aquis, aut certe riguis nascuntur, prędictis affines: flosculis luteis, in summis ramis: sed siliquis breuissimis: quarum altera caule, & folio constat subrubente, oblongo, non inciso, tantum angulosо: Altera fruticosior; folio Erucæ modo, laciniato, frequentibus diuisuris, singulis foliorum partibus serratis, specie Tanaceti Sisymbrium syluestre vocemus.

NA-

CAP. LXX.

NASTVRTIVM, vulgo Mastorsium, seritur in hortis pro olere; nam crudum Erucę modo venit in cibos, acri sapore: caulis ramosus est, cubitalis, & amplior, subcandidus, lęuis: folia fert inferne varie scissa, tenuibus, longis & raris segmentis, mollia; superne autem indiuisa, angusta, & oblonga: flosculos candidos circa summos ramulos: fructus rotundos, ac depressos, sinu seminis vtrinque constituto: semen flauum est, exurens, copiosum. hanc tanquam notam non describunt authores; tantum ex attributis hinc inde colligere licet aliquas nothas. Cardamon Gręci vocant. Galenus viride inquit venire in obsonia cum pane; quoniam eius mordacitas humiditatis admixtione moderata est, non exurens, vt quando siccum est; semen quoque adurens, vt Sinapis. Dioscorides Nasturtio comparat Iberidem foliis, & radicibus duabus: Erysimum semine flauo; Sisymbrium aquaticum sapore acri. Theophrastus innuit satiuum esse, cum inquit: exire à satu die quinto: semen autem vetus celerius prouenire: constare acri succo. Plinius duo genera tradit: album: & nigrum; sed nequaquam describit; meminit & syluestris; cuius effectus maior ad omnia. ex omnibus his colligere licet, præter Nasturtium à nobis descriptum, quod album Nasturtium à Plinio vocatur, esse & alia genera. Animaduertenti autem mihi similitudinem Iberidis, quod Nasturtium syluestre appellatum est, in foliis & radice cum Nasturtio, non satis conuenire cum albo Nasturtio, visum est nigrum Nasturtium esse eam, quam inter Erucas descripsimus minorem, acrioremque: flore luteo; nam folia eius angusta, & oblonga, vt Iberidis, assumiturque in obsoniis per se cum pane, vt Galenus notat: nec video apud antiquos, inter Erucas recenseri: vnius enim tantum meminerunt inter satiuas.

CAP. LXXI.

IBERIS passim in ruderibus, & iuxta semitas nascitur, fruticosa: pluribus ab eadem radice caulibus, lignosis, cubitalibus: folia prope radicem paruę Erucę similia, circumserrata, superne autem indiuisa, angustioraque: flosculi in cacuminibus ramulorum tenuissimi, candidi; & fructus Nasturtij longe exiliores; semine vix conspicuo, subnigro; radix lignosa, aliquando simplex, aliquando bifida, odore acri. Dioscorides Iberidem alias Cardamanticem appellari inquit: nasci in incultis: foliis Nasturtij in uere, virentioribus: caule cubitali, aut minore: florem in æstate fert lacteum, quo tempore efficacior est: radi-

ces duas, Nasturtio similes, calfacientes,& adurentes. Apud Galenum in curatione doloris Ischiadici legitur elegans descriptio ex Damocrate carmine conscripta in hanc sententiam. Iberis dicta à regione, in qua fanatus Medicus, herba frequens vbique iuxta muros & vetera monumenta,ac vias,semper virescens; sed vere foliis Nasturtij maioribus: caulis cubitalis, paulo maior, vel minor: à quo æstate pendent folia vsque ad multam hyemem, donec gelu pereant: flos æstate lacteus: semen exiguum,vt vix cerni possit: radix odore acerrimo,vt Nasturtium. hæc tusa in magna copia (difficulter autem tunditur,estate & recens,nam tunc fortissima) cum modica axungia adhibetur toti cruri,& maxime coxendici; finitur per quatuor horas in viris, minus in mulieribus, deinde aufertur, & crus in balneo ponitur, post inungendum ex oleo & vino,ac demum tersa pinguedine, & sudore, tegendum molli lana, vt æger ambulet,& suis pedibus obeat munia: si opus fuerit, repetendum post dies viginti, sic sanari inueteratos dolores capitis, aut in quacunque corporis parte. Plinius eadem ex Damocrate refert. Putat Galenus eamdem cum Lepidio esse, quod & Agriocardamon, idest sylueſtre Nasturtium appellatum est, sed apud Dioscoridem diuersa earum mentio reperitur.

CAP. LXXII.

LEPIDIVM, vulgo autem herba Piperis vocatur: seritur in hortis; nam folia ob Piperis gustũ in condimentis expetuntur: caulis est candidus,ac lęuis, rectus, cubito altior: folia lata, in acutum desinentia, Lauro grandiora,sed in ramis graciliora: flosculos fert in æstate candidos, veluti in coma; & fructus tenues Iberidi similes: radicem Rhaphani sylueſtris,acrem. Plinius scribit peregrinum fuisse: seri à Fauonio,dein,cum fruticauerit,iuxta terram præcidi, tunc runcari, ac stercorari: hyemis impatientissimum: exit & in cubitalem altitudinem; foliis Laurinis,sed mollibus: vsusque eius non sine lacte. Dioscorides tanquam notam non describit; herbulam inquiens esse,quæ muria cum lacte conditur: vis foliorum acris, & exulcerans; Ischiadicis præsentissimum remedium: lepras quoque tollit; vnde forte Lepidium appellata; quia lepidas idest squamas leprosorum auferat; ex quibus patet, hanc diuersam esse ab ea,quam Iberidem vocauit; nam Iberidi vires in radicibus; Lepidio in foliis; huius præterea vsus in cibis; Iberidis ne quaquam. error autem putantium easdem esse fluxit ex communitate nominis,& virium. Paulus Aegineta rem aperuit inquiens. Ischiadicos in totum restituit sanitati Iberidis herbæ vsus, quam Lepidion quoque, alij Nasturtium appellant. Quæ vero apud nos fruticosa nascitur: foliis Lauri similibus, & multo amplioribus respondere, multa experimenta testan-

testantur, non solum in coxarum, sed in aliis quoque diuturnis affectibus, & quæ sequuntur. Columella Lepidij duo genera facit: sylueſtre: & ſatiuum. forte Iberidem pro ſylueſtri accipiens. Solum anſam dubitandi præbet, quod Dioſcorides Lepidium herbulam dixit eſſe, quod Iberidi magis quam Lepidio conuenit. ſed tamen Dioſcoridis Lepidium idem eſſe cum Plinij & Pauli Lepidio, ac longe differre ab Iberide colligi poteſt ex Draba, cuius folia Lepidio comparantur à Dioſcoride.

CAP. LXXIII.

DRABA peregrina eſt apud nos: breuior Lepidio: foliis quoque minoribus, candicantibus, in ambitu læuiter fimbriatis, Lauri modo: floſculos candidos, in ſummis ramulis latam quandam vmbellam conſtituentibus; fructus Lepidij: ſemina nigra. Dioſcorides inquit: herba ad cubiti altitudinem aſſurgit, tenues ſpargens ramos, & ex vtroque latere folia ceu Lepidij, molliora. (Græce ἁπαλώτερα, quod etiam ſignificat tenuiora) & candidiora: in cacumine vmbellam Sambuci gerit; candidis floribus: huius ſemine arido in Cappadocia pro Pipere vtuntur; herbam autem cum ptiſana incoquunt. reperitur eadem deſcriptio alibi apud eumdem Dioſcoridem ſub nomine Arabis, vt habet Hermolaus.

CAP. LXXIIII.

BVRSA Paſtoris vulgò appellatur herbula, paſſim in ruderibus, & viis proueniens: foliis ab radice ſtratis, digiti longitudine, ſectis Erucæ modo, ſed prope pediculum integris: cauliculum fert tenuem, ſemicubitalem, in quo pauca foliola, nequaquam ſecta: floſculi in ramulorum cacuminibus candidi: fructus triangula figura compreſſi, in ſummo ſinuati ſpecie gemini marſupij; vnde nomen traxit: in his ſemina exigua, & flaua continentur, ſapore ſubacri; at herba tota inſipido ſapore conſtat, & glutinoſo, celebris ad ſanguinem ſiſtendum, & fluxiones repellendas, ſucco poto in ſputo ſanguinis, & diſſenteria; trahitur & ſuper nares ad ſanguinem inde fluentem, herba ex aceto trita, & carpo adhibita: ſiſtit fluxum ſanguinis, & rigorem tertianæ compeſcit: illinitur Eryſipelati, & incipientibus inflammationibus, & vulneribus recentibus. Apud antiquos inter Thlaſpi genera numeratur, vt paulo mox patebit.

CAP. LXXV.

HVMILIS quædam herbula affinis Burſę Paſtoris, copioſa in Sicilia, & in Plumbinenſi ſecus vias: ramulis dodrantalibus, multis, humi procumbentibus: foliolis Thymi, rotundioribus, candicantibus, ſubhirſutis: floſculos fert tota hyeme candidos, veluti in capitula aceruatos in ſummis ramulis, odore quaſi ſimillimo fauo mellis: fructus minutos, Iberidi ſimiles: Planta inſipido ſapore conſtat, vt Burſa Paſtoris.

CAP. LXXVI.

THLASPI folia fert ab radice Iberidi ſimilia, longiora, ac ſimiliter diuiſa, in caule autem ſolum anguloſa, pollicis latitudine: caulis prope cubitalis, ramis in ſummo tenuibus, paruis floſculi candidi in cacuminibus: fructus ſpecie & magnitudine Naſturtij, in extremo diuiſi: ſemina intus ſubrotunda, nigricantia, acria: naſcitur in agrorum aggeribus. Quoddam genus in Monte Sancti Iuliani in Piſano oritur: floribus luteis: fructu lato, ac valde depreſſo, diuiſo ſpecie duorum nummorum. Dioſcorides inquit: herbula eſt angustis foliis, digiti longitudine, in terram conſternatis, in ſummo ſciſſis, ſubpinguibus: caulem emittit tenuem, duorum dodrantum, paucis adnatis; circa quem totum fructus eſt modice latus in extremo, figura Diſci, ſeu Lenticulæ, ſed confractus; vnde nomen aſſumpſit: in quo ſemen continetur ſimile Naſturtio: flos ſubalbidus: oritur in ſemitis parietibus, & aggeribus; ſemen acre excalfaciens. hæc deſcriptio partim oſtendit noſtram Burſam Paſtoris, quę & Capſella dicta eſt, inter cętera nomina Dioſcoridi aſcripta: nam folia in cacumine diuiſa; & fructus in extremo lati, ei plantæ magis conueniunt. At figura Diſci confracti, iis, quæ hic deſcriptæ ſunt, magis congruunt. erat autem Diſcus apud antiquos, quoddam luſorium inſtrumentum, figura lenticulari, quod qui longius proieciſſet, victor erat; hodie Rulla vocatur, lignea rotula, quæ filo circumducta, & proiecta, longius rotundo plana tranſigit. Galenus in cenſu Theriacæ, duo genera ſeminis nouit; vnum colore inter luteum & flauum, figura rotundum, adeo exiguum, vt ſæpe Milio cædat, quod è Creta affertur: cuiuſmodi etiam vbique naſcitur, hoc tanquam infirmum monet in Theriaca non recipiendum: Alterum præſtantius ex Cappadocia allatum, quod ad nigredinem quamplurimum inclinat, figuramque non exacte rotundam habet, & magnitudine antedictum permultum ſuperat, & ab vno latere paruam quandam veluti compreſſionem præſefert, vnde & nomen obtinuit, prouenit autem vtrumque in

Cap.

Cappadocia quamplurimum : sed quod peculiariter in Sauro nascitur, nec Cretico, nec passim nascente simile. ex hac Galeni historia colligere licet Bursam Pastoris esse Thlaspi deterius, quod vbique nascitur. Nigrum autem melius, quale hic descriptum est.

CAP. LXXVII.

THLASPI Creticum appellatur herba, quæ etiam apud nos reperitur locis asperis in monte Sancti Iuliani; surculis dodrantalibus : foliis angustis, indiuisis, ceu Lini : capitula fert cacuminibus : in quibus flores stipati, subrubentes : & fructus in eodem capitulo stipatos, profundiori sectione, quam Thlaspi nigrum : seminibus intus flauis, amaris, & acribus : herba quoque amara est. Galenus meminit Cretici Thlaspeos, vt patuit in superiori mentione.

CAP. LXXVIII.

THLASPI magnum. Rafanus montanus vulgò appellatur; radix crassa, gustu Rafani, acerrimi saporis : oritur in montibus : seritur autem in hortis radice; nam præcisa etiam in partes parnas germinat; ineunte vere foliola exeunt ab radice, subrubentia, & scissa in extremo : mox caulis cubito breuior, rectus, paucis ramulis; quibus summis flosculi candicantes insunt : & fructus bifurcati, ac depressi vt cæteris : postquam caulis inaruerit ab eadem radice, sed altero principio folia exeunt magna, qualia Hippolapathi, serrata, & aliquando in extremo scissa. Dioscorides ex Crateua describit : foliis latis : radicibus magnis : vtile Ischiadicis. recentiores medici Rhaphanum sylucstrem putantes Radici vires tribuunt ad flatus laxandos : vrinam mouendam; & calculum renum, & vesicæ frangendum. distillant & aquam ex radicibus ad vsus prædictos. Germani radices tritas in condimenta recipiunt.

CAP. LXXIX.

DORELLA vulgo appellatur, semen aurei coloris, exiguum, & in rotunditate oblõgum, acre, oleosumque; quod præcipue olei gratia serunt in Gallia : caulem fert rectum cubitalem, ramosumque folijs Thlaspi nigri, maioribus, ac leuioribus, flosculos fert candidantes : fructus non depressos, sed orbiculatos, in acutum desinentes, ob seminis vero similitudinem cum Sesama, & olei hubertatem, à multis assumpta est pro Sesama, oleumq; Sesaminũ ex hoc semine petũt,

CAP. LXXX.

VIOLA alba, quæ & Matronalis cognominatur: colitur floris gratia: flos est odoratus inter primos vernos. Planta fruticosa: caule crasso, duro, circa duos dodrantes: ramos fert in cacumine, vt Brassica: folia digitali longitudine, candicantia, subhirsuta, quæ prope radicem angulosa, ac latiora: flores summis ramulis plures, speciosos, candidos, aut rubentes, aut ad purpuram inclinantes, aut varios, maculis in albo rubris: extant & luteæ ramosiores: viridioribus foliis, angustioribusque: siliquas ferunt longas, & angustas, ad septũ cõpressas contrario modo quam in Nasturtio & Thlaspi: in iis semina rotunda, in tenuitatem quasi foliaceam compressa: radix lignosa. Græci Leucoion vocant, quasi albam violam, comprehẽdentes eodem nomine & luteas, & cæteras prædictas. Theophrastus inquit; florum prima emicat, vbi cælum clementius nondum exacta hyeme plurimum durat. differentiam habet in flore; cum color earum varietur. Distat à nigra tum in aliis, tum ratione plantæ ipsius, in caule tantum foliata, non latifolia, non multa radice constat: Vita eius anni maxime tres, senescens diminuitur, & candidiores assidue flores fert. Aliam idem Theophrastus habet inter Bulbacea, de qua suo loco dicendum est. Dioscorides tanquam notam non describit: esse differentiam in flore; nam aut alba, aut lutea, aut cærulea, aut purpurea: lutea autem ad Medicinæ vsum optima: nam ducit menstrua, secundas, & fætum flos siccus feruefactus in sessione: efficacius eadem præstat semen potum: nam abortum facit: sed Cæruleum Leucoion in hoc genere hactenus non visum, à solo Dioscoride positum, nisi superfluum fuerit id verbum: At Cyanus flos, quem forte intellexit, alio loco est explicandus. Plinius trium tantum colorum meminit, purpurei, lutei, & albi; nam de cyano seorsum à Leucoio agit: Leucoium ferunt omnes plantis, vt olus. At reliqua Violarum genera ab eodem posita non pertinent ad hunc locum. Arabes vocant Cheiri; vnde oleum paratur Cheirinum vteri doloribus valde vtile: diuersum à Iasmino Dioscoridis, quod è floribus albis violæ parari scribit, de quo nos in Gelsimino.

CAP. LXXXI.

EXTANT & syluestres, vt plurimum sine odore: oriuntur in montibus, albæ, & purpureæ: foliis angulosis, & breuioribus quam satiuæ: cauliculis dodrantalibus; harum flores noctu magis redolent quam interdiu: idcirco iure Hesperis inter has constituatur apud

Theophra-

Theophrastum, quam inquit appellatam à nomine esse; quia noctu plus redoleat, quam interdiu. purpurei floris quandam vidi admodum pusillam, non excedentem quatuor digitos, in gracilibus nascentem: lutei vero coloris quædam in montibus nascitur: foliis rotundioribus: multis ramis, fruticosa, dodrantalibus siliquis capitulorum modo extuberantibus, rotundis. Ἀνὸ ὀζόνε.

CAP. LXXXII.

LVNARIA græca vulgò appellatur planta in Alpibus locis, vmbrosis: cubitali caule, ramoso: foliis latis, & rotundis, in acutum desinentibus, circumserratis, subasperis: in summis ramis flore purpurascente, Leucoio simile, suaui odore: siliquas fert latissimas, in foliaceam tenuitatem compressas, subrotundas, pendulas: paucis seminibus, Lentis magnitudine, nigris. Altera inodora: foliis oblongioribus, ad Vrticam accedentibus. Tertia flosculis luteis: tecticaulis, candicans: foliis oblongis, latitudine pollicis, hirsutis, vt Verbasci: siliquas fert multas, sursum spectantes, paulo angustiores prædictis: semina specie & colore Cimicum: peregrina apud nos. Quarta fruticosior, & breuior prouenit in nudis saxosis, copiosa in Montacuto, iuxta lapidem nigrum; quod multum Amianti nigri complectitur: in alia terra reperire non licet hanc herbam: cespites sunt lati: cauliculis duris, dodrantalibus, candicantibus, aliquando subrubentibus: in quibus frequentia foliola, ceu Thymi, rotundiora, candicantia: flosculi exiles, in summis ramulis copiosi, lutei: fructus rotundi, & compressi, figura Lentis, pallescentes: in quibus semina flaua, exigua, simili modo compressa. Dictæ sunt Lunariæ, quia fructus figura lunæ non falcatę, sed prope completæ conspiciuntur. Alia tamen à recentioribus Lunaria accipitur, quæ minor, aut racemosa cognominatur, alio loco explicanda. confidunt in his Chimici coagulari posse argentum viuum specie argenti. Inter has videtur esse Alysson Dioscoridis, inquit enim: exiguus est frutex, subasper (additur in quibusdam vnicaulis) foliis rotundis, iuxtaq; fructus duplicibus, scutulis similes; in quibus semen continetur, modice latum: oritur in montibus & asperis. Dicta est Alysson; quia commorsos à cane rabido defendit à rabie; si tusa herba adalligetur morsui. Decoctum eius potu discutit singultus, qui sine febre. Vitia cutis & lentigines in facie delet trita cũ melle: habetur amuletũ aduersus maleficia, si in domo maneat appensa. Aliam vero Plinius pro Alysso accipit, quã inter Rubias ostendimus. Aliam Galenus, quam inter Marrubij genera explicabimus. Quod vero Dioscorides scribit de suo Alysso: fructum ferre duplici clipeolo simile, lunariis prędictis optime conuenit; nam &

Pelte antiquis Lunatę dicuntur, vt apud Virgilium, lunatis agmina pel-lis. Duplex autem clipeolus videtur; quia siliquæ duo valuula, figura clipeoli abscedunt relicto septo membranaceo, cui hærent semina.

CAP. LXXXIII.

ALLIARIA vulgo appellatur; quia folia odorem Allij præseferunt: oritur in ruderibus opacis, læto solo: caulibus bicubitalibus, lęuibus; foliis latis, vt Lunariæ gręcę, rotundioribus, crispis: flosculos in summis ramis fert candidos: & siliquas longas, ac rotundas: in quibus semina nigra continentur. laudatur ad vlcera cancrosa & maligna; foliorum succo & puluere: semen ad vteri strangulationes confert ad motum emplastri modo.

CAP. LXXXIIII.

CARARA vulgò appellatur herba in aggeribus, & secus vias: ramis humi stratis, dodrantalibus, circa radicem multis: folia fert diuisa Nasturtij modo, aut Coronopi, læuia: & in foliorum alis racemulos oblongos; in quibus flosculi candicantes: & fructus rotundi, ac depressi, valde duri, asperique: semine intus flauo, ac depresso.

Finis Libri Octaui.

AN-

ANDREAE CAESALPINI ARETINI

DE SVFFRVTICIBVS ET HERBIS. LIBER NONVS.

CAP. PRIMVM.

QVAE terna ferunt semina ex eodem principio, nuda quidem, pauca admodum hucusque comperta sunt; nam preter Rutam sylueſtrem, & Thaliethron, aliam reperire non licuit: cor in iis est extra. Quæ autem terna in conceptaculis ferunt, plura sunt, vt Thithimalorum genera: in magno autem numero sunt, quę in triquetris conceptaculis plura ferunt semina, vt Cõuoluuli, Hypericum, & Bulbacea omnia, quorum cor infra situm est.

CAP. II.

RVTA sylueſtris, in officinis autem Armel vocatur: herba in montibus: virgas fert plures ab eadem radice, cubito altiores, rectas, virentes, læues, rotundas, simplices: folia in geniculis multipartita Rutæ modo latiora, sed quæ ab radice rotundiora sunt, ad Aquilegiam accedentia: in cacumine ramulos fert: copioso flore, lanugineo, albo: fructus ternos in singulis apicibus subcandidos, triangulos, deorsum inclinatos, vt in Glasio: intra corticem semen continetur, oblongum, & nigrum, gustu Pineę nucis, cum perfectum est; sed viride amarum, & graui odore, vt tota planta: radices multæ & fibrosæ, intus buxeo colore, exterius nigræ. Altera humilior: minutioribus foliis: flore pallido in coma magis soluta; semina in singulis apicibus terna, inuicem farcta, sursum spectantia, specie seminis Cicutæ, colore subrufſo, sapore, cum perfectum est, non insuaui: quidam Cicutam Athenienſium vocant; quia succus lætalis est, & soporiferus, & semen Cicutæ simile. hinc factum est, vt nomen Armel cum Cicuta confusum sit apud Matthęum Syluaticum, qui distinctionis gratia aspirationem adiungit Harmel vocans pro Cicuta. Dioscorides de Ruta sylueſtri inquit: eo nomine appellari, quam in Cappadocia & Galatia Asiæ Moly vocãt. quidam

Harmala: Syri Besasa: frutex est ab eadem radice plures virgas ferens: folia multo longiora,& molliora,quam Rutæ alterius,graui odore: florem album in cacumine,& capitula paulo maiora domesticæ, ex tribus maxime partibus constantia: in quibus semen triangulum, subrufum, maxime amarum in gustu,cuius est vsus: perficitur autem in Autumno: cum Moly similitudinem quandam habet; quia radice constat nigra; flore autē albo: oritur in collibus,& lęto solo.ad hebitudinem visus semen illinitur,ex melle,vino,felle gallinaceorum, croco, & succo Fæniculi. Arabes ad multa alia laudant: crassos, & lentos humores incidit, & per vrinas pellit: atram bilē,& pituitā per inferna purgat: efficacissimum remedium ad comitiales; extat & medicamentum Diabesasa, seu Diharmala ad anginas apud Alexandrum Trallianum:excitat id semen vomitiones,vt vini instar ebrietatem parit; confert iis,qui amoris causa insaniunt;soporem gignit pondere drachmæ dimidię vsque ad drachmā vnam in potu. Alia tamen ostenditur,cui magis conueniunt Rutę capitula,Harmel Constantinopolitanū appellatur,de qua alibi dicēdum est.

CAP. III.

THALIETHRON in Hetruria vulgo Verdemarcum appellatur: oritur in agrorum aggeribus, & campestribus, lęto solo: virgis rectis, cubito altioribus: foliis tenuius scissis, quam Armel, fragmentis aliis,vt Capilli veneris; aliis vt Rosmarini,virentioribus,durioribusque: hęc nitore quodam splendent: flores herbacei in longiore coma, ac prędensa insunt: & semina exiliora prędictis: tota graue olet, & insuauis est gustu vt prędictę: laudatur ad Hydropem,& Lienem tumidum radicis decoctum: quidā folium cum onofrixum matutino exhibent; ducit enim vrinam. Dioscorides quamuis Thaliethron breuiter describat, non tamen difficile est plantā prædictam eo nomine agnoscere; inquit enim: folia fert Coriandri, pinguiora: caulem Rutaceum, crassitudine; in quo folia; oritur in campestribus: folia illita antiquis vlceribus ad cicatricem perducunt.

CAP. IIII.

TITHYMALORVM genus appellatum est,quod lacteo succo,& acri abundat; emanat enim id tamquam ab vberibus,decerpto folio,aut caule,aut radice:omnia foliis cōstant indiuisis, in simplici caule rotundo numerosis, oblongis; summi caules in ramos findunt tur, ad minus ternos: quibus aliud genus foliorum inest, rotundius, vt plurimum acetabuli figura; vnde flosculus pendet summo fructui insidens,

dens, veluti Apex, fructus triangulus extra cutaneus, intra cartilagineus: semina terna; singula in singulis alueolis, vt plurimum Viciæ similia: medulla intus molli, & pingui. omnia os incendunt, & facultate purgandi prędita sunt. differunt magnitudine & paruitate: foliorum figura: aliisque caulium, & seminum, & radicum differentiis. Plinius Tithymalum à nostris Lactariam, & Lactucam caprinam appellari tradit: eius lacte inscripto corpore, cum inaruerit, si cinis aspergatur, apparere literas, quibus etiam alloqui adulteras solebant.

CAP. V.

CHARACIAS magnitudine prestat: virgis ab eadem radice multis, sæpe pluribus quam vicenis, pollicis crassitudine, cubito altioribus: quibus folia insunt longiora quam Oleæ, subcandida, & subhirsuta: circa summas autem virgas coma est oblonga, frequentibus ramusculis, & acetabulis; in quibus flosculi sunt subrubentes; & fructus magnitudine paruæ Fabæ: oritur hæc in asperis maritimis vtuntur quidam ad pisces enecandos foliis tusis in vado. Huic similis oritur in montibus: foliis Oleæ: ramis rubentioribus, pauciorbus, ac paulo breuioribus. Dioscorides hoc primum genus Tithymali facit; caules inquit fert supra cubiti altitudinem, rubentes, lacteo succo, & acri madentes: folia Oleæ, circa virgas angustiora, & longiora: radicem crassam, & lignosam: comam in cacuminibus ex ramulis iunceis constantem; in quibus foliola subconcaua sunt similia pelui, & in iis fructus: oritur in asperis & montosis locis. vsus est lactis; nam purgat bilem, & pituitam pondere scrupuli vnius, cum posca inferius, cum mulsa superius, sed fauces exurit, nisi deuoretur illitum cum cera, aut melle decocto: lędit & eos, qui colligunt, prędertim oculos, faciem, collum, & inguina; ideo aduersum flatum cauere debent, & manus & faciem oblinire prius seuo & oleo cum vino. recens aufert pilos cum oleo illitum; verrucas & formicas sanat: cauis dentium inditur ad dolorem leuandum, aliaque multa præstat: folia quoque siccata & semina, & radix ad purgationes assumuntur. Mesues Alscebram magnum vocat, habens radices rotundas, crassas, spissi corticis, densi, & ponderosi: reprobatum à Medicis; quoniam abscindit viscera. Plinius inquit Tithymali plura genera: primus cognominatur Characias, qui & masculus existimatur: ramis digitali crassitudine, rubris, rugosis, quinque aut sex, cubitali longitudine, à radice foliosis: pendet in cacuminibus coma Iunci: nascitur in asperis maritimis. Theophrastus de Lactaria mascula inquit: magnitudine cubitum æquat: folio Oleæ: huius lac, cum vindemia incipit, exprimunt, & præparato vtuntur; purgat inferius.

PALY-

CAP. VI.

PALVSTRIS frequens in paludibus Pisanis, altior, & lauior Characia: caule medio crasso, aliis tenuibus adnascentibus, rectis, rubentibus: foliis paulo angustioribus, rarioribus, & magis virentibus: radicem fert exterius nigram, intus candidam, crassam, tenui cortice, qui ob succi copiam, facile abscedit à corpore: comam in cacumine luteam: semen Characię. vtuntur quidam cortice radicis pro Turbit; nam valde gummosus. Actuarius Turpetum nigrum vocat; quam inquit esse, radicem Pityusæ: Album vero Alypiæ. De Pityusa Dioscorides inquit: inter Thithimalos à quibusdam recenseri, specie differentem à Cyparissia: caulis supra cubiti altitudinem assurgit, geniculatus, foliis Piceæ, acutis, exilibus: flore paruo, veluti purpureo: semine instar Lenticulæ lato: radice crassa, candida, succo referta: alicubi frutex is prægrandis inuenitur: detrahit pituitam, radix pondere duarum drachmarum. Plinius cum honore Pityusam recenset fruticem Piceæ similem: flore paruo, purpureo. Quamuis autem hæc non omni ex parte quadrent plantę propositæ, vt foliorum tenuitas, seminis latitudo, & radicis color, ac floris; non tamen reiicienda est à genere Pityusæ; cum scribat Dioscorides alicubi fruticem esse prægrandē, vt in hac contingit; similitudo enim foliorum & totius plantę cum Cyparissia est, sed omnia longe maiora. de parua Pityusa patebit mox: sed de Turbit alia est sententia apud Mesuem, & alia apud Serapionem, vt locis propriis ostenditur.

CAP. VII.

ESVLA in officinis vocatur, in campestribus proueniens: caule dodrantali, aut maiore: ramulis tenuibus, à latere exeuntibus: foliis Lini, virentibus, angustis, numerosisque: coma in cacumine subrubente: radice tenui, cortice rubente. vtuntur rustici radice in catapotia ad purgandum. Extat quædam paulo maior: longioribus foliis, rarioribusque: coma pallida; in humidiori solo nascens: in totum herbæ Linariæ similior, vt antequam floreat, non distinguatur, nisi lacteo succo. Tertia in montibus nascitur, candidior: foliolis angustis, Esula candida appelletur. harum quædam ad Pityusam reduci possunt, vt secunda & tertia: cuius historiam superioti capite tradidimus: quæ autem primo loco descripta est; Cyparissias à Dioscoride vocatur; caule dodrantali, vel maiore, subrubente: ex quo folia exoriuntur Piceę, molliora, & tenuiora, vt in totum Piceam nascentem æmulentur; vnde nomen; candido succo madet, sed hęc ex Pityusa videntur desumpta,

quæ

quę à similitudine Piceæ denominata est. Plinius inquit Cypariſſiam vocant propter foliorum ſimilitudinem; caule gemino, aut triplici: naſcentem in campeſtribus: at quę ſimilitudo ſoliorum cum Cupreſſo? An naſcentis Cupreſſi folia conſpicua, paulo breuiora Piceæ, aut Iuniperi? Meſues omnes has Alſcebram paruum appellat, habentē radices tenues, & tenuis corticis, quæ ſunt in vſu, præcipue cortex, qui eligitur tenuior, læuior, frangibilior, colore ſubrubente. Serapio Scebram vocat, & Pityuſæ Dioſcoridis accomodat.

CAP. VIII.

ALYPVM in petroſis naſcitur, tractu marittimo: frutex ſurculoſus, multis ab eadem radice cauliculis, tenuibus, palmum altis: foliis Thymi: tenui coma in cacumine, lutea: fructu aſpero, & hirſuto: radice ſingulari, lignoſa, pollicis craſſitudine, cortice craſſo, ſubrubente. Dioſcorides inquit: ſurculoſa eſt herba, ſubrubens: exilibus ramulis: tenuibus foliis: flore molli, lęui, & copioſo: radice Betę, tenui, acri ſucco referta: ſemine Epithymi: gignitur in marittimis. ſemen atram bilem trahit. Actuarius modo Alypum vocat, ſemen laudans ad atram bilem, modo Alypiam: cuius radix detrahit pituitam glutinoſam, & Turpetum album eſt; nam nigrum Pityuſæ radicem eſſe tradit, vt ſuo loco explicatum eſt. Paulus quoque Alypum, & Alipyam rem eamdem ſuis temporibus appellatam teſtatur.

CAP. IX.

MARITTIMVS Thithimalus ſemicubitalis eſt: incuruis ramis, rubentibus: numeroſo folio, ceu Lini, breuiore, & candicante: comam in cacumine fert latam: floſculo palleſcente: fructus exiguos candidos: ſeminibus Viciæ paruis: naſcitur in hare noſis littoribus. Dioſcorides Paralion vocat: naſcitur in marittimis: ramis ſubrubentibus, palmum altis, quinis, ſeniſue, à radice exeuntibus: foliis Lini, anguſtis, paruis, oblongis, inuerſus quoſdam digeſtis, capite in cacumine orbiculato: in quo ſemen vt Eruum vario colore emicat: flos albus: frutex totus cum radicibus lacteo ſucco turget. Theophraſtus marittimum Granum appellari teſtatur: folio rotundo: caule palmū alto: fructu albo, qui demetitur, cū vua nigreſcere incipit, & ſiccatur: potui datur tertia parte acetabuli. Plinius ex Theophraſto tranſcribit, addens ramos rubentes: non variant autem hæ deſcriptiones; nam folium rotundum, de eo, quod in coma eſt, intelligēdum apud Theophraſtum & Plinium. Dioſcorides caput appellauit ipſam comam,

MYR-

CAP. X.

MYRSINITES peregrina est apud nos: ramis ab radice pluribus, humi stratis, dodrantalibus, crassis: folia insunt pollicis latitudine, figura Myrthi, in acutum desinentia, non tamen pũgentia, crassa, colore candicante: coma in cacuminibus, similis maritimo; in qua fructus Characiæ similis. Extat quædam in montibus: angustioribus foliis; Dioscorides Tithymalum fęminam esse inquit, quam Myrsinitem, & Caryitem vocant, similem Daphnoidi natura: foliis Myrthi, maioribus, firmis, in cacumine acutis, spinosisque: viticulas ab radice fert dodrantales: fructum alternis annis, Nuci similem, gustu mordaci: nascitur in asperis. Theophrastus inquit: Myrtaria cognominata, candida lactaria est: foliis Myrthi, aculeatis parte postrema: sarmenta in terram demittens, longitudine palmi quæ non simul, sed alternis annis fructificant, alia hoc annos alia postero, quamquam omnia eadem radice exorta: loca montosa desiderat: fructus Nux appellatur: demetitur, cum Hordeum turgescit, purgatus, lotusque in aqua; siccatusque, datur cum Papaueris nigri duabus partibus, ita vt totum modo acetabuli sit: Trahit pituitam per aluum. At vero, si nucem ipsam placeat dare, tritam dabitur ex vino dulci, aut cum Sesama tosta, torrefactaque comedenda. Plinius eadem fere habet; tantum folia molliora Myrtho tradit, forte comparans cum Myrtho syluestri, cui folia pungentia, & robusta. ex his patet, quas descripsimus ad Myrsinitem quidem referri posse; nam cauliculi serpunt alternis annis, fructum ferentes: foliis Myrthi, at non pungentibus; neque fructus præ paruitate Nuci comparari potest.

CAP. XI.

ARBORESCENS in scopulis nascitur, & præruptis, copiosius in præcipitio, qui Saltus Ceruię vocatur inter Massam, & Petramsanctam; frutex est bicubitali altitudine, & ampliore, ligneus: vno quasi caudice in ternos, aut quaternos ramos perpetuo fisso: foliis circa surculos nouellos, longioribus Myrsinite, ac virentioribus: coma lutea: fructu Characiæ. Dioscorides Dendroidem vocat in petris nascentem, amplum in summo, & multas spargentem comas; copioso succo: ramis subrubris; in quibus sunt folia tenuia, Myrtho similia: fructus autem Characiæ similis. Plinius Dendroides inquit, alij Cobion, alij Leptaphyllon cognominant, in petris nascens, comosissimum ex omnibus maxime cauliculis, rubentibus, & semine copiosissimum: eiusdem effectus, cuius Characias.

LA-

CAP. XII.

LATIFOLIVM inter peregrina semina, aliquando prouenit in horto Pisano, sed nequaquam ad frugem vsque; nam hyeme aduentante perit: caulis simplex, ad altitudinem duorum dodrantum creuit: foliis alternatim geminis, subrotundis, ternum digitorum latitudine, candicantibus, crassis, ac lanuginosis, succo lacteo & acri manantibus. Aliud apud nos passim iuxta flumina oritur: pluribus ab radice caulibus, rectis, cubito breuioribus, rubentibus: foliis latitudine pollicis, oblongis, valde hirsutis: coma in cacumine lutea: fructu hirsuto. Dioscorides Platyphyllon vocat, Verbasco similem: eius radix, succus, & folia per inferna trahunt aquas: pisces necat tusus, & aquæ inspersus, quod & cætera Tithymali genera præstant. Plinius Platyphyllon inquit, alij Corymbitem, alij Amygdalitem à similitudine: nec vllius latiora sunt folia: pisces necat: aluum soluit.

CAP. XIII.

CATAPVTIA vulgò dicitur, quam serunt in hortis spectaculi gratia, nec non & vtilitatis in purgando: planta vno caule assurgit, crasso, cubitali, aliis à latere adnascentibus: foliis digitalibus, prælongis, alternatim geminis, crucem quodammodo efformantibus, lęuibus, & crassis: ramos in cacumine prelongos spargit, assidue bifidos; in quibus folia Hederę; & fructus in singulis alis, magnitudine Nucis Auellanæ, in quibus semina effigie grandioris Viciæ, oblonga, colore vario, medulla intus, sapore nuclei Pinei, sed fauces paulo post incendunt. Qui abhorrent medicamenta, sumunt nouem grana à cortice mundata bibuntque ex aqua frigida: purgant hæc per superiora & inferiora bilem flauã & pituitam: alij duo folia ex oleo & aceto parata deuorant. Dioscorides Lathyrim vocat forte ob similitudinem grani cum Lathyro, quam Cicerculam interpretantur: caulem inquit gerit cubiti altitudine, & digitali crassitudine concauum: gignuntur in cacumine alæ; & folia in caule oblonga, Amygdalinis proxima, latiora, & læuiora, quæ autem in summis ramulis, minora conspiciuntur, Aristolochiæ; aut Hederę longioris figura; in cacumine fructum summis surculis gerit, tripartitum, rotundum, vt Capparis, in quo tria semina membranis inuicem distincta continentur, rotunda, maiora Eruo, sed à cortice mundata candida sunt, & gustu dulcia: radix tenuis, & inutilis: totus frutex lacteo succo turget, vt Tithymalus. Plinius de Lathyri inquit: folia habet multa, Lactucæ similia, tenuiora: germina multa;

in quibus semen tuniculis continetur, vt Capparis, quæ cum inaruere, eximuntur grana Piperis magnitudine, candida, dulcia, purgatu facilia. hęc vicena in aqua pura, aut multa pota Hydropicos sanant; trahunt & bilem. Actuarius pituitam purgare testatur, si grana eius maiora quindecim, minora autem viginti sumantur. Dioscorides igitur cum inquit, grana sex, aut septem exhiberi, significat totidem fructus, quibus tuniculis terna semina continentur. Quædam admodum pusilla in asperis nascitur, non excedens altitudinem digitorum quatuor: cæteris proportione exilioribus.

CAP. XIIII.

HELIOSCOPIVS passim in ruderibus nascitur, & circa vias: caulibus ab eadem radice tribus, aut quatuor, dodrantali altitudine, crassis, & læuibus, vt Portulacæ, subrubentibus, in quibus folia breuia, & subrotunda: comam in cacuminibus herbaceam gerit, quæ hyeme cum sole circumagitur, procedente tempore dilatatur coma in ramos, & caules foliis denudantur: semina fert exigua. Quædam in montibus vmbrosis nascitur: maiore folio, oblongiore, ac nigriore, quam quidam Eiulam rotundam vocant. Dioscorides describit foliis Portulacæ, tenuioribus, rotundioribusque: ramulis à radice quatuor, aut quinque, rubentibus, dodrantalibus, tenuibus, copiose lacte, capite Anethi, & fructu veluti in capitulis: huius coma cum sole circumagitur, vnde nomen Helioscopij: nascitur circa oppida, pouissimum in ruderibus. Plinius eadem fere scribit: semen album esse, columbis gratissimum, quod colligitur in cipiente vua.

CAP. XV.

PEPLVS æstate prouenit sponte in vineis hortisque Helioscopio similis, breuior, ramosior, tenuioribus tum caulicolis, tum foliis. Dioscorides describit fruticem lactei succi plenum: foliis paruis, vt Rutæ, latioribus: vniuersa autem coma dodrantem æquat, rotunda, fusa iuxta terram: semine sub foliis paruo, rotundo, minore, quam candidi Papaueris. herba ad multa vtilis: vnica radice inutili: à qua totu frutex exoritur: prouenit locis cultis, & inter vites. Plinius eadem ferme habet.

CAP. XVI.

PEPLIVM herba in maritimis nascitur, locis sabulosis, statim à radice in ramos fissa: nullo caule comam sustinente, vt in cęteris; sed tota veluti coma est, humi strata, in orbem amplissimum aliquando

quando cubitalem: foliolis rotundis, vnguis latitudine, sub quibus singulis fructus latent exigui: tota rubet inferius, qua terræ incumbit. Dioscoridi Pepis vocatur, aliqui syuestrem Portulacam. Hippocrates autem Peplion, in maritimis potissimum nascitur: frutex amplus, lacteo succo plenus: folia habens similia Portulacæ domesticę, sed rotunda, inferne rubentia: fructus sub foliis rotundus, vt Pepi, gustu tenuens: radix vna, tenuis, inutilis.

CAP. XVII.

CHAMAESYCE in vineis saxosis potissimum nascitur, in totum Peplio similis, tantum minor; nam rami in terra sparti vix ad palmum accedunt: foliolis exiguis, ac similiter rotundis, non adeo rubentibus: semina quoque exiliora, sub singulis foliolis. Dioscorides Chamæsycem inquit appellari, quasi humilem Ficum, aliqui Sycem vocant, forte ob lactis vbertatem, vt Fici: ramos inquit fert in terra stratos, quatuor digitorum, rotundos, succo plenos: folia effigie Lentis, Peplo similia, parua, terrę incumbentia: fructum rotundum sub foliis, vt Pepi: neque florem: neque caulem fert: radicem tenuem, & inutilem. Inter cæteras facultates, tollit verrucas cuiuscumque generis illita: oritur in petrosis & squalidis locis. Plinius eadem fere habet.

CAP. XVIII.

EVPHORBIVM, succus est aridus inter externas merces, in paruas micas friabilis, tritu facilis, sed terentium nares vrit, & sternutamenta concitat, color subalbidus, vetustate ruffior fit, admixta habet semina triquetra, parua, nostris Tithymalis similia, vt hinc colligere liceat, eius plantam in hoc genere contineri. Describit eam Leo Aphricanus inter Aphricæ plantas in hunc modum: herba inquit est ex toto aculeata, quæ caput Cardui syluestris æmulatur: inter eius ramos ab radice exeunt fructus, cubitales, & ampliores, crassitudine Citruli, virides, granulosis quibusdam tuberculis distincti, vt Citrulus, veluti caudices viginti, & triginta ex eodem cespite. Rustici hos gladius pungunt, cum ad maturitatem peruenerunt: effluit autem humor lacti similis, qui paulo mox densatur, & tandem siccatur, vtribus collectus, ex hac descriptione colligere licet, quos author fructus appellat, non esse seminum conceptacula; non enim è ramis exeunt, qui seminis gratia dati sũt, sed potius esse nouellos stolones succi plenos, priusquam in comam frondantur, vt in cæteris Tithymalis visitur, & sine foliis, vt in quodam genere vidimus, quod ex Sicilia habuimus: hoc multis ramis constat, re-

ctis, virentibus, crassis, tenerrima fragilitate preditis, nullis foliis, aut paucis, vt Spartho, copioso lacte, quasi genus quoddam Euphorbij videatur; sed nequaquam spinosum est. Dioscorides Euphorbij plantam arboream esse tradit,& Ferulaceã in Aphrica: ea succo madet acerrimo, qui nõ sine metu colligitur è longinquo cotis vulnerato caudice; statim enim tamquam è vase copiosus lactis humor effluit in ventriculos ad id paratos, in terram quoque spargitur. liquoris autem duo genera: vnum translucidum, vt Sarcocolla, Orobi magnitudine: alterum in ventriculis concretum, vitri specie: adulteratur Sarcocolla,& glutine admixto: Eligendum translucidum, & vehemens; quamquam difficile sit degustare; nam vel leui tactu linguę accendit os, vt diutius feruor sentiatur, & admota omnia Euphorbium videantur. Plinius Euphorbiam herbam vocat, cuius volumen extat Iubæ,& præclarum Encomium. Inuenit eam in monte Atlante: spectatur foliis Acanthinis, cętera vt Dioscorides tradit. Mesues folia inquit in primis eleuantur sicut lanugines, deinde decidunt,& nascuntur folia similia Follio marino, eius gummi excedit omnia genera in calfaciendo & attenuando: solutione educit pituitam viscosam,& crassam ex profundo: confert neruis. Galenus cerato excipit efficacissimum remedium ad neruorum punctura, conuulsionem, & ad extrahendum ex alto humores, eius loco assumit aliquando lac Tithymali, idest Characiæ.

CAP. XIX.

CVM Tithymalis conuenire videntur Ricinus, & Heliotropium; nam fructus ferunt illis similes, sed succo lacteo carent; differũt & folij, & totius plantæ forma. Ricinus vulgò Girasole, crescit in æstate; specie arborea; caule crasso, geniculato, & concauo, ternum cubitorum altitudine: foliis Platani, amplioribus, læuioribusque, veluti ex palma manus digitis exeuntibus: racemos erectos fert in alis, alios florentes tantum, alios fructificantes sine flore: flos capillaceus, subrubens: fructus amplitudinem Nucis Auellanę, hirsutus, qui dissiliens proiicit semina, quæ vt plurimum terna sunt, raro quaterna, læuia, colore vario, magnitudine Fascoli; vnde quidam Fascolum Romanum vocant, medulla valde pingui, acri, nauseosa, cui facultas inest purgandi, sed cum multo ventriculi labore: abstergit optime lentigines,& reliqua cutis vitia: aduentante frigore perit. Dioscorides Cici & Croton vocat, ob similitudinem Ricini animalis arbor prouenit paruæ Ficus altitudine: folio Platani maiore, leuiore, & nigriore: ramis, caudicibusque cauis, vt Harundo, fructu in asperis racemis, qui disquamatus Ricinum animal representat, ex quo oleum Cicinum exprimitur, cibis fa-

dum,

dum, lucernis vtile: grana triginta purgata & pota, pituitam, bilem, & aquam trahunt. Plinius inquit; Cici arbor in Aegypto copiosa, & in Hispania repente prouenit, altitudine Oleæ: caule Ferulaceo: folio Vitium: semine vuarum, gracilium, pallidarumque: nostri eam vocant Ricinum à similitudine seminis. Serapio Cheruam appellat, vnde oleum de Cherua. Mesues Granum regium; cuius duo genera inquit esse: maius, & minus; maius Cheruam vocati, cuius grana quinque vsque ad septem propinantur ad purgandum; minoris autem modus à granis septem vsque ad quindecim: vomitum prouocant, & solutionem laboriosam: educunt pituitam vehementer, & aliquando flauam bilem ex articulis, & aquam citrinam præcipue cocta & contrita in iure Galli antiqui, aut sero lactis, recentiores minus in hoc genere intelligunt Cataputiam, idest Lathyrim. ipse autem Heliotropium interpretor apud Dioscoridem.

CAP. XX.

HELIOTROPIVM, paruus quidam Ricinus videtur esse; nam planta æstate prouenit, non altior cubito: ramis in latera tendentibus, subasperis: folia fert non dissecta; sed modice angulosa, initio nigricantia, dein subcinerea, subhirsuta, latitudine trium digitorum, longo pediculo pendentia: In alis racemulos paruos, flosculis pallidis, sine fructu: fructus sine flore pendulos, Ricino minores, in quibus semina rugosa continentur, quæ similiter vasculo dissiliente proiiciuntur: peregrina apud nos, vt superior. Hoc Mesues Granum regium minus vocauit, de quo in superiori capite. Dioscorides Heliotropium minus appellat, quod breuiter describit his verbis: nascitur in palustribus, & iuxta lacus: foliis alterius Heliotropij, rotundioribus: fructum fert rotundum, pensilem, vt verruca Acrocordon: Herba & semen ex aqua pota cum nitro & Hissopo tineas latas & rotundas eiiciunt: extrahit verrucas cum sale impositum. Plinius Tricoccum appellari tradit: circumagit se cum sole etiam nubilo die, tantus sideris amor est, noctu velut desiderio contrahit cæruleum florem: vbique nascitur, & alio nomine Scorpiuron vocatur; foliis non solum minoribus, sed etiam in terram vergentibus; semen ei est effigie Scorpionis caudæ, quare ei nomen. sed hæc descriptio multa habet assumpta, partim ex maiore Heliotropio, partim ex Scorpioide, vt patebit locis propriis. huic maxime conuenit nomen Tricoccum; nam fructus triquetros fert.

CAP. XXI.

FABA inuersa à recentioribus appellatur, quædam in hortis sata, opere topiario: viticulas fert multas, quæ cauliculis adminiculla complectentes, repūt ad altitudinem bicubitalem, & amplius: foliis multipartitis, instar Clematidis, quæ Vitalba vocatur, magis in ambitu lectis: flosculos fert albicantes paruis racemis, è quibus fructus pendent in Autumno similes Vesicariæ; vnde quidam inter Vesicarias recenset: intra Vesicam triquetram terna semina continentur, sepientibus membranis, Piperis magnitudine, nigra; sed in sede seminis, quæ est, candida inest macula, cordis figura, saporis nauseosi. Matthæus Syuaticus Fabam inuersam hoc modo describit. Romani inquit, eam fabariam vocant, & est herba, cuius folia sunt sicut Atchechengi, caulis cubitalis, aut bicubitalis ad summum; semen eius viride, tendens ad nigredinem, magnitudine Fabæ communis, habens quasi effigiem in medio, sicut Faseolus: illinitur vlceribus malignis; nam abstergit sine morsu, carnē putridam absumit, & intra tres dies, vicus tenouat sine dolore.

CAP. XXII.

CONVOLVLI dicuntur vulgò, quorum caules vicinis fruticibus & adminiculis circumuoluti ascendunt, succo lacteo constantes: vascula ferunt rotunda, membranacea, tenuis vt plurimum loculis distincta, aliquando binis, raro quaternis: in singulis loculis bina semina continentur, angulosa, inferius sedentia: flos omnibus concauus, calycis effigie: folia Hederacea: constant vi purgandi: inter hos principem locum tenet Scamonia: hæc tenues viticulas fert, bicubitales: folius triangulis, effigie sagittarum, paruis: flores ex candido pallescentes: fructus velut pinguedine obductos, in quibus semina nigricantia: radicem grandem Rhaphano similem, succosam. Huiusmodi apud nos nuper prouenit ex semine, quod è Syria allatum est. Dioscorides paulo diuersam describit, ramis ab vna radice tricubitalibus, multis, pinguibus, subcrassis: foliis Elixinę aut Hederę, mollioribus, hirsutis, triangulis: flore candido, rotundo, in calathi modū cauo, graueolente: radice longa, crassitudine brachiali, candida, graueolente, succo grauida: vnde succus excipitur, quod Scamonium vocatur: optimum ex Mysia Asiæ regione, læue, nitidum, rarum, colore Taurini glutinis, fungosum, tenuibus fistulis: ex Syria autem & Iudæa, deterrimum, graue, densum, vitiari solitum farina Erui, & Tithimali succo: purgat per inferna, bilem & pituitam drachmæ pondere, aut quatuor obolorum

ex

ex aqua pura, aut mulsa. Meiues Scamoneam vocat, magnum solutiuũ, & super omnia purgantia generalissimum apud Democritum; esse autem succum cuiusdam Conuoluuli; folia sagittæ alaræ ferentis: colligi autem optimum incisa radice gummi modo in crobibus, aut eadem in talcolas dissecta, vnde distillat subalbida; deterior tertio modo contusa & expressa radice, nigra & grauis; vltimo expressis foliis nigra, subuitidis, grauis odoris, pessima. Eius dosim statuit à pondere granorũ quinque ad duodecim, corrigi vehementiam incocta in Malo Cotoneo, aut succo, quod Diagridium vocant. ex quibus manifestum est Scamonij glebas ingentes, quas hodie vendunt nigras & graues, aut aduiteratas esse, aut succum expressum ex tota planta.

CAP. XXIIII.

ALTERVM genus pro Scamonia ostenditur multo malus; nam scandit supra tricubitale altitudinem, crassioribus palmitibus, hirsutisque; subhirsutis quoque foliis Hederæ modo, angulosis, latioribusque: Calyce coloris cęrulei elegantissimi, vasculo grandiori; seminibus nigris; seritur hæc in hortis, operetopiario: peregrina: sed hyeme emoritur, non vt superior radice viuit. Forte Meiues Volubilem lanuginosam vocauit: foliis subalbidis, lacteo succo manantẽ, cui inest vis venenosa; nam solutione sanguinem educi abradendo. Quoddam genus Scamonij allatum est, vitrum is multis albicantibus, foliis quoque subalbidis figura sagittæ: floreum insunt subcandidi, patui, in racemulis, Apocyno similes.

CAP. XXIIII.

CONVOLVVLVS minor passim in aruis, & iuxta vias oritur: radice tenui, & longa, iuncea; ramulis tenuibus, semicubitalibus: foliis oblongis, in angulum obtusiorem desinentibus: Hyeme assumuntur hæc inter olera ex oleo & aceto; æstate floret, calyces ferens albos, aut subrubentes: fructum tenuem. Plinius inter Clematides recenset, Scamoniam tenuem vocans: ramis similibus Scamoniæ, pedalibus, foliosis: folia nigriora, minoraque, in vineis & aruis æstur vt olus: alium cit. Dioscorides Helxinem cognomento Cissampelon vocat; foliis Hederæ, minoribus: ramis exilibus, quodcumq; tetigerint, amplectentibus: nascitur in sæpibus, vineis, & segetibus. foliorum succus potus alium soluit.

Con-

CAP. XXV.

CONVOLVVLVS maior in sępibus nascitur, harumdinetis, & vmbrosis, suprabicubitalem altitudinem: foliis quoque maioribus altero Conuoluulo; calycibus candidis, amplis. Plinius de hac inquit: est flos Lilio non dissimilis in herba, quam Conuoluulum vocant, nascens per fruteta, nullo odore, nec crocis intus, candorem tantum referens, ac veluti rudimentum naturę, Lilia facere condiscentis. sunt, qui putant apud Dioscoridem Smilacem lęuem esse; nam descriptio in cęteris valde congruit, sed non ad eam altitudinem adolescit, vt in æstate ad vmbras quęratur, neque tantum folia in autumno decidunt, sed & caules & tota planta perit; idcircò magis visum est Smilacem lęuem nostro Gelsimino conuenire.

CAP. XXVI.

SOLDANELLA vulgò appellatur in maritimis nascens, harenosis, humi repens: cubitalibus ramis crassis & rubentibus: foliis subrotundis, Aristolochiæ modo, crassis, & subcandidis, non sine succo lacteo: calyces fert subrubentes, magnitudine Conuoluuli maioris, & fructus similes, laudatur ad Hydropem; nam trahit aquas. Dioscorides Brassicam marinam vocat, à satiua prorsus abhorrentem: foliis rotundis, longę Aristolochiæ similibus (sic enim aptius legendum puto, non vt vulgati codices legunt trāspositis dictionibus, foliis longis rotundæ Aristolochię) enascuntur singula folia à subrubentibus ramulis ex singulis pediculis, vt in Hedera: succus inest albus, sed paucus, salso gustu, aliquantum amaro, & consistentia quadam pingui. Herba in totum stomacho inimica, acris, vehementissime aluum ciet in cibo cocta: coquitur autem propter acrimoniam cum pingui carne.

CAP. XXVII.

ALIAE sunt ab hoc genere non abhorrentes, sed per se stant, & succo lacteo aut carent, aut modicum id habent, vt Dorychnium, & alia ei congener. Dorichnium ex Sicilia habetur: herba fruticosa: multis ab eadem radice caulibus, simplicibus, altitudine dimidij cubiti, numerosis, foliis circundantibus Oleæ figura, paulo angustioribus, molli lanugine, colore argenteo; vnde Argentinam vulgò vocant in summis virgis coma est prædensa; in qua flores candidi, calathi effigie & fructus Conuoluuli minoris. Altera apud nos oritur in

asperis

asperis collibus & maritimis, breuioribus ramulis humi sparsis rarioribus: foliis nigrioribus, breuioribusq; : floribus purpurascẽtibus, in plures ramulos distributis. Dioscorides Dorycnium tradit Oleæ nuper nascenti similem, in petris non procul à mari: ramis cubito breuioribus: foliis colore Oleæ, minoribus, & angustioribus (στενότερα legendum puto non στερεότερα idest firmiora) & valde scabris: flos inest candidus, cacuminibus: foliculi Ciceris, densi, granis intus quinis aut senis magnitudine parui Orobi, leuibus, robustis, versicoloribus: radix digiti crassitudine, longitudine autem cubiti. inter venena soporifera. Plinius inter genera Strychni inquit: hoc est venenum, quod innocentissimi authores simpliciter Dorycnium appellauere, ab eo quod cuspides in præliis tingerentur illo passim nascente, sed videtur pro Solano Manico accipere, vt diximus in Solanis. Hermolaus inquit Dorycnio gustus lactis est, & confracto emanat.

CAP. XXVIII.

RAPVNCVLVS vulgò appellatur sylueſtre olus, cuius radix paruo Napo similis est, candida, fragilis, sapore dulci; estur cruda cum suis foliis inter acetaria: folia fert subaspera, ab radice Helxinę latiora; in caule autem angusta & oblonga: caulem rectum, vltra cubiti altitudinem: flores circa summas virgas inter folia fert, calathi effigie, postremis in angulos exeuntibus, colore Violę purpureę summis fructibus insidentes: fructus asperos triquetros, resimos in summo: seminibus intus numerosis, ac minutissimis: emanat succus lacteus, ac dulcis discerpto folio, aut caule: amat loca à fontibus irrigata. Alterum genus grandius in locis asperis nascitur, & inter saxa, hirsutius: pluribus ab eadem radice caulibus, ramosis: foliis longioribus: flores amplos fert, figura campanæ, extremis simili modo angulosis: hi nunc purpurei extant, nunc subalbidi aut lactei: fructus asperos, ac tuberculosos gerit in plures partes dissectos, ac veluti laceratos. Dioscorides genus hoc grande Medion vocat, de quo inquit: nascitur in saxis opacis, folia ferens Seridi idest Intubo similia (sic enim Oribasius legit, non Iridi, vt vulgati codices habent) caulem tricubitalem; & in eo florem grandem, purpureum rotundum: fructum Cnico similem, paruum; radicem dodrantalem, baculi crassitudine, gustu acerbo, quę cum in aruerit, trita cum melle sistit menstrua: semen contra in vino menses ducit. Plinius de Medio inquit: folia habet Iridis satiuę, caulem tripedalem, & in eo florem grandem, & cætera vt Dioscorides. in hoc genere videtur esse apud eundem Plinium Iasione, seu Lassine, vt quondam legebatur teste Hermolao, cum de ea inquit; olus sylueſtre habetur in terra repens cum

lacte multo: florem fert candidum: Concilium vocant: cuius commendatio ad stimulandos coitus, cruda ex aceto in cibos sumpta: mulieribus lactis vbertatem præstat: salutaris est phthisim sentientibus. Infantium capiti illita nutrit capillum, tenacioremque eius cutem efficit. Alia vero est Iasione apud Theophrastum: de qua idem Plinius alibi, quam nos Aquilegiam putamus: non abhorrebit autem noster Rapunculus ab altera Iasione, quamuis non repant caules, nec flos candidus insit.

CAP. XXIX.

ARCHANGELICA vulgò appellatur à quibusdam Campanula in saxosis & riguis nata: radicibus Rapunculi, sed pluribus, ramosisque: foliis ab radice rotundioribus, latioribusque, vt Violæ purpureæ, magis serratis, succo lacteo emanantibus: caules fert plures, cubito breuiores, in quibus folia Vrticæ similia: flores Rapunculo grandiores, sed minores, quam Medij simili modo sectos, colore purpureo: fructus asperos. Mattheus Syluaticus Arcam Angelicam vocat, & Vrticam mortuam; cum tamen aliæ sint Vrticæ mortuæ, vt Lamium & Galeopsis. astringente facultate pollet: eius decocto oris vlcera sanantur, faucium ac ceruicis tumores reprimuntur.

CAP. XXX.

PHYTEVMA, breuius est Rapunculo: foliis longioribus: flore grandi, latiore, ac breuiore quam Medij: fructu inæquali, lacerato instar Medij: oritur in montibus. Dioscorides breuissime describit: foliis Struthij, minoribus; fructu copioso, ac perforato: radice parua, tenui, in summa tellure: laudatur tantum ad amatoria. Plinius meminit tantum; at non describit. Quædam dodrantalis in montibus foliis Rapunculo tenuioribus: vnico flore in summis cauliculis. Duæ flosculos ferunt veluti in spica dispositos dense, quarum vna foliis Rapunculi constat: Altera Archangelicæ minoribus.

CAP. XXXI.

ERINOS in ædificiis nascitur riguis, palmi altitudine, ramosa: foliolis breuibus, angulosis, vnguis latitudine: flosculos in alis fert, figura Rapunculi, exiles, subcandidos, aut purpurascentes: vasculum paruum figura Rapunculi, in quo semen minutissimum, lacte madet, dulci, vt cætera prædicta. Dioscorides inquit secus amnes fontesque nascitur, Ocymi similitudine, sed foliis minoribus, & super-

ne

ne diuisis, palmo alta est: cauliculis quinis, senisque: flos candidus: fructus niger, paruus, acerbus: & caulis, & folia lacte madent. Plinius Erineon vocat, quæ lacte madet multo, ac dulci, & cętera vt Dioscorides: At Erineos apud Theophrastum caprificum significat.

CAP. XXXII.

ELATINE in segetibus nascitur: caule recto, dodrantali: multis ramulis: foliis subrotundis, sine pediculo hęrentibus, hirsutis, subcandidis: flores summis ramulis insunt, in purpura subrubentes, qui in sole aperiuntur, scissi fere ex toto, noctu autem claudunturq; coheuntibus foliis, figura clauę ferreę, qua æquites vtuntur in bello: fructus veluti siliquas fert exiles, longitudine medij digiti, triquetras, florem summo sustinentes; semina intus parua, splendentia, colore flauo. Dioscorides inquit; folia habet Helxines, pusilla, rotunda, pilosa; ramulis tenuibus, dodrantalibus, quinis, senisque, ab radice statim foliosis, astringenti gustu: nascitur in segetibus, & vbique solo cultu: oculorum fluxionibus & inflammationibus auxiliatur: foliis cum polenta impositis, cocta in sorbitione dissenteriam sistit. Plinius eadem fere habet ad verbum. cognominatum puto ab Elate, quę Abies est; quoniam erecta ramos ab imo fert vsque ad summum Abietis modo: conuenit autem cum supradictis, sed lacte caret.

CAP. XXXIII.

SESAMA semen est pingue, quod affertur ex Alexandria, simile semini Lini, tenuius, colore flauescente, gustui gratum, sapore pingui, Giugiolenam in officinis appellant: conficiunt ex eo placentas cum melle, quas cubatas vocant. satum hoc semen plantam protulit cubitalem: caule crasso: foliis in rotunditate oblongis, subasperis: siliquas triquetras, Elatine grandiores, candidum florem sustinentes. Theophrastus numerat inter fruges æstiuas: nam quadraginta diebus satu consumatur, discerni à leguminibus: sua proprietate cernitur: nam semina gerit in siliqua magnopere circumsepta, modo peculiari quam cętera legumina: caulis ferulaceus, multiplici, & crassiore calamo constans, & numerosiore radice quam Milium; vnde magis terram extenuat: stirps simplex, & alta, pinguiuscula: radice singulari conæret: viridem nullam animal mandit; quia amara: flos foliis constat, siccata gratior, & fructus suauis, candidus dulcedine prestat; nam genus quoddam candidum, hæc Theophrastus. Plinius folia tribuit sanguinea: caulem ferulaceum: semen in vasculis, ab Indis venire ait, ex ea &

oleum confici, colorem eius candidum esse. Dioscorides tamquam notam non describit: semen eius inter fruges numerat, ex quo Aegyptij oleum exprimunt.

CAP. XXXIIII.

SESAMOIDES similitudinem cum Sesama in fructu gerit, qui triquetrus est, sed breuior, ac in extremo apertus, specie quadam loculi, quo nummi conduntur: semina in eo rotunda, & subnigra. Eius tria genera; vnum cubitalibus ramis, ab eadem radice pluribus, altioribusque, & incuruis: foliis Erucę, longioribus, candicantibus: flosculos circa summas virgas fert, subcandidos, & ferme lanugineos: gaudet maceriis & parietinis: viuit diutius, regerminans ab eadem radice: peregrina apud nos: Alterum vno caule constat: foliis virentioribus: flosculis pallescentibus: oritur apud nos in harenosis annua: Tertium genus breue, dodrantis altitudine: foliis breuibus, in quibus paucæ appendices, sæpe nullæ; flores paucos fert, candicantes; siliquas cæteris crassiores, rarioresque: semina fulua: oritur in glareosis & aridis. Dioscorides duo genera tradit maius & minus: de maiori Sesamoide inquit, in Anticyra Elleborum vocari; quoniam in purgationibus Elleboro albo misceatur, simile Senecioni, aut Rutæ: foliis longis: flore albo: radice gracili, inutili: semen simile Sesamę, amarum: De minori autem inquit: cauliculos fert dodrantales, in quibus folia Coronopo similia, hirsutiora tamen, & minora: in cacuminibus capitula floribus purpurascentibus, in medio albis: in quibus semen Sesamæ, amarum, fuluum: radix tenuis: oritur in asperis. Theophrastus non videtur distinxisse ab Elleboro, cum de eo inquit. In Anticyra fructu eius purgantur, quem Sesamaceum fert. Plinius inquit Sesamoides à similitudine nomen accepit: grano amaro: folio minore: nascitur in glareosis, ex quibus innuit genus paruum, cum postea subiungit: est etiã vnum aliud Sesamoidis Anticyrę nascens, quod ideo aliqui Anticyricon vocant, cętera simile Erigeronti herbæ: granum Sesamæ, datur in vino dulci ad detractiones quantum tribus digitis capitur: miscentque Ellebori albi vnum & dimidium obolum; purgationem eam adhibentes maximæ insaniæ, melancholiæ comitialibus, podagris; & per se drachmæ pondere exinaniunt, hæc de maiori intelliguntur.

CAP. XXXV.

GVADARELLA vulgò appellatur ab infectoribus lanarũ herba, qua ad tincturas luteas vtuntur: assurgit in altitudinem bicubitalem: caulis rectus, ac lignosus: ramis quoque rectis: foliis figura

gura Salicis, angustioribus, colore pallescente: fructum fert copiosum circa summas virgas, sine flore, simile Sesamoidi, sed longe breuiorem, & magis patulum, asperumque: semine intus nigro, simili Blito, oleoso. Dioscorides, vt puto, Myagron vocat, & Melampyron; inquit enim: Myagros herba est surculosa, bicubitalis: foliis Rubiæ, pallidis: semen Spondylo simile, oleosum: quo tosto ac tuso virgulas illinunt ad lucernarum lumina: eiusdem pinguedine corporis asperitates hereant: placet autem verbum τράχηλος, Spondylum vertere, magis quam collum, vt Hermolaus vertit: fructus enim & asperitate & figura vertebram ceruicis præsefert, cui neque deest cauitas, locus spinalis medullæ. Alij dictionem græcam immutarunt pro τραχήλο legentes τήλει, idest Fęno græco, sed nulla anthoritate. Plinius inquit: Myagros herba Ferulacea est foliis similis Rubiæ, tripedanea: semen oleosum, quod & fit ex eo. Apud Theophrastum Myagros non reperitur, sed Melampyron, quo nomine semen intelligitur inter vitia Tritici, vt Galenus quoque accipit, de quo inter fruges dictum est; ob seminis autem nigritiam Myagros Melampyron appellata est.

CAP. XXXVI.

ASARVM, vulgò autem Bacchara, suffrutex est in syluis, & opacis montium: radicibus summa tellure serpentibus, veluti Graminis, valde odoratis; à quibus folia exeunt longo pediculo, rotunda, læuia, ac dura, vt Hederæ: flosculi inter folia breui cauliculo, figura Balaustij, labris purpureis, qui intumescentes rotundi euadunt; semina continentes vinaceis similia. Dioscorides Asaron Nardum syluestre appellari scribit: folia fert Hederę, longe minora, ac rotundiora; inter quæ flores ab radice purpurei, beneolentes, figura cytini Hyoscyami; in quo semen simile Vinaceo: radices subsunt multæ, geniculatę, tenues, in latus tendentes, similes Gramini, sed multo tenuiores, & odoratos, calfacientes, & valde mordentes gustum. In quibusdam codicibus multa addita sunt ex capite de Bacchari assumpta; nam & hęc Bacchar appellata est apud antiquos. Plinius de Asaro scribit; Nardi vim habere, Nardumque syluestre appellatum à quibusdam: foliis Hederæ, rotundioribus, mollioribusque: flore purpureo; radice Gallici Nardi: semen acinosum, saporis calidi, ac vinosi: in montibus, & vmbrosis nasci: bis anno florere; effodi oportere, cum folia mittere incipit, & in sole siccari; nam celeriter situm trahit, ac senescit. Corrigendum præterea eorum errorem, qui Bacchar Nardum rusticum appellauere; est enim alia herba; Asarum vocari, quoniam in coronas non addatur; Mesues recenset inter medicamenta purgantia; nam trahit

per

per superiora, & inferiora flauam bilem, & pituitam, sed hanc magis pronocat vrinas: obstructiones aufert cum efficacia; ideo confert lienosis, Ictericis, Hydropicis, presertim vinum radicibus in musto infusis. Ad purgationes rectius infunditur in sero lactis pondere drachmarum quatuor, aut puluis exhibetur pondere drachmæ vnius vsque ad tres. Dioscorides exhiberi tradit vsque ad drachmas sex in mulso: hodie frequens est foliorum vsus in lixiuio ad capitis lotiones in dolore capitis, & ceteris vitiis, quæ exsiccationem, & calefactionem postulant, sed hæc facultas à Dioscoride non Asaro, sed Bacchari tribuitur, de quo suo loco dicemus.

CAP. XXXVII.

EX hoc genere videtur esse Cardamomum: venduntur autem hoc nomine tria genera seminum in siliquis cutaneis inclusa candicantibus, quibus floris vestigium in summo est, intus farcta continentur semina, & ob id angulosa, triplici septo tenui membrana diuidente. vnum ex his simpliciter Cardamomum vocatur: siliqua breui, triangula, magnitudine grani Ciceris: seminibus ex rufso candicantibus, subasperis, gustu acri, mordente, odore suaui. Alterum Grana Paradisi vocatur: siliqua longiori: seminibus lenibus, ex nigro rufescentibus, similitudine Melicæ; ideo quidam Meleghettam vocant, sapore acriore, sed minus suaui. Tertium Nigellam citrinam appellant: crassioribus siliquis: seminibus luteis, figura Nigellæ, gustu suauiori, ac minus mordaci quam supradicta. eius plãta in Melanthio explicatur: sed reliquorũ duorũ plantas, nec videre licuit, nec descriptas à quoqu audire. Tantum audio seri leguminũ more in India Orientali; attolli ad summũ cubiti altitudine; dependere siliquas granula cõtinentes interdũ vsque ad viginti; exili radice niti, in vsu esse apud Indos ad pituitã per os purgandam; nã eius gratia manditur. Plinius fruticẽ esse scribit Amomo similẽ; semine oblõgo, quod metitur in Arabia eodẽ modo, quo Amomũ. Genera eius quatuor: Viridissimum & pingue, acutis angulis, cõtumax fricanti, quod maxime laudatur. Hoc existimo Nigellam citrinam esse; nam eius caput in angulos acutos desinit; semen continet pinguius, ac mollius quam cætera, cõtumax autem fricanti, & viridissimum dicitur, ob vasculi & totius fruticis naturam; nam totus frutex manipulatim colligebatur vt Amomum. Dioscorides quoque hoc genus cæteris præfert; inquit enim eligendum esse id, quod contumax est frangenti, plenũ, occlusumque; nam alioqui exoleum est, & quod olfactum feriat, gustu acre, ac subamarum: Ferri optimum ex Comagene & Armenia, ac Bosphoro. Galenus Nasturtio comparat inquiens: facultatem habere ad-

mo-

modum calidam, non tamen vsque adeo vt Nasturtium, sed quanto suauius, magisque fragans est Nasturtio, tanto imbecilliorem eius esse calidam facultatem. vt autem ex nomine coniectari licet, Cardamomum dicitur, quasi Nasturtium suaue. Refert autem Nigella citrina ipsum Nasturtium; non solum frutice; sed & semine. Ipse cum aliquando degustassem vasculi ramenta cum semine admixta; reperi aliquam odoris suauitatem similem semini, sed saporem magis amarum. de cæteris autem generibus inquit Plinius: proximum ei ex ruffo candicans: tertium breuius, ac nigrius. peius tamen varium, & facile tritu, odorisque parui: Quod verius, Costo vicinius esse debet, hoc & apud Medos nascitur: Dioscorides quoque alia genera Cardamomi esse indicauit, cum inquit: gigni etiam in India, & Arabia, cuiusmodi sunt duo genera à nobis indicata, scilicet quod vulgo Cardamomum vocatur, & Grana Paradisi. Arabes hæc nominibus distinxerunt; Nam primum illud genus merito à reliquis duobus seiungunt, Cordumenum vocantes, & quidam eorum interpretes Carui agreste, quoniam & Melanthium, cui Nigella citrina congener est Carui appellant, licet perperam. distat autem facie multum à reliquis duobus. Reliqua duo tamquam à Dioscoride non pertractata ipsi ex propria authoritate describunt. Auicenna quidem statim post Cordumenum. Serapio autem multis aliis interiectis, appellantq; eorum lingua Sacolla, quod interpretes recte Cardamomum vertunt; seruatum enim est in hunc diem quasi per manus antiquum nomen. Diuidunt autem, vnum maius, alterum minus vocantes: maius quidem, vt inquit Serapio, habet cortices, & capita sicut Rosa; quæ sunt grana fere magnitudine fructus Loti, & intra continentur semina parua, angulosa, odorata, pinguia, puluerulenta. hoc genus odoratius est, & iucundius minore, minus acre, magis astringens: eius cortices & capita magis astringunt quam semen: Auicenna huic tribuit magnitudinem Ciceris nigri, quod cum frangitur, interius habet granum album, mordicans linguam, sicut Cubebe, in quo est Aromatis odor: hæc quidem conueniunt vulgari Cardamomo, intra cuius corticem videtur vnicum granum contineri, farctis adeo & inuicem cohærentibus seminibus, vt vnicum videatur, quod & Dioscorides videtur laudare; nullum enim aliud adeo farctum est, occlusumque; ideo merito hoc solum hucusque appellationem antiquam retinuit. De minori Cardamomo inquit Serapio: non habere capita neque corticem, sed grana habentia corticem, cuius color est sicut Cardamomi maioris, & substantia eius est tenuior, quam substantia maioris; hęc verba ostendunt huius generis sola semina afferri solita sine vasculis, qui vsus hodie in omnibus generibus obseruatur; afferuntur enim sola semina à vasculi putaminibus purgata. Auicenna semina minoris Cardamomi, magnitudine Lentis, prædicat,

ado-

odorata quoque. vtrunque genus calidum & siccum esse in tertio ordine, rectius quam Serapio, qui in primo gradu calida constituit. Videtur autem minus Cardamomum intelligi, id quod Grana Paradisi vocatur; acrius enim est, ac minus odoratum, minusque astringit: sed his seminibus atque oliis multis contingit, vt propter Momos reprehensores, quanquam Amoma, & multis æuis comprobata à plerisque hodie reprobentur.

CAP. XXXVIII.

CYCLAMINVS, vulgò Pamporcinus, in vmbrosis nascitur montanis: radice orbiculata, ac parum depressa, instar panis, nigra exterius, intus candida, sapore acri, & amaro: germinat in autumno ex quodã apice, flores prius attollens quam folia: flores in summis cauliculis inclinati, reflexis sursum eorum foliolis, colore roseo: fructus orbiculati, qui cum deflorueriut, paulatim intra terram condunt ur: cauliculis in spiras contractis ad radicem: folia ab eodem apice exeunt Hederæ similia, minus angulosa, superne candicantibus maculis, inferne subrubentia. quoddam genus in Pisanis collibus nascitur, copiosum in Monte Sancti Iuliani, quod vere floret inter folia: eius flores odorati sunt: radices paruæ, nucis Auellanæ magnitudine, vel ad summum Iuglandis. Dioscorides describit: foliis Hederæ, purpureis, varij coloris, inferne, & superne maculis candidis: cauliculo rudo quatuor digitorum longitudine; in quo flos, specie Rosę, purpurascens: radice nigra, Rapo simili, modice lata, quæ ad multa vtilis est: affert præterea alterum Cyclaminum scandentem arbores, de qua dictum est in Periclymeno. Apud Theophrastum Theodorus, nunc Malum terræ vertit, nunc Tuberem terrę: eius radix corticem carni adhęrentem habet: numeratur inter ea, quorum omnia commoda sunt, tum radix, tum fructus. Plinius de Cyclamino inquit: folia habet minora, quam Hedera, nigriora & tenuiora sine angulis, in quibus albicant maculæ: caule exiguo, & inani: floribus purpureis: radice lata, vt Rapum videri possit cortice nigro: nascitur in vmbrosis: à nostris Tuber terræ vocatur: in omnibus serenda domibus: si verum est, vbi sata sit, nihil nocere mala medicamenta: amulatum vocant. Mesues Arthanitam vocat inter medicamenta purgantia: duorum generum; vnum magnum, cuius radix est in modum Rapæ rotundæ, exterius nigra, intus candida: paruum vero habet radices subterraneas, plurimas, in modum Auellanæ, & Cicerum.

CAP. XXXIX.

VIOLA purpurea, vulgò Mammola passim oritur in sępibus, denso cespite, multis radicibus, fibrosis, subcandidis: à quibus folia exeunt, subrotunda, subaspera, ac serrata: flores fert ineunte vere, ac non dum exacta hyeme inter folia, summis cauliculis deorsum nutantibus, constantes ex foliis quinque, binis vtrinque sursum reflexis, vno inferius sinuatim producto, ex quodam vtriculo: color inest purpureus ad cęruleum vergens, aut ad vineum; odor suauis, sed exilis: fructus rotundus Ciceris magnitudine, qui cauliculo in spiras reflexo conditur iuxta radices. Planta non solum semine propagatur, sed & cauliculis quibusdam, humi serpentibus, qui iterum paulum digressi radicantur, vt cito numerosa sobole impleant solum. Extant flores in genere cæruleo, qui numerosis foliis constant, quique diutius florent, sed tardius incipiunt, coluntur, in hortis; cultura quoque simplices grandiores euadunt. sunt & candidæ, vt luteæ in montibus, at sine odore, & gracilioribus foliis. Theophrastus simpliciter Violam, & Violam nigram vocat, recenset inter suffrutices coronarios; flore odorato, qui tantùm in vsu est coronario: ramulis caret, ab radice tantum foliata, lato folio carnoso: perpetuo viret: floret post flores vernos, & vt aliqui ferunt semper florem promere potest, si modo quodam colatur: flores bini, quod in flore alterum florem insidentem medium gerat: prouenit semine; quoniam ipsa & radix ligno constat: vita non recisæ nec vsę ad annos quinque durant ad vigorem scilicet, differentiam non habet. hęc Theophrastus. Dioscorides de Viola purpurea inquit: folio minore, ac tenuiore constat, quam Hedera nigriore, nec dissimili: cauliculus ab radice medius prosilit, & in eo flosculus odoris præcipui colore purpureo: In opacis, & macris locis gignitur: facultate refrigerandi. Plinius inter Violarum genera recenset purpureas sponte in apricis & macris locis natas, latiore folio, quam albę, & luteæ, statim ab radice carnoso; solęque græco nomine à cæteris discernuntur appellata Ia; vt ab his Iantina vestis, idest violacea.

CAP. XL.

VIOLA flammea in sylueſtribus, & apricis nascitur: cauliculo dodrantali, triangulo, & striato: foliis per interualla angustioribus Viola, magisque serratis, aliis tenuibus inter mixtis; è quorum sinu cauliculus exit florem sustinens figura Violæ, sed triplici colore distinctum; in medio enim veluti flamma radiat flaua, ad puniceum vergens, in ambitu albicat supernis partibus: folium infimum viola-

ceum est; ideo aspectu venustus; at sine odore: seritur semine à matronis, singulis annis emoriens, sed facillimo prouentu; nam vbi semel sata fuerit, non opus est iterum serere, si permittatur sementescere. aliqui hanc Trinitatem vocant à triplici colore: alij Iaceam. decocta in Vino educit prauos humores: confert iis, qui patiuntur erysipelata, inflammationes, & scabiem: confert & Asthmaticis & cordis afflictioni: ad eosdem vsus aquam exhibent per sublimationem extractam pręsertim infantibus. Apud Theophrastum Phlox & Phlogion, idest flamma, & flammea Viola appellatur. Theodorus vtroque modo vertit; aliquando flammulam, de qua pauca hæc scribit inter flores coronarios: prouenit semine; nam lignosa & ipsa & radix: sylueſtris dumtaxat floret post Violam albam, nonnumquam vere, aut paulo post vt Lilium: diutius floret; flos tantum inseritur coronis. Plinius inter Violas inquit, post purpuream, flammea proxime floret, quæ & Phlox vocatur, sylueſtris dumtaxat: color tantummodo placet; odor abest: Alibi Iouis flammam vocat inter Violas: ex his patet plantę, quam descripsi, optime tum hæc conuenire, tum rationem appellationis.

CAP. XLI.

HYPERICVM, vulgò autem Perforata, herba est fruticosa, dodrantali altitudine, aliquando altior, vbi lætum solum nacta sit, lęui: rotundo caule, & subrubente, multis ramulis: folio pusillo, forma Polygoni, rotundiore, ac minutissimis punctis perforato: flores in summis ramulis fert, frequentes, ex pluribus foliolis constantes, colore aureo, qui digitis attriti succum sanguineum reddunt: fructus hirsutus, in acutum desinens, colore fuluo: seminibus intus minutissimis, nigricantibus, qui digitis attriti pinguedinem reddunt, odore resinæ: oritur potissimum in vineis. Dioscorides describit surculaceo frutice, dodrantali, flore luteo, qui digitis attritus sanguineum succum reddit: qua de causa, & Androsęmon vocata est: folliculos fert sub hirsutos, & in rotunditate oblongos, Hordei magnitudine semine intus nigro, odoris resinosi; vnde & Chamæpitys appellata est: nascitur locis cultis, & asperis. Hæc eadem descriptio legitur iterum inter Rutas sylueſtres; quoniam putata est species esse ipsius; & flos vno loco luteus scribitur; in alio similis Leucoio; vtrumque autem conuenit. Plinius scribit: oleraceum esse fruticem, tenuem, cubitalem, rubentem: folio Rutæ, odore acri: semine in siliqua nigro: maturescere cum Hordeo. At rectius Dioscorides Hordeo comparat in figura, non in tempore. pręter facultates ab antiquis traditas, recentiores laudant ad vulnera pręsertim neruorum, infundentes oleum ex eius floribus paratum, quod

valde

valde rubicundum redditur sola florum infusione: efficacius si etiam fructus resinacei infundantur; exprimitur ex iisdem oleum, quod Balsami vires æmulatur; Mulieres infantium vmbilicos inungunt ad dolores, vnde & Vmbilicaris à quibusdam appellatur.

CAP. XLII.

ASCYRON in humectis nascitur fere cubitalis: caule quadrato: in cæteris simile Hyperico: foliis paulo latioribus. Dioscorides inquit, Ascyron quod & Ascyroides vocatur, speciem Hyperici esse, magnitudine distantem maioribus ramis, magisque surculosis, & subrubentibus: flores fert luteos: fructum similem Hyperico, olentem resinam, cuius attritu fere digiti cruentantur; qua de causa & Androsęmon vocauere. Plinius tamquam plantas diuersas Ascyron, & Ascyroidem tradit; similia inter se & Hyperico; sed Ascyron maiores habet ramos: Qui Ascyroides vocatur, ferulaceos omnino, rubentes: capitulis paruis, luteis; semen in cauliculis pusillum, nigrum, resinosum, comæ tritæ velut cruentatæ; qua de causa quidam hanc, Androsęmum vocauere. Fuerit autem Ascyroides, quæ in syluis nascitur, locis asperis: caule rotundo, simplici, ac recto, cubitali; paucis, aut nullis in cacumine ramis: foliis Ascyro latioribus, quæ attrita succum pręcæteris valde sanguineum reddunt: flores & fructus Hyperici: reperitur, & quædam in montibus, ramosa, foliis hirsutis.

CAP. XLIII.

ANDROSAEMVM à recentioribus Chirurgis Matrisylua appellatur, ab eadem radice surculis fruticans lignosis, cubitalibus, & altioribus, qui in cacumine finduntur in duos ramulos ad latera tendentes, veluti brachia folia insunt coniugatim, similia Periclymeno, rotundiora, quædam tenella sunt, digitis expressa succum reddunt rubentem, ad vini potius diluti similitudinem, quam sanguinis: flores in summis ramulis fert in vmbella luteos: capitula rotunda, crassiora Hyperico, læuia, & rubentia, quę siccata nigrescunt, seminibus intus minutissimis, ac nigris, odore resinaceo: nascitur in syluis properiuulos aquarum. Dioscorides Androsęmum inquit, ab Hyperico & Ascyro differt: frutex existens surculosus, tenuis, virgis rubentibus, foliis triplo, aut quadruplo latioribus Ruta, quæ trita succum vinosum reddunt, ramos complures fert in cacuminibus expansos, quorum per orbem flosculi visuntur exigui, colore luteo: semen in calyculis nigri Papaueris, veluti fuco oblito: huius comæ tritæ, resinosum odorem

reddunt: hæc pulcherrime quadrant nostræ Matrisyluæ, cuius folia, etsi Periclymeno proxima sunt, non tamen figura abhorrent à Rutæ folio, sed magnitudine valde distant. Quod autem de fructu scribitur, veluti de industria depicto, capitulis conuenit, quos calyces vocat; nitent enim rubore quodam, veluti fuco asperso. Plinius Androsęmum describit, non absimile Hyperico, cauliculis maioribus, densioribusque, & magis rubentibus: folia alba, Rutæ figura: semen Papaueris nigri; comæ tritæ, sanguineo succo manant, odor ei resinosus: gignitur in vineis, albedo autem foliorum in parte aduersa spectatur, vt in Periclymeno. huic Galenus præter cæteras facultates, vim tribuit glutinandi magna vulnera folio in vino cocto; modice enim deterget, & siccat. Hinc, recentiores vnguentum de Matrisylua componunt ad vulnera capitis infundendum super membranam denudatam folia in vino decoquentes. At error eorum corrigendus est, qui Periclymeno pro Matrisylua vtuntur, decepti ob foliorum affinitatem, ipsum Periclymenum Matrisyluam vocantes. At vera Matrisylua Caprifolium alias appellatur à recentioribus, è cuius fructibus succum eliciunt, quo vice Lycij vtuntur: forte apud Theophrastum fuerit Centeria, quam recenset inter plantas succo sanguineo constantes.

CAP. XLIIII.

CORIS in montibus nascitur, palmi altitudine: multis ab eadem radice cauliculis, fruticosa: foliis angustissimis, quasi Scopæ: flores & fructus Hyperici. Dioscorides fruticem inquit esse palmi altitudine, sapore grato, acri, odorato: folio Ericæ, sed minore, pinguioreque, ac rubente. Plinius inquit. Aliud Hypericon, quod alij Corin appellant, folio Tamaricis, & sub ea nascitur, sed pinguioribus foliis, & minoribus, ac rubentibus, odoratum, palmo altius, læuiter suaue, aculeatum, sed Plinius quod sapori pungenti conuenit, aculeis tribuit.

CAP. XLV.

SIMILLIMVS Cori frutex nascitur in asperis marittimis, lignosus, frequentioribus cauliculis, dodrantalibus, in terram sparsis: flores ordine prodeunt ab vno latere lutei; & fructus Hyperico tenuiores, paucis intus seminibus: tota gustu acerbo constat: non conuenit cum Hypericis; quoniam caret succo sanguineo; neque resinosus fructus.

CAP. XLVI.

CHIRONIA, quam quidam inter Panaces numerant; multos, ac tenues cauliculos fert, in terra iacentes, lignosos, dodrantales: foliolis Serpilli, subasperis, coniugatim dispositis, adiunctis binis quibusdam appendicibus, tenuibus veluti alis: Flores ab vno latere ordine prodeunt lutei; & fructus Hyperico crassiores, rotundi, paucis intus seminibus Cisto similibus: oritur in incultis: tota sapore astringente: vtuntur ad vulnera glutinanda. Quidam hanc pro Panace Chironio ostendunt apud Dioscoridem: folio Amaraci: flore aureo: radice gracili, nec profunda, gustu acri, sed quia deest acredo, in alio genere Panacem Chironium inuestigandũ censeo, vt cætera Panacis genera: Interim tamen hanc Chironiam appellare libuit, ob vulgarem opinionem: Aliud genus in sabulosis nascitur: simplici cauliculo: erecto: foliis maiusculis, neruis in longitudinem discurrentibus, specie Plantaginis, hirsutis: flosculos: & fructus fert prædictæ similes, gustu simili. eadem in collibus Vrbeuetanis nascitur: flore candido, maiori; specie Ladani.

Finis Libri Noni.

AN-

ANDREAE CAESALPINI ARETINI

DE SVFFRVTICIBVS ET HERBIS. LIBER DECIMVS.

CAP. PRIMVM.

BVLBACHA dicuntur, quibus duplex genus radicis tributum est, vnum veluti caput carne & humore constans veluti fructus; idcirco vere radix non est, vt Theophrastus est author. Alterum fibrosum, inferius terræ infixum, vt Cepa. Allium, Porrum, Bulbus. Folia omnibus sine pediculo in longitudinem producta insunt ab radice tantum. caulis nudus simplex, & rectus. semina in vasculis tripartitis farcta, angulosa, cartilaginea, nequaquam biualuia, vt in cęteris plerisque. Flos aliis inferius sedet, aliis summo fructui hęret. sapor omnibus acris, & feruens, nõ sine quadam dulcedine, cum multa humiditate glutinosa. Capitum differentia, nam aliud ex pluribus corticibus in orbem se amplexantibus coagmentatur vt Ceparum, aliud ex nucleis quibusdam cõstat, quæ soboles est vt Allij, aliud solido constat corpore, vt Croci.

CAP. II.

CEPA caput est, ex corticibus crassis ac fragilibus coagmentatum; colore rubro, aut candido; figura aliis sessilij, aliis oblonga: omnes in cibo expetuntur, tum crudæ tum coctę: laudantur teneriores, dulcioresque, crassis corticibus: semine tantum proueniunt; annoque primo in caput excrescunt: folia ferentes concaua, tamquam fistulas, quæ æstate exarescunt; autumno & sequenti hyeme iterum regerminant, plures stolones ex medijs corticibus ferentes, idque etiam per æstatem erutæ, & domi appensæ: eruunt autem, ne in terra putrescant. Hæ igitur iterum defixæ in terram caules ferunt ex medio foliorum cubitales, & concauos, ventre quodam medio: in cacumine autem veluti pilam floribus constantem candicantibus, & vasculis paruis; in quibus nigerrima continentur semina: quibus perfectis tota planta exarescit:

rescit: sic semina Ceparum gratia seruntur; Cepæ autem seminis tantum, vt Plinius testatur. stolones autem antequam caulescant primo vere, dum tenelli sunt, eruuntur in cibis, quas Cepas Porrarias vocant; nam candida ceruice constant, vt Porrum. Antiqui plura genera cognouerunt, omniaque satiua; nam Theophrastus multa regione cognominata tradit; alia ob culturam; alia ob propriam naturam differentia; Quandã igitur Setaniam vocant, quasi Panis Setanij modo dulcem, paruam tamen: aliam Schistam; quia cultura in partes finditur, dum externa folia vere detrahuntur, ne in caulem crescat, sed in caput: quod quidam omnibus contingere arbitrantur, si detractis foliis prohibeantur sementescere. Est enim Cepæ natura, vt deposita in terram multos stolones ferat, quorum uis si prohibeatur, ne sursum vergat, sed inferius, caput totidem diuisuris crescit, quot stolones fuerint. Tertiam Ascoloniã, cuius peculiaris natura est; sola enim inter fissiles radice constat veluti in fæcunda; quæ neque augeatur, neque proficiat; idcirco non radice seritur, sed semine. Serunt autem tarde prope Ver, deinde cum germinauerint, transferunt: perficiuntur autem citius quam cæteræ, vt simul cum cæteris, aut etiam prius euellantur: quod si diutius relinquantur in terra, putrescunt: plantarę caulem edunt, & semen tantummodo gignunt, deinde exinaniuntur, & inarescunt. Quamuis autem hodie Bulbosum quoddam genus, vulgò Ascalonium vocetur, non tamen prædictum Ceparum genus est; seritur enim hoc radice tantum non semine, vt suo loco ostendetur. In Creta peculiaris Ceparum natura Ascaloniis proxima, ni forte vel eadem dici debeat: nam genus hoc semine satum in radice crassatur; depositum vero in caulem, semenque fundit sine capite, saporeque dulce est, è conuerso quam in cæteris; cæteræ enim omnes depositæ melius celeriusque perficiuntur. Significare autem videtur, Cretica Cepam satã tantum, non transpositam, vt in cęteris fit, crassari in caput: nam alioqui, quod cõmune omnibus est, proprium dixisset: semine enim omnes seruntur, transpositæ tamen pleræque meliores, & crassiores proueniunt, excepta Cretica: hæc enim transposita caulescit anno primo: cæteræ anno secundo capitibus depositis caulescunt. Omnes post Arturum proueniunt, tepido adhuc sole, vt depositas imbres occupent: proueniunt autem tum integris tum concisis capitibus, sed non simili germinatione: nam ex inferiori parte gignitur Cepa, ex superiori herba tantum: si secundum rectitudinem omnino scindantur, germinare nequeunt. De Cepa in vniuersum hæc passim scribit: duplicem habet radicem; vnam carnosam, corticosamque; alteram, quæ ex illa prodeunt: folia statim ab radice, concaua, caulem vnum læuem: seritur radice; nam si non euellatur, multiplicatur: capitari aliquando in fistula traduntur. Plinius eamdem ferme habet hystoriam, addit autem Amitorninam

terninam Cepam solam capite seri, Allij modo, cum reliquæ semine serantur: sed hanc nos inter Bulbos rectius ponendam censemus. Schistam autem, & Ascaloniam condi: Dioscorides Cepam aliam tradit longam, aliam rotundam, item ruffas acriores, quam candidas; & siccas quã virides; & crudas quam coctas.

CAP. III.

DVo apud nos seruntur Cepis affinia, quæ radice tantum seruntur, non semine, instar Allij: vocant vulgò, has quidem Maligias; illas vero Ascalonias: vtręque paruę: corticibus constat vt Cepæ; sed pluribus veluti nucleis, in unum coheuntibus, numerosa sobole circum agnascente: caulem raro edunt, & semina; cum tota ferme earum vis in sobolem tendat: folia fistulosa, sed angustiora quam Cepæ; differunt inter se; nam Maligiæ oblonga figura constant, vere tantum, dum in fronde sunt, cibis vtiles; nam æstate cum acrimonia amaritudinem contrahunt & succum quemdam lacteum: idcirco seruantur tantum pro semine, non pro cibo. Ascalonię vero obrotundę sunt: angustissimis foliis, quamdiu in fronde sunt, inutiles ob exilitatem, sed æstate capitibus perfectis, cum folia arescere incipiunt, eruuntur pro cibis, & pro semine: esitantur ex oleo & Acero grata acrimonia, appetentiam excitante, & Venerem: Præstantissimę oriuntur in agro Pistoriensi, nucis fere magnitudine, dulcissimæ. Puto hos Bulbos exculentos fuisse apud Antiquos, de quibus Theophrastus inquit sparsim: radix vescenda, multis tunicis constat, aliis, atque aliis obducta, vt Cepæ: duplex autem genus radicum; vna carnosa, corticosaque; altera, quę ex illa prodeunt; vt dubitetur, an radix sit, quod in caput excrescit; nam solum videtur radix esse, quæ de capite per medium pendent, reliquum cima & fructus: alioqui enim radix Bulbi caule carebit. Seritur radice; nam radix diuturna, cum tamen sit annicaulis, & à latere germinat; vnde plures redduntur: caulis sine foliis Bulbosis omnibus: folia sine pediculo, statim ab radice valde angusta: ex seminibus non simul exit anno primo, sed partim anno secundo. Bulborum plura Genera, quæ differunt magnitudine, colore, figura, sapore, quippe cum adeo dulces quibusdam in locis exeant, vt crudi mandi facillime possint. Et genus quoddam in littoribus nascens, lanam sub primis tunicis habens medio loco inter internum, quod manditur, & externas tunicas: fiunt ex ea funiculi pro calceis & alia vestimenta, qua de causa Lanatum id dici possit, non capillare, vt Indicum. Vidi hoc genus Bulbi lanatum, ex Orientalibus allatum, specie in totum simili nostris Bulbis sylvestribus, quas Cepas Caninas vocamus; colore rubicundo; lanam continebat candidã, intra primum

cor-

corticem. Plura autem Bulbosa recenset Theophrastus, nec pauciora Bulbis, scilicet Leucoion. (Plinius Acrocorion legit) Bulbinam, Oppitionem, Cyicem, & Sisyrinchium, de quibus paulo mox dicemus. Plinius ad Bulborum genera Scyllas reducit & Aron: sed agens, de quibus nunc dicimus, inquit ex Theophrasto, reliqua Bulborum genera differunt colore, magnitudine, suauitate, quippe cum quidam cruda mandantur, vt in Chersonesso, Thaurica: post horum in Aphrica nati laudantur, mox Apuli. Cato celebrat Megaricos: plurimum inest seminis omnibus, celerius tamen proueniunt satæ Bulbis circa latera natis. Sed quæ subiungit Aro conueniunt, desumpta ex Theophrasto, cum inquit, & vt crescant, folia, quæ sunt in his, ampla, deflexa, circa obruuntur. ita succum omnem in se trahunt capita. Quæ autem paulo post tradit, Bulbis conueniunt. Effodiuntur Bulbi ante Ver; at deteriores illico fiunt, si finduntur: signum maturitatis, folia inarescentia ab imo, vetustiores improbant: item paruos & longos: contra rubicundis, rotundioribusque laus, & grandissimis; amaritudo plerisque in vertice est, media eorum dulcia. Idem Plinius inter Cepas Bulbum nostrum videtur intellexisse, cum inquit: seritur Amiternina frigidis & humidis locis, & sola Allij modo capite. Dioscorides Bulbos exculentos omnes acrimoniam habere testatur, quosdam vero etiam amaritudinem, & Scyllæ saporem. præfert ex Aphrica aduectos, ruffos, stomacho & aluo vtiles. Galenus de eisdem Bulbis inquit mandi ipsorum radicem, sine foliis, vere autem interdum & ipsorum Asparagum: amaritudinem & austeritatem habere, quæ elixatione debeatur: paucam tollerare elixationem: assari quoque: mundi & crudos, ad cibi appetentiam excidandã, placere ex aceto, oleo, & Garo: ex eorum vsu semen augeri & ad Venerem alacriores reddi. Quæ omnia liquidò partim in nostris Ascaloniis agnoscimus, partim in Maligiarum capitibus: inest enim in iis Scyllina quædam amaritudo.

CAP. IIII.

BVLBVS syluestris, quidam Hyacinthum syluestrem vocant: in campis sponte nascitur: tenuius domestico: foliis exilioribus ferme ad Crocum accedentibus, fistulosis: cauliculo palmum alto, in quo ineunte vere flosculi sunt cærulei, concaui, ac deorsum inclinati. Bulbi subrubentes, amari, magnitudine Auellanæ. Theophrastus Bulbi florem inter coronarios recenset; quidam enim inquit Bulbi quoque florem coronis inserunt: floret inter vernos: ex quibus hoc genus Bulbi significatur. Plinius syluestrium inquit Bulborum florem, quem Anemonem vocant, inter coronarios esse.

CAP. V.

INTER Bulbos sylueſtres duo oriũtur apud nos;quas Cepas caninas vocant,aut Anguinas; quia folia humi ſerpunt, intorta,anguis modo,prælonga,non fiſtuloſa,ſed ſinuoſa,veluti lorum: caule dodrantali,erecto,in cuius cacumine, ſtamina quædam inſunt, coloris cærulei elegantiſſimi, in purpuram vergentis: vaſcula autem ſeminis, à lateribus pendent ſine flore: frequens naſcitur hoc genus locis cultis,in aruis, & vineis. Alterum in cæteris prædicto ſimile, ſed floſculis candicantibus,oritur in pratis paluſtribus. vtraque florent ęſtate diutius,Bulbo rubicundo, grandiuſculo,& oblongo: forte apud Theophraſtum,Pothos fuerit (Theodorus Deſiderium vertit) inter æſtiuos flores. cuius genera duo; vnum, cui flos Iacyntho ſimilis: alterum de color, album, quo in ſepulchris vti mos eſt,quod & diuturnius eſt. Eadem Plinius de Potho habet: poteſt apud Plinium intelligi, Bulbina; de qua inquit, Bulbinam à Græcis vocari herbam Porraceis foliis; rubicundo Bulbo. Aliter tamen Theophraſtus Bulbinam accipit, vt inferius patebit: ſunt &, qui Bulbum vomitorium apud Dioſcoridem hunc putent, cum tamen cortice nigro apud eumdem tradatur, non rubro.

CAP. VI.

QVAEDAM peregrina apud nos nomine barbaro Dulipan vocatur; alij Hyacinthum album vocant: caule cubitali, craſſo: coma in cacumine,veluti vmbella: floribus candidis,latifoliis: vaſculis nigris: Bulbum fert grandiorem,quam prædicta genera, cortice nigro: folia quoque maiora, ſed ſimili modo prælonga, & ſtrata. hanc putauerim Bulbum vomitorium eſſe; deſcribit enim hunc in modum Dioſcorides: folia habet Bulbo eſculento longiora,& magis in Lori modum formata: radicem ſimilem Bulbo,cortice nigro. Plinius folia tribuit nigra, cæteris longiora.

CAP. VII.

HYACINTHVS radice ſeritur, floris tãtum gratia; placet enim non tantum color cęruleus, læuiter in purpuram vergens, ſed multo magis odor: Bulbos fert Cepę Caninę ſimiles; & folia ſimiliter excauata, ſubrecta, non ſtrata in terram: caulem palmarem, in quo tres, aut quatuor inſunt flores, à latere diſpoſiti, oblongi, concaui, ac diſſecti: incipit florere menſe Februario: Alterum genus in ſyluis

naſcitur,

nascitur, exiguum, non vltra quatuor digitos à terra se extollens: floscu-lis breuioribus, magis dissectis, colore viuaciori, sed odore infirmo. Dioscorides folia tribuit Bulbi: caulem dodrantalem, læuem, minimo digito tenuiorem, herbacei coloris, cui insidet coma incurua, floribus purpureis plena: radicem quoque Bulbo similem. Theophrastus Hyacinthum numerat inter flores coronarios, & montanos, florentes cum Viola nigra: esse vrbanam & syluestrem: vtriusque florem plurimum perdurare. Plinius eadem ferme confirmat: addit autem Hyacinthum comitari duplicem fabulam, præferentem luctum eius, quem dilexerat Apollo, aut ex Aiacis cruore æditum, ita discurrentibus venis, vt græcarum literarum figura. AI. legatur inscripta: quæ nota non in bulboso Hyacintho est, sed in altero flore eiusdem coloris, quem Capuccium vocamus; de quo alibi dicitur.

CAP. VIII.

SCYLLA grandissima quædam Cepa est, figura tamen Bulbi: oritur in scopulis Apuliæ plurima, acerrimi, & amari saporis: ideo Medicis tantum in vsu: hyeme germinat etiam si appensa domi fuerit, vt Cepa: foliis multiplici ordine inuicem conuolutis, latioribus, Porro breuioribus, ac virentibus, quę amittit in æstate, bulbis circa latera ortis: Autumno caulem nudum fert tricubitalem, vndique plenũ floribus candidis, foliatis; sub quibus parua continentur vascula; paucis intus seminibus, oblongis, ac nigerrimis: Bulbi color ruffus: reperitur & nigra in montosis procul à mari. Theophrastus de Scylla hæc habet; Planta cum terrestris sit, in mari tamen viuit: radicem multis tunicis habet corticosam, duplicem, vt in cæteris capitatis: alteram quidem carnosam, corticosamque: alteram, quæ ex illa prodeunt, vt ambiguum sit, an radix sit, quod in caput excrescit: Ipsa diuturna, cum tamen sit annicaulis, ideo radice seritur inter syluestria; à latere enim germinat; vnde plures redduntur: folia sine pediculo statim ab radice lata: caulis prius exit quam folia è latere radicis, tum flos emergens, insidet terno prouentu, qui terna arandi tempora significet; floret enim particulatim incipiens ab imo: cum senuerit caulis, tunc foliorum exortus, multis postea diebus inceptat: germinat ante Narcissum: suspensa diutius viuit, arcet veneficia sata ante portas: omne Scyllę appositum facilius germinat, celeriusque augescit, præcipue Ficus; nam & minus à vermibus infestatur. Plinius inter Bulbos nobilissimam esse Scyllam inquit, quamquam medicamini natam, acetoque exacuendo: nec vili amplitudo maior, sicut nec vis asperior: duo genera medica: masculus, albis foliis: fœmina: nigris: & tertium genus est cibis gratum, Epime-

nidium vocatum. seminis plurimum omnibus, celerius tamen proueniunt satæ, Bulbis circa latera natis. de Epimenidio paulo mox patebit. Apud Dioscoridem miras Scyllæ facultates legere licet, quamuis eam non describat; addit autem alterum genus, quod Pancratium vocat: radix inquit est Bulbo magno similis, subruffa, aut subpurpurea, gustu amaro & feruente: foliis Lilij, longioribus, eiusdem facultatis cũ Scylla. Plinius de Pancratio inquit: aliqui Scyllam pusillam appellare malunt: foliis albi Lilij, longioribus, crassioribus: radice Bulbi magni, colore ruffo: An hęc fuerit quæ Moly Homericum vocatur?

CAP. IX.

MOLY Homericum vocant Bulbum in montibus ortum, qui longe minor est Scylla; sed foliis maioribus, subrectis, tribus, aut quatuor, ab imo se amplectentibus; quibus summis aliquando tuberculus inest, veluti paruus bulbus, quo tamquam sobole nascitur: quod in nulla alia planta, adhuc est animaduersum, vt sobolem in foliis ferat: caulem ex medio foliorum profert ineunte vere, cubitalem, & ampliorem, in cuius cacumine, coma rotunda insidet, tamquam vmbella: floribus candidis, aut subrubentibus, & vascula nigris seminibus, vt Scillæ. Dioscorides de Moly, inquit: folia fert Graminis, latiora, humi sparsa: flores Leucoio similes, lactei coloris, minores, ad Violam purpuream accedentes: caulem candidum cubitorum quatuor, in cacumine inest, quippiam Allij specie; radix autem parua, bulbosa. quæ profecto descriptio patum quadrat prædictæ plantę. Theophrastus de Moly inquit: apud Phaneum exit, & affirmant apud Cyllenam esse, quemadmodum Homerus dixit, radice rotunda, non absimili Cepę: folio Scyllæ: vsus eius contra veneficia summa: non tamen effodi difficulter, vt ait Homerus. Plinius laudatissima inquit herbarum est Homero teste, quam vocari à Diis putant Moly; at inuentionem eius Mercurio assignant, contraq; veneficia summa demonstrant: nasci eam hodie circa Pheneum & in Cyllene Arcadiæ tradunt; specie illa Homerica: radice rotunda, nigraque, magnitudine Cepę: folio Scyllæ: effodi eam difficulter; Græci authores florem eius luteum pinxere, cum Homerus candidum scripserit. Inueni è peritis herbarum Medicis, qui & in Italia nasci eam dicerent, afferrique Campania mihi aliquot diebus effossam inter difficultates saxeas: radicis triginta pedes longæ, ac ne sic quidem solidæ, sed abruptę. Hæc Plinius. An Homerus ipsam Scyllam nigram intellexit, difficulter fodi; quia inter saxa oritur? nam & Scylla, cõtra veneficia laudatur. sed Dioscorides, folia Graminis tribuẽs & strata, aliã intellexit. Ideo hãc Pancration potius esse reor inter Scyllas.

ORGNI-

CAP. X.

ORGNITHOGALON, vulgò autem lac gallinæ, flos quidam est lacteus, vere in aruis emicans: caule palmum alto: ramulis quatuor, aut quinque; quibus summis flores singuli insident figura stellæ, candidissimi, qui recedente sole clauduntur, & viridem tantum colorem ostendunt: fructus striati: folia ab radice tantum tenuia, vt Croci strata: bulbus candidus, tenaci succo constans, sapore dulci. alterum genus, foliis constat Graminis, similiter humi stratis. Dioscorides inquit cauliculus est tener, candicans, tenuis, duorum palmorum: ramulis in summo tribus, aut quatuor; à quibus flores prodeunt, foris herbacei, &, cum hiantes se pandunt lactei, in quorum medio capitula sunt Cachryos modo præfecta, quę in panes recipiuntur, vt Melanthium: radix bulbosa, cruda, & cocta manditur; Apud Plinium Orgnithogale vocatur: semipedali caule, & reliquis notis à Dioscoride traditis. Theophrastus Bulbinam vocat, inter bulbosa quidem; quia radix rotunda, sed candida, nequaquam squamosa: & Atheneus, quæ inquit Bulbinę dicuntur, meliorem habent succum quam Bulbi, non tamen ita stomacho conferunt; quia dulcedinem habent cum crassitie: pro asperitate tamen faciles sunt ad excernendum. Sed Plinius Bulbinam Porraceis foliis tradidit; rubicundo Bulbo, quæ nothæ nostræ Cepæ Caninæ conueniunt.

CAP. XI.

BVLBVS quidam est Orgnithogalo similis; sed in asperis & petrosis nascens: foliis latioribus, longioribus, similiter stratis: caule simplici, cubitali, altiorique, vndique floribus ornato, vt Scyllæ; sed flores Orgnithogali & fructus. reperitur & flore luteo: in montibus: vnum quidem eiusdem altitudinis cum prędicto, alterum vero breue, dodrantem non excedens: omnibus folia Graminis, aut Cepæ Caninę, sed angustiora. huic videtur conuenire Moly descriptio apud Dioscoridem; folia enim tribuit Graminis, latiora, humi sparsa: flores Leucoio similes, lactei coloris, minores, ad Violam purpuream accedentes: sed caulem cubitorum quatuor adhuc non vidimus, in cuius cacumine inest quippiam Allij specie: radix autem parua bulbosa: has quoque Plinius indicasse videtur, cum inquit: Græci Authores, florem eius luteum pinxere: quoddam enim genus, luteos flores fert, quoddam candidos, non tamen id Moly Homericum dici possit, vt superius patuit. Theophrastus forte Epimenidium hanc vocauit inter Scyllas;

inquit

inquit enim : radix vescenda, non omnis Scillæ, sed Epimenidiæ vocatę, quę ab vsu nuncupata est : hæc angustiori folio, & læuiori constat quam reliquę. Plinius inquit : tertium genus Scyllæ cibis gratum, Epimenidium vocatur angustius folio & minus aspero.

CAP. XII.

PORRVM semine tantum seritur in hortis, vtile cibis futurum, anno secundo; nam anno primo à satu exile est, & acre; eius natura est crescere in ceruicem longam, & crassam, magis quam in caput : adiuuant & cultura, densius serentes; transferunt autem anno sequente, circum obruentes altius fimum, vt candorem, teneritatem simul, & dulcedinem acquirant vsque ad folia : constat tunicis multiplicibus, longe tenuioribus quam Cepæ : foliis subalbidis, prælongis, latitudine duorum digitorum, canaliculatis, non tamen fistulosis, se inuicem amplectentibus, duplici ordine : caulis ex medio foliorum exit, secunda æstate, cubitalis, in cuius cacumine, comam gerit rotundam capitis modo floribus candidis; & vasculis paruis; seminibus nigris, Græci Prason vocant, de quo Theophrastus sparsim inquit : exit à satu die decimo nono, nonnumquam vigesimo : seminis ætas recentior maturius prouenit : melius autem & lætius prouenit aceruatim satum, & in Laciniis colligatum : assurgit vno caule, & læui, bimatu fructificat : est seminis fæcundissimum, subtus suo latere promit bulbaceum quoddam, ex quo foliorum ortus caule arefacto, & semine sublato; sed quia capita non in vsum veniunt; ideo non leguntur siccanda, nec hoc modo seruntur. Plinius tamquam in duo genera distinguit : sectiuum, & capitatum appellans, cum tamen ratione quadã culturę differant; vt enim sectiua nascantur, densius seri oportere, quod genus summopere Neroni placuisse testantur, vt crescãt in caput, & rarius serenda, & cum transferuntur, sũmis foliis leuiter recisis, capita retrahenda, ac extremæ tunicæ, aut læuiter sarculo conuellendæ radices, vt delumbatæ alant. Antiqui silice, aut tegula subiecta, capita dilatabant : sectiuum autem videtur appellasse, quasi scissile; quia adeo hærent inuicem, vt vnum ex multis constitutum videatur : hoc genus non transferunt, sed in eadem area relinquunt, donec deficiat, semper stercorantes : læto enim solo & fimo gaudet, cum tamen rigua oderit : seritur semine ab Aequinoctio Autumni: Dioscorides capitatum Porrum vocat, seiungens ab altero, quod tamquam sylueſtre ponitur, scilicet Ampeloprasso. Athenęus capitatum inquit, quod Porrum etiam vocatur, meliorem habet succum, quam Cartum : mediocriter extenuat, & nutrit, & est ventosum. idem testatur se vidisse magnum Porrũ capitatũ, nõ minus Rapa, vel Rhaphano rotũdo.

AM-

CAP. XIII.

AMPELOPRASVM sponte prouenit locis calidis, & collibus amęnis; tenuius Porro: foliis angustioribus, virentioribus, & quasi triangulis: numerosa sobole: cauliculo dodrantali: floribus in cacumine tribus, aut quatuor, candidis, pendentibus, quodam Allij odore. Plinius in genere sectiui Porri hoc intellexisse videtur, cum inquit: sectiui duo genera: hoc herbaceum folio, incisuris eius euidentibus, quo vtuntur medicamentarij. est enim, vt alibi scribit, sub nomine Ampeloprasi, quod in vineis oritur, foliis Porri, ructu grauis, contra serpentium ictus efficax, & quę sequuntur. cum vero inquit alterum genus suauioris folij, rotundiorisque, incisuris lęuioribus, satiuum intelligit: quo enim rotundius est, eo minus sectionis vestigium apparet: quo angulosius, eo incisuræ sunt euidentiores. Quid si Portum vtrumque sectiuum Gethyum dicamus apud Theophrastum, cuius meminit inter Cepas: inquit enim: Gethyum vocatur quiddam sine capite, & quasi longa ceruice constans, ob id germinatio tota in fronde, sępiusque retondetur, vt Porrum: qua de causa semine seritur, non deponitur. De eodem hæc sparsim scribit. si totum, quod in terra conditur, radix sit, caule omnino carebit: multis tunicis constat: folia concaua: exit à satu decimo aut duodecimo die: seminis ætas recentior, maturius prouenit, bimatu fructificat, vnicaule: annuus est caulis, quamuis radix diuturna sit; nam suo latere promit, veluti quoddam bulbaceum caput, ex quo foliorum ortus, caule tamen arefacto, semineque sublato: sed quoniam eius capita, minus vsui sunt, idcirco siccanda minime leguntur, ac proinde numquam seruntur. Plinius de Gethyio pauca quædam ex Theophrasto transcribit. Galenus cum scribit libro duodecimo Metodi quoddam genus Ceparum Carton à græcis vocari, quo hesitato cum pane dissenterias quidam illico sanabant, licet multi acrimonia medicamenti conuulsi interiere: forte Gethyum intellexit. Athenęus de Carto. (in quo loco Hermolaus non Catton legit sed Caron) inquit magna est Pastinaca, quæque facile augeatur, meliorem habet succum quam Pastinaca, magis calefacit, vrinamque magis ciet, stomacho confert, facileque digeritur, vt Diphilus est author: statim autem de Porro capitato subiungit: capitatum inquit, quod Porrum etiam vocatur, meliorem habet succum, quam Cartum, vt idem ait Diphilus: & paulo post: Epenętus capitatos Porros Gethyllides ait vocari. sunt qui dicant hoc esse vocatum Gethyum, esse autem Gethya similia Ampeloprasis. Apud Aristophanem Gethyorum radices habere Allij naturam. cum igitur apud græcos capitati tantum Porri fiat mentio inter satiua, sectiui au-

tem

tem nequaquam, suspitionem affert non mediocrem, ne Gethyum intellexerint ipsum Porrum satiuum comprehendentes etiam aliquando, & syluestre, cui inest quædam Allij natura: satiuum autem à quibusdam Catton vocatum est, Pastinaca grandius, quod nostrum est vulgatissimum Porrum. Galenus de Ampeloprasso inquit veluti agreste Porrum est, domestico acrius, & siccius, mediam quamdam facultatem inter Allium & Porrum habens: sunt, qui ea toto anno seruant, aceto condita, quo modo fieri in cibis, præstantiora, & minus vitiosi succi participātia.

CAP. XIIII.

SCORODOPRASVM ab Allio & Porro nominatum, peregrinū apud nos est, in totum Porro satiuo simile, tum foliis, tum caule, floribusque, sed capite constat Allij, in quo nuclei pauci sunt crassi, figura fermè Castaneæ, colore cādido, sapore insuaui, minus acri quam Allium. Dioscorides inquit magnitudine Porrum æquat, qualitatum Porrij & Allij particeps. coctum dulcescit vt Porrum, quo vsu transit in olera. Galenus gustu & odore mediam qualitatem participare tradit inter Allium & Porrum, & vtriusque vires.

CAP. XV.

ALLIVM satiuum initio ceruice constat longa, vt nostrum Porrum, tenuiori tamen: foliis quoque paulo angustioribus: sed caule vt plurimum nullo: nulloque semine, ideo radice tantum seritur: aliquando tamen caulescere tradunt, ac semen ferre, quod satum transire in syluestre; Æstate aduentante crescit in caput ceruice extenuata: caput intra tenuissimas & candidas membranas nucleos habet oblongos, tunica subrubra obductos, odore valide, ac perseuerante: sapore feruente: nucleis seritur hyeme tamquam sobole, Aglitas Græci vocant, vnde vulgo Aglietti dicuntur nuper nati. assumuntur in cibis & cruda & cocta, tum recentia tum siccata. venenis aduersantur, præcipuæ viperę, & fungorum assumpta in vino. Græci Scorodon vocant. Affertur genus quoddam ex Aphrica capitibus ingentibus. Theophrastus seri Allium tradit ante solstitia, aut paulo post, nucleatim diuisum: Discrimen eorum, quod aliud præcox, aliud serotinum habetur: esse enim quoddam, quod sexaginta diebus perficitur: Differunt præterea magnitudine singulari, cuiusmodi est, Cyprium vocatum, quod non decoquunt, sed ad intinctus terunt mirum in modum eius spuma se attollente: quædam etiam sunt, quæ nucleis non constant. Dulcedo autem, odor, & crassitudo pro regionis diuersitate & cultu contingere videtur,

vt

vt in aliis plerisque: perfici etiam semine potest sed tarde: primo etenim anno caput accipit Porri; sequēte discerni incipit in nucleos; tertio redditur perfectū, nec quicquam deterius: sed quidā melius deposito existimant: eius radix tota curuatur, cū nucleus intumescere incipit, dein auctus iterū in nucleos discernitur, & ex vno plures fiunt, dū caput cōsumatur: super fistula quoq; capitari potest: lęui caule constat, vnicaulis; folia statim ab radice ferens. Plinius de Allio scribit, tenuissimis velatur mēbranis, quæ in vniuersum separantur: mox pluribus coagmentatur nucleis, & his separatim vestitis asperi saporis, & quo plures nuclei fuere, hoc est asperius. Tędium huic quoque halitu, vt Cepis, nullum tamen coctis. Generum differentia in tempore. nam præcox maturescit sexaginta diebus: tum in magnitudine: Vlpicum quoque in hoc genere Gręci appellauere Allium Cyprium, alij Antiscorodon (vel Aphroscorodon, vt Columella vocat) præcipue Aphricæ celebratum inter pulmentaria ruris, grandius Allio, tritum in oleo & aceto, mirum quantum increscat spuma: addit & culturæ rationem, & alia quædam ex Theophrasto. Dioscorides satiuum Allium quoddam in Aegypto singulari capite nasci tradit, vt Porrum, dulce, læuiter purpureum, atque paruum: Alibi grandius candidum, cuius nucleos, quibus coagmentatur, Aglithas Græci vocant, alij spicas vertunt.

CAP. XVI.

ALLIVM syluestre passim in aruis & vineis nascitur, capite paruo, singulari, solido, nullis nucleis, colore subrubente: caulem fert tenuem, prope cubitalem: paucis foliis, Tereti figura, in multam longitudinem productis: in cacumine caulis capitulum fert rotundum, ex nucleis paruis constantem; è quibus flosculi exeunt subrubentes sine semine: propagatur autem nucleis prædictis, tamquam sobole reperiuntur ij sæpe in Triticis, vt panes Allij odorem fastidientem retineant. Dioscorides Ophoscorodon vocat, quasi Allium anguinum. Plinius hoc genus Allij inquit Alum vocari in aruis sponte nascens: quod aduersum improbitatem alitum depascentium semina, coctum ne renasci possit abiicitur, statimque, quæ deuorauere aues, stupentes manu capiuntur, & si parum commorauere sopitæ.

CAP. XVII.

ALLIVM Vrsinum in syluis nascitur tenui capite, & solido: foliis latis, vt Lilij: cauliculo dodrantali, in cuius cacumine flores sunt candidi: semina autem nigra: tota planta Allium redolet. Alterum in eisdem locis nascens angustiore folio, veluti Graminis: vmbella in cacumine, candida, pulchra: scatet multo semine, ni-

gro, acerrimi odoris. Plinius de primo loquens, inquit: est & sylvestre, quod Vrsinum vocant, odore molli: capite prætenui, foliis grandibus.

CAP. XVIII.

DENS Caninus vulgo appellatur in sylvis capitulo veluti Allij, nucleo candido, specie dentis canini, vnde bina tantum folia ineunte vere exeunt, breuiora Lilio, latioraque, subrubra, ac maculosa: cauliculus ex medio foliorum exit, quatuor digitorum altitudine, in cuius cacumine vnicus flos, ex candido subrubens, Lilio sylvestri similis, paruus. Hunc puto Mithridation primum Crateuæ apud Plinium, cui folia duo ab radice Acantho similia: caulis inter vtraque sustinens roseum florem; Acanthi autem Vrbanæ folium elatum, longumque tradit, quod nequaquam ab hoc discrepat.

CAP. XIX.

HERMODACTYLVS vulgo appellatur solidus Bulbus, figura Castaneę, colore candido, succo lacteo, cortice ruffo: ruffescit quoque Bulbus, cum exsiccatur: floret in Autumno, ante foliorum exortum Croci modo; vnde quidam Crocum sylvestrem vocant: flos illi similis, candicans: folia hyeme erumpunt tria, aut quatuor, vt Scillæ, modo angustiora, modo etiam latiora, fere Ellebori albi modo: vere folliculus in medio foliorum inclusus apparet, digitalis crassitudinis, oblongus, aliquando vnicus, aliquando geminus: seminibus intus rotundis, duris, & subruffis: oritur in montibus latiore folio: in campestribus autem incultis & harenosis angustiore folio. Affertur quidam ex Orientalibus inter merces, quo Medici vtuntur ad purgationes: Bulbus est vegetior, plenior, ac durior, candidus, etiam si siccus sit. Dioscorides Ephemeron vocat venenis ascriptum, quod & Colchicum appellari tradit, & Bulbum Agrestem: florem ædit in fine Autumni, Croci similem, candicantem: ab eo tempore folia Bulbi, sed pinguiora: caulem palmo altum, ferentem ruffum semen: radicem foris è nigra ruffescentem, quæ delibrata, candida, & mollis spectatur, succo lacteo, sapore dulci: in bulbo media quędam rima est, qua flos erumpit: strangulat comesta fungorum more. Alterum præterea Ephemerum tradit, quam Irim sylvestrem cognominat. Theophrastum Ephemerum venenum esse inquit, vim diurnariam enecandi sortiens: radiculam esse, quę eadem die possit occidere: folium hanc habere Ellebori, notamque omnibus esse, seruorum in desperatione confugium. Mesues inter purgantia medicamenta Hermodactylum vocat radicem herbæ montanę: tradit

dit autem, vnum longum vt digitus: alium rotundum; ex quibus videtur significare vtrumq; genus Ephemeri: assumi autem ad purgationes rotundum: sed eius alium inquit album esse, alium ruffum, alium nigrum: eligi autem album, verę albedinis intus & extra, crassum, modice durum: nam laxus debilis est; ruffus autem, & niger mali sunt: ex quibus innuit id, quod ex Oriente ad nos affertur, crassum, & plenum, candidumque Hermodactylum esse, quo Medici vtuntur ad pituitam educendam ab articulis: nigrum autem & ruffum, quales apud nos nascuntur, improbari ob vim venenosam, vt in Colchico Dioscorides testatur. Serapio similiter distinguit album laudans, nigrum & ruffum lætales esse, ob id Paulus Aegineta seorsum ab Hermodactylo locutus est, & seorsum de vtroque Ephemero.

CAP. XX.

CROCVM vulgo Zafferanum dicitur: floret Autumno ante foliorum exortum: flos erumpit è terra digitali longitudine, in sex folia dehiscens, purpurascentia, mediis staminibus ternis, longis, & in extremo crassioribus, quibus color ex pallido ad rubedinem vergit, tingens colore croceo: odor aromaticus, & validus; vnde & condimentis expetuntur, ac medicamentis roborantibus: folia ab radice capillaria exeunt tota hyeme: vasculum Ciceris magnitudine, oblongum: bulbus solidus, cortice capillaceo: seritur radice staminum prædictorum gratia, quorum est vsus. Alterum genus sylvestre in incultis nascitur inter scopas, copiosissimum in agro Pisano: floret post Brumam vsque ad æquinoctium vernum: flores modo candicantes, modo purpurascentes: stamina exigua, & inutilia: bulbus minor. Theophrastus Crocum inquit natura herbaceum erumpit folio angusto, in capillamenti modum: sero floret, seroque germinat, quippe Virgiliarum occasu, paucis diebus, confestim florem edit ac folia, quinimo florem prius: radix multa, carnosa, in totum viuax: gaudet calcari, & melius ita euadit radice attrita pede inferius, ideo iuxta semitas, fontesque pulcherrimum exit: satus radice fieri assolet. Alibi inquit: florere incipit autumno statim primis imbribus, tam satiuum quam mõtanum: quod sine odore est inter hiberna erumpit post Aphacam: folium angustius Bulbosis, caulem tantum floris sortitur: est inter odorata, quibus ad vnguenta vtuntur. Plinius ex Theophrasto eamdem ferme descriptionem habet, de sylvestri inquit: optimum esse, ac serere in Italia minime expedire, areis decoquentibus ad scrupula vsque singula; seritur radicis bulbo: satiuum latius maiusque & nitidius, sed multo læuius degenerans, sed nec vbique fęcundum etiam Cyrenis, vbi semper flores laudatissimi: optimum vbicumque quod pinguissimum & breuibus capillis.

CAP. XXI.

LONCHITIS à Lanceę cuspide cognominata, quidam Narcissum luteum vocant: folia fert Narcissi; latiora, & candidiora, prope radicē subrubentia: caulē rotundū, aliquando bifidū, aut trifidum, altitudine duorum dodrantū: duobus aut tribus foliis, quę in caule sunt, contra quam in cæteris bulbaceis: in cacuminibus singulis, singuli flores insident lutei, magnitudine ferme Lilij, sed qui numquam dehiscant, reflexis tantum ternis foliorum labris postremis, ternis aliis coheuntibus, paruo relicto ostiolo: fructus postea insidet triquetrus, erectus, ex rotundo in mucronem fastigiatus, in quo semina continentur compressa, colore flauo: radix bulbosa, parua, rubicunda, oblonga, à cuius latere exit hyeme germen quoddam rubicundum, quod in longitudinem multam productum aliquādo infra tellurem, aliquando supra egressum iterum defigitur, & alium bulbū gignit, vnde folium vnicum exit; ac procedente tempore caulis assurgit anno secundo, & vere floret: quo propagandi modo, areas implet certis interstitiis distans, vt exercitus videatur hastis erectis armatus: oritur in Apennino apud Bargenses. Dioscorides sic describit; folia habet Porri, latiuscula, & modice rubentia, plurima, à radice ad terram inclinata, pauca autem in caule, in quo flores pileola comicarum personarum ridicula representant, lutei quidem coloris (quamquam Græci codices non Μέλινα, sed Μέλαινα, id est nigra legant) album autem quid exerentes ceu ligulam ex hiatu ad inferius labrum: semen Lanceæ simile triangulum, cum primum erumpit; vnde appellatio; radix Dauco similis: nascitur in asperis & sitientibus locis. solum autem suspitionem aliquam afferre possit radix: nam bulbus nullam similitudinem cum Dauco habet. si autem accipiantur longæ radicum propagines, quas diximus, forte nullum fuerit absurdum. Plinius de Lonchitide inquit, non, vt plerique existimauerunt, eadem est quę Xyphion aut Phasganion, quamquam cuspidi similis semine: habet enim folia Porri, rubentia ad radicem, & plura quam in caule: capitula personis Comicis similia, paruam exerentibus linguam: radicibus prælongis: nascitur in sitientibus.

CAP. XXII.

QVAE in genere bulbaceo florem in summo fructus gerunt; sunt Narcissi, & quædam bulbaceis affinia vt testiculorum genera, & Iridis. Narcissus numerosis bulbis cōstat, crassioribus quam nostræ Ascaloniæ: foliis Porri, exilioribus, ac magis planis: caule dodrantali,

drantali, aut ampliore, ferme triangulo: floribus in cacumine ad terram inclinatis, candidis, foliatis, acetabulo quodam medio luteo, odore suaui, sed qui caput replet: fructus triangulus ferme pollicaris, membrana quadam veluti vagina inclusus, in quo semina nigra: oritur in montibus & læto solo: eius summa genera duo: alterum fert vnicum florem in singulis cauliculis ampliorē, candidiorē, & magis odoratū, cuius acetabulum in rubrum circulū desinit, non nisi in montibus oritur: Alterum comoso constat flore, qui & pallidior est, odore magis graui: descendit in plana: vtrumque vere floret. sunt & hyberna grandioribus tum foliis, tum caulibus. florent circa brumam vsque ad Ver: flos aliis geminus in singulis caulibus; aliis copiosior: omnibus calyx intus luteus. quoddam est cuius flores multiplici complexu constāt Rosarum instar. extat & quoddam genus calyce prælongo anguloso que in Appeninis Liguriæ. Dioscoridis descriptio his pulchre quadrat: nam de Narcisso inquit: folia fert Porro similia, tenuia, multo minora, & angustiora: caulem concauum, sine foliis, vltra dodrantalem altitudinem: florem album, intus croceum, in quibusdam purpureum: radicem intus albam rotundam, bulbosam: semen veluti in tunicis nigrum, longum: pulcherrimus nascitur in montibus suaui odore: cæteri Porrum imitantur, & herbaceum quid pręseferunt. At Theophrastus varius. aliquando enim inter vernos flores numerat Narcissum, & Lirium, quos non describit, forte tamquam notos, prędictos intelligit distinctis nominibus, aliquando autumnales, alterum genus Lirij esse tradit, quem & Narcissum vocat, de quo paulo mox dicemus. Plinius partim à Dioscoride accipiens partim à Theophrasto confundit, tria genera tradens: vnum inter Lilia purpurea: alterum flore candido, calyce purpureo: Tertium cætera eadem: calyce herbaceo: foliis ab radice tantum, non in caule, vt Liliis. Duo vero genera à Medicis assumpta, scilicet duo postrema, quæ à Dioscoride tradita sunt: ex Theophrasto autem accepit de altero tantum Lyrio loquente, tamquam de omnibus intelligens: serotinos esse omnes Narcissos, & post autumnum florere.

CAP. XXIII.

NARCISSVS Marinus in harenosis marittimis nascitur: crasso bulbo: foliis candidioribus: crassiore caule: in quo flores terni, aut quaterni odorati, grandes, ferme Lilium æquantes, concaui, incisis labris, candidi: calyce quoque candido, multum prominente, præciso: floret sub cane, & aduentante autumno: fructus cæteris Narcissis similes, grandiores; Quidam Hemerocallem putant, quia id Lilium marinum à Dioscoride vocetur, siue Elium, vt Theodorus

dorus vocat in Theophrasto: aliam tamen ostendimus pro legittimo Hemerocalle.

CAP. XXIIII.

NARCISSVS Aquaticus in humectis nascitur: foliis; & caulibus longioribus: floribus ex tenui pediculo pendentibus Calathi figura, sectis, colore candido, sine medio acetabulo. Alter in montibus nascitur breuior, & candidior: floret in fine veris. Quidam Leucoion vocant, quasi Violam albam; quia apud Theoprastum inter Bulbos numerari videatur, radice orbiculata, candida, & sine squāmis. Plinius tamen cum ex Grecorum sententia Bulborum genera enumerat, Leucoij non meminit, nisi quis Acrocorion appellari ab eo velit: sed locus apud Theophrastum hoc modo intelligendus videtur: plura inquit ac pauciora bulbacea dici possunt, quemadmodum in Leucoio contingit scilicet Bulbinę & quę sequuntur.

CAP. XXV.

NARCISSVS Autumnalis in montibus nascitur: constat bulbo nigriore, ac satis crasso: mense Septembri florem è terra promit, breui cauliculo instar Croci, colore luteo, quo decidente fructus nullus apparet: paulo post folia erumpunt, humi strata, virentiora, & maiora quam cęteris Narcissi per totam hyemem: amittit autem ea aduentante vere. Theophrastus Lilium appellat, alterum genus, quam id quod inter vernos numerauit, eumdem & Narcissum vocari tradit, de quo inquit: folium Albuci terræ proximum gerit, longe latius, modo Lilij: habet caulem sine folio, herbaceum, florem suo ferentem cacumine, in membrana, veluti vasculo inclusum, large amplum, colore Melinum (non μέλαινα vt codices habent, id est nigrum) figura oblongum, qui decidens sponte germinat; idcirco qui colligunt, defigere eum solent: seritur & radice, quæ carnosa, rotunda, amplaque, est; serotimus admodum: post Arcturum enim & circa æquinoctium floret. alibi de eodem inquit: caulis prius exoritur, quam folia, qui floris tantum est: flos enim eius plurimum festinat; neque fructum conspicuum parit, sed ipse flos vna cum caule desinit, & cum defloresciť, tunc folia exeunt: germinat post Scyllam: folium large emittit: radix nequaquam parua est, quāquam non magna, figura non absimilis Bulbo, verum non squamata. Dioscorides à Theophrasto videtur sumpsisse, cum inquit: fructum veluti in membrana nigrum, figura oblongum, quod Theophrastus flori ascribit.

BVL-

CAP. XXVI.

BVLBACEIS ascribi desiderant Asphodeli, Lilia, Irides, Testiculorum genera, & quæ iis affinia sunt. discedunt autem; quia radicum duplex substantia in his minus conspicua est, & caules in plerisque foliati, ac minus simplices: omnibus autem folia in longitudinem protensa, sine pediculo sunt, vt bulbosis: flores vtplurimum senis foliis constant, & fructus triquetri: calida quoque natura omnium est, acris, & amara, cum crassa quadam humiditate. & in his quoque flos aliis ex sede fructus exoritur, vt Asphodelis, Liliis, Gladiolo: aliis in summo vt Iridi, Testiculis. Asphodelus folia ab radice fert Porri, longissima, non binis tantum ordinibus, sed pluribus in orbem dispositis: caulem nudum ex medio foliorum, bicubitalem, aliquando simplicem vt in Alpibus, aliquando ramosum, vt in Marittimis: flores numerosi, Thyrsos vestiunt, candidi, ex foliolis oblongis constantes: fructus magnitudine Fabę, rotundi, valde duri; in quibus semina angulosa, aspera, & nigricantia: radices multas ex vno capite pendentes, veluti coaceruatos Bulbos, oblongos colore intus croceo; contra enim in his fit quam in Bulbosis; in illis enim caput in amplitudinem excrescit, radiculis pendentibus, extenuatis; in Asphodelis autem capite extenuato pendentes radices crassescunt in quamdam rotunditatem, oblongam. Dioscorides describit foliis maioris Porri: caule lęui: flore in cacumine, quem Anthericon vocant: radicibus oblongis, rotundis, glandium effigie, acribus. Theophrastus sparsim hæc habet: plantam terrestrem in mari etiam viuere: caule proximo Ferulę: foliis statim ab radice: radicem carnosam, oblongam, & Glandi similem vescendam. Plinius inter clarissimas herbarum ab Hęsiodo & Homero decantatam; nam mandi semine tosto & bulbo: seri ante portas Villarum remedio contra veneficorum noxas: radix Napis modicis similis est, neque alia numerosior, octuaginta simul aceruatis sæpe bulbis: caulis cubitalis, & sæpe duum cubitorum: foliis Porri syluestris: Gręci caulem Anthericon vocauere; radicem verò idest bulbos Asphodelum: Nostri illud Albucum, & Asphodelum Hastulam regiam, quo nomine & caulem acinosum intelligunt. cuius duo genera faciunt, idest marem & fęminam vt Dionysius tradit. Albuco scapus est cubitalis & amplius, purus, lævis, quem præcipiunt exitu mensis Martij & principio Aprilis, cum floruerit, non dũ semine eius intumescente, demeti, findi, ac siccari ad cibos: nascitur in syluis. eorum igitur, qui nascuntur apud nos, montanus fæmina dici possit; quia simplicior; Marittimus autem Mas, quia ramosior. neuter tamen hodie in cibos venit,

PHA-

CAP. XXVII.

PHALANGIVM Asphodelus paruus dici possit; nam in totum Asphodelo simile: multo angustioribus foliis, breuioribusque: cauliculis ferme cubitalibus, modo simplicibus, modo ramosis: floribus latioribus, candidioribus, & magis patulis: radiculas fert exiles: nascitur in asperis. Dioscorides Phalangium laudat ad Phalangiorum & Scorpionum ictus; cui ramuli duo, vel tres, vel plures insunt, in diuersa tendentes: flores candidi Lilio similes cum incisuris: semen valde nigrum dimidiæ Lenticulę figura, multo tenuiore: radix parua, tenuis, herbacei coloris, dum è terra eruitur: prouenit in collibus. Plinius eadem ferme habet.

CAP. XXVIII.

ALTERVM genus in Sicilia oritur: foliis fistulosis, vt Cepæ, numerosis circa radicem: caulibus paulo altioribus, ramosisque: flore Asphodeli, exterius subrubente: radicibus pallidis. hæc toto ferme anno floret aliis subinde subnascentibus cauliculis. Si igitur Phalangij radices spectemus, huic magis conuenire quàm superiori videntur: color enim herbaceus, χλωρός gręcis dictus, sæpe pro pallido accipitur.

CAP. XXIX.

ASPHODELVS luteus appelletur planta apud nos peregrina; cuius radix in totum Asphodelo similis est; globus enim ingens est, veluti aceruatorum bulborum: caule autem Lilium præsefert; rectus enim est, simplex, cubitalis, ac foliatus: numerosis foliis, angustis, prælongis, tereti ferme figura, colore Porraceo: prope verticem, vbi desinunt folia, flores numerosi circundant, veluti parua Lilia, lutei coloris: fructus rotundus, Asphodelo crassior, in quò semina sunt proportione crassiora.

CAP. XXX.

LILIAGINES vulgò appellantur duæ Asphodelis affines: floribus crocei, figura, & magnitudine Lilij: quarum maior folia fert Asphodelo latiora, binis ordinibus, vt Porrum: caules cubitales, crassos, in cacumine ramosos: paucis foliis: flores amplos, colore quasi igneo, qui celeriter marcescunt. Altera minor in totum non

excedens

excedens dimidium cubitum: floribus aureis: radices vtrique tenues, multæ ex eodem capite, vt in Asphodelo. maior in vere tantum floret; minor diutius prorogatur, aliis cauliculis subnascentibus. Hemerocalles videtur esse apud Dioscoridem, præsertim quæ Maior appellata est: nam de Hemerocalli inquit: folium, & caulem habet Lilio similia, herbacea autem vt Porra: flores in eo per singulos exortus ternos, aut quaternos diuisura Lilij cum dehiscere cęperint, colore autem per quam pallido: radicem habet Bulbo ingenti similem. videtur autem accipere globum radicum ingentem Theophrastus inter suffrutices coronarios recenset. prouenit inquit semine; nam & ipsa & radix lignosi Theodorus Elium vertit. Hermolaus in Dioscoride inter cætera nomina non Elium legendum putat, sed Lilium Marinum. Plinius Hemerocalles inquit: pallidum è viridi, & molle folium habet: radicem odoratam: atque bulbosam, quæ descriptio detruncata videtur, ac deprauata, vt patet conferenti cum Dioscoride.

CAP. XXXI.

ALOE peregrina in Italia seritur fictilibus locis, apricis, præcipue subtecto; odit enim imbres: folia fert pulpa & tenaci humore constantia, valde crassa, ex latitudine in teretem figuram desinentia: aculeis breuibus, & obtusis circa latera: radix vnica, breuisque, tenues fibras spargens: Autumno caulem fert nudum, & simplicem, Scyllę similem: floribus concauis, & oblongis, deorsum inclinatis, colore luteo: vtuntur recentibus foliis contritis ad vulnera glutinanda, ad callos pedum sanandos: at succus amarus nequaquam extrahitur, qualis est Aloe ex India aduectus, colore Hepatis siccati. eius succi tria genera notantur: quoddam ad rubedinem magis vergens, cum teritur, puluisculum subcroceum reddit, Succotrinum vocant; quasi subcitrinum, quod optimum est; quia purissimum: Alterum Hepaticum nigrius, sincerum tamen: Tertium Caballinum liuidum, arenosumque, deterrimum, quamquam amarissimum. Dioscorides inquit Aloe Scyllæ similitudinem habet foliis pinguibus, crassis, in latitudinem modice se pandentibus, rotundis, & retrouersus conuersis: hæc & à lateribus ex obliquo maioribus interuallis striantur, & in spinulas desinunt retusas, & truncas: caulis eius non dissimilis Antherico est: flos albus: semen Asphodeli: tota graui odore, gustuque amarissima: radice vna, ceu palo in terram demissa: copiosissime in India nascitur; vnde succus quoque affertur: sed nascitur & in Arabia, Asiaque, & aliquibus maritimis locis & insulis, vt in Andro: non tamen idonea, quæ incidatur succi gratia: nec vtuntur ea nisi ad vulnera recentibus foliis: nam mirifice

conglutinat contrita & illita. succi duo genera inuehuntur: vnum Arenosi, quod sedimentum esse purissimi cognoscitur: Alterum Iocinoris modo coactum. optima pinguis, nitida, sine arenis, colore ruffo, friabilis, Hepati similis, facile se diluens, & liquescens amaritudine vehementi, improbanda nigra, & frangi pertinax. Adulteratur Gummi, quod & gustu intelligitur, amaritudine atque odoris intentione: & quoniam inter digitos detrita nõ soluitur in ramenta. quidam miscent Acaciam. Plinius eadem ferme habet: ex quibus patet nostrum non dissidere nisi florum colore.

CAP. XXXII.

ALTERVM genus nuper ex India Occidentali aduectum est, grandius, durius, spinis à latere robustissimis, aduncis: in summis autem foliis aculei recti sunt, veluti acus, colore purpureo: explicantur successiue folia è medio quodam veluti cornu abscedentia, vestigiis quibusdam relictis, ac si de industria picta essent, longitudine cubitali, substantia lignosa, ac fibrosa, vt si euellatur aculeus, qui in summo est, filamenta quædam robusta veluti acui appensa simul extrahantur: radices spargunt in obliquum summa tellure in multam longitudinem, vnde soboles enascitur viuacissima, quæ paucis annis crescit in arboream amplitudinem, vt palmæ caudex; non tamen apud nos attollitur, neque floret; audio in India arborem esse ingentem vnde trabes fiant: succum inesse dulcem, instar sacchari, qui ex foliis extrahitur: ex eius foliis contusis & maceratis extrahi Linum, quo lintea texunt mollissima, candidissimaque: fructum autem ferre Cytinis Mali Punici similem. Ecce dum hæc scriberemus, spectaculum pulcherrimum visum est in horto diligenter refosso, quem ruri amænissimum instruxit Reuerendissimus Antistes Tornabonius: nam vere ex medio foliorum scapus elatus est breuibus foliis, & raris, qui paucis diebus ad altitudinem vndecim cubitorum adoleuit simplex, & rectus, in cacumine circumquaque ramos spargens, veluti latam vmbellam constituentes, in qua flores in æstate sursum spectantes, digiti longitudine, exterius herbacei, intus pallidi, explicantur in sex foliola: sed hi sine fructu deciderunt: aduentante autem hyeme caulis totus exaruit instar Ferulæ.

CAP. XXXIII.

LILIVM caule constat recto, ac simplici, bicubitali; foliis prope radicem palmi longitudine, latitudine pollicis: quę assidue breuiora redduntur prope verticem: flores in cacumine terni, aut quaterni, pluresque grandes, candidissimi, ex foliis sex constantes,

tes, reflexis labris, odore caput replente: fructus pollice crassior, oblongus: semina rotunda, ossea ex toto, nulla conspicua medulla, sedent in angulis septi; radici, quæ tenuis, & oblonga in fibras desinit, appendices quędam appositę sunt sursum spectantes, succosę, ac bulbosum quod dam caput efficientes, colore candido: seritur in hortis. duo alia genera in syluis nascuntur, quæ vulgò Martagon vocantur, & Lilia syluestria. color alteri purpureas, siue potius carneus; alteri vehementer croceus: vtrique puncta insunt nigra veluti lituræ quædam flori inscriptæ. caulis vtrique breuior, vix ad cubitalem altitudinem accedens. quę croceum florem fert, pallidā habet & radicē, & bulbosum caput, folia angustiora, quam domestici: florem vnum, aut duos sursum spectantes, figura & magnitudine æquales domestico. Quæ autem purpureum florem gerit, folia habet latiora, ex interuallis quaterna aut quina: summus caulis quandoque finditur; vnde flores tres, aut quatuor paulo minores Lilio, deorsum spectant, labris vehementer recuruis. Theophrastus Lilia tradit colore differentia, vt Leucoion; nam neque desunt Lilia purpurea: vnicaulia inquit in vniuersum fere assurgunt, bicaulia raro: singulis caulibus alias vnum Lilium, alias plura exeunt: pars enim postrema effundit, quod rarius contingit. radicem habent copiosam, carnosam, & rotundam, Fructus auulsus germinat, & Lilium reddit, sed minus: lachrymosum præterea quoddam confluuium facit, quod & serunt; nam sole siccata lachryma exire videtur: caulibus quoque concisis nascitur, & toto caule propaginato. vere floret cum Viola alba, aut paulo post: quod autem scribit, quoddam genus Lilij in paludibus & stagnis nasci, quod terram minime attingit, Liliis simile natura, sed foliosius, & quæ sequuntur, laudatum ad mulierum profluuia, videtur Nymphęam intelligere. Plinius de Liliis inquit: nullis florum excelsitas maior: interdum cubitorum trium, languido semper collo, & non sufficiente capitis oneri: candor eius eximius; foliis foris striatis, & ab angustiis, in latitudinem paulatim sese laxantibus, effigie Calathi, resupinatis per ambitum labris, tenuique filo & stamine stantibus in medio crucis: ita odor, colorque duplex, vt alius calycis, alius staminis differentia angusta, est & rubens Lilium, quod Græci Crinon vocant: sunt & purpurea Lilia, aliquando gemino caule, carnosiore tantum radice, maiorisque bulbi, sed vnius, Narcissum vocant. At rubentia Lilia adhuc non vidimus, cum tamen in Italia nasci testetur Plinius; nisi forte crocea intellexerit: nam color adeo intensus, vt ad rubedinem vergat: Dioscorides tradi inquit Lilia purpurea, quasi ipse non viderit.

CAP. XXXIIII.

CANNA Indiæ vulgò appellatur, quædam caulibus rectis, bicubitalibus, altioribusque: foliis latis, circa caulem conuolutis, prælongis: flores circa cacumina figura nostri Gladioli, paulo maiores, rubicundioresque: fructus exterius asperi, figura parui Cucumeris: semina intus ossea, omnino spherica, ac nigra: radices multas spargit sine bulbo: seritur in hortis, ac fictilibus pulchritudinis gratia, Cannam vocant Indiæ; quia caulis veluti Harundineus est.

CAP. XXXV.

AD Lilia videntur pertinere & genera Iridis; flos enim grandis ex foliis sex constitutus: distant tamen positione; nam summis fructibus insident in Iride, inferne autem in Liliis, pręterea id peculiare in hoc genere; quòd folia non spectant intus & extra, parte scilicet prona ac supina, vt in cæteris, sed in dorsum dilatata, ac lateribus vtrisque cõiunctis spectant dextra & sinistra figura gladij ancipitis: alternatim autem in caule exeunt duplici ordine. Inter hæc Gladiolus ambiguus est; floris enim positione cum Liliis conuenit; foliis autem cum Iride: radice vero cum Bulbosis. assurgit igitur Gladiolus in aruis, inter segetes: simplici caule, ac recto, ferme cubitali: foliis angustioris gladij, firmis: prope summum caulem à latere flores exeunt in purpura subrubentes, ac modice hiantes, Croco breuiores: fructum rotundum Auellanæ Nucis amplitudine, intra quem semina rotunda continentur, cartilaginea, exiguo pericarpio rubente abducta: radix Croco similis, tenuior, durior, bulbo nouo superius insidente veteri. Dioscorides Xiphion vocat, quasi ensem, & Machæronium quasi gladium; quoniam folium, inquit gladij modo mucronatum inest: Iridi quidem simile, sed minus, & angustius, neruosumque: caulis assurgit in cubitalem altitudinem, in quo purpurei flores cum versu inuicem distantes positi sunt: fructus rotundus: radices duæ, vna alteri insidet, vt parui bulbi, quarum inferior gracilis est, superna vberior: nascitur in aruis; vis inest superiori extrahendi spicula, & cætera corpori infixa. Theophrastus (ensem vertit Theodorus) radix inquit decocta dulcis est, & trita farinæ admixta panem dulcem, & innoxium reddit: rotunda est & sine cortice, capillamentis Gerhyi, modo fibrata: circa eam Scolopendræ multæ congregantur; gaudent enim ea herba. Quidam Pugionem vocant: folium ad ensis effigiem; vnde nomen. idem Theodorus Gladioli nomine non hanc plantam intelligit apud Theophrastum, sed Cyperum, vt Plinius aliquã

do

do vocat. Plinius de Xiphio inquit: à multis putatam esse eamdem cum Lonchitide; diuersam tamen esse, quamquam cuspidi similis sem i ne: in humidis nasci, cum primum exit gladii specie: caule duum cubitorum: radice ad Nucis Auellanæ figuram fimbriata, quam effodi ante messem oportet, siccari in vmbra.

CAP. XXXVI.

IRIS vulgò Lilium purpureum vocatur: oritur gracili solo, & inter macerias: radicibus in obliquum tendentibus, crassis geniculatisque, colore candido, odore suaui: vocatur radix vulgò Ghiaggiolo, quæ linteis interposita defendit à tineis, simul, & odore commendat: à singulis geniculis folia exeunt latiora Gladiolo, subcandida: caules crassi, & cubitales: ex alis foliorum ramuli exeunt, in quibus particulatim flores nascuntur, Lilio æquales, ternis foliis vehementer resupinatis, latisque, colore cæruleo in Violam desinente, ternis aliis erectis, simili colore, sed intra calycem quædam colorum varietas spectatur, ex flauo, & puniceo: eorum odor caput grauat; extat & cuius flos ex toto candidus est: duo præterea habentur pusilli genera, in valde sterili solo, & ferme in saxo; radicum segmentis breuioribus, rotundioribus; caule palmum alto: flos alteri purpureus, vt cæteris, cui & radix odoratior: alteri flos pallidus; radix autem inodora. Dioscorides Iridem inquit ab Arcu cælesti nomen accepisse: folia fert Gladioli, maiora, latiora, ac pinguiora: flores in caule ipso alternatim proueniunt, inflexi, varij coloris, aut enim candidi, aut pallidi, aut lutei, aut purpurei, aut cærulei conspiciuntur, qua coloris diuersitate quædam imago arcus cælestis repræsentatur: radices subsunt geniculatæ, solidæ, odoratæ, quæ recisæ & filo suspensæ in vmbra siccantur. laudatissima in Illiria, Macedoniaque. earumque illa optima, quæ radice constat densa, minuta, fractu contumaci, colore subruffo, odore vehementer iucundo, gustu magis feruido, (alij legunt amaro) olfactu sincero, non redolente situm, quæ cum tunditur, sternutamenta commouet: deterior Aphricana, quę alba, & amara: inueteratę teredines sentiũt, sed odoratiores redduntur. præcipua vis ad excreationes faciles reddendas in tussi, extenuat enim crassos humores: purgat pituitam, & bilem. Theophrastus meminit tantum inter odorata, Theodorus Consecratricem vocat. In Illiria inquit, & circa Adoriam laudata, & cæteris præstantior: sola inter odoramenta Europæ, non tamen parte maritima, sed mediterranea, magisque ad Septentrionem sita; cultus ei nullus accomodatur, nisi quod ablaqueatam solent reficcare: Plinius caulem inquit habet cubitalem, & rectum: floret diuersi coloris specie, sicut Arcus cælestis; vnde & nomen radice tantum commenda-

tur

tur vnguẽtis & medicinę: laudatissima in Illirico, non in marittimis nata, sed in sylvestribus Drilonis & Narone, breuior cæteris: namque in Macedonia longissima est, & candicans, quæ in Aphrica amplissima inter omnes, gustuque ammarissima: Illirica quoque duorum generum est Rhaphanitis à similitudine, quæ, & melior. Rizotomos subruffa. Alibi inquit Iris ruffa, melior quam candida. Forte apud Aetium Iris Astragalitis pro Rhaphaniti accipienda: est enim Astragalos Rhaphano similis radice: erit autem Rhaphanitis, quæ in rotunditate oblonga est: Rizotomos autem, quæ veluti mutilata, detruncataque est: melior autem Rhaphanitis, quæ præcipue minuta sit, & subruffa.

CAP. XXXVII.

QVAEDAM Apud nos peregrina seritur in hortis: angustissimis foliis, virentibusque: floribus quoque tenuioribus, ac pulcrioribus, ob colorum varietatem, qui & odorati sunt: radices fert tenuiores, extra ruffescentes, at minus odoratas: vulgò Iris Illirica vocatur. an hæc fuerit, quæ à Plinio Rizotomos appellata est inter Illiricas, colore ruffo, scilicet radicis. cui præfert Rhaphanitim.

CAP. XXXVIII.

SPATVLA fætida vulgò appellatur in ruderibus nascens; folia fert Iridis, sed nigriora, odore ingrato: flores tenuiores, colore vario, sed tristi, purpureo scilicet intus cum desinente: fructus magnitudine Nucis Iuglandis, sed oblongus, quo dehiscente per hyemem, semina ostenduntur rubicunda, magnitudine Ciceris: radices extra ruffescentes figura & magnitudine Iridis. Dioscorides Xirin vocat, & Irim Sylvestrem: hæc inquit folia habet Iridi similia, sed latiora, mucronataque, è quorum medio caulis assurgit cubitalis, siliquas ferens triquetras; quibus insident flores, purpurei, habentes in medio quid puniceum: fructus in folliculis continetur, similis Fabis, rotundus, rubens, acris: radix longa, geniculis multis, ruffa vtilis in vulneribus capitis, ad ossa fracta, sagittas, & infixa corpori sine cruciatu extrahenda.

CAP. XXXIX.

ACORVS vulgò appellatur in palustribus nascens, grandior Iride: floribus luteis radicibus rubris, tum extra, tum intra, in odoris, gustu astringentibus, crassis. hanc Irim palustrem appellari posse reor, intelligiq; à Theophrasto & Plinio Irim improbam

tam

tam, quæ in marittimis nascitur. Alius autem est Acorus apud Dioscoridem, vt mox patebit.

CAP. XL.

INTER radices ex Oriente aduectas, quædam habetur nostro Acoro similis, figura magis intorta, colore exterius rubro, vel subnigro, interius albo, sapore feruenti, qualis in Galanga: idcirco Galangam maiorem vocant. huic satis conuenit descriptio Acori: nam apud Dioscoridem Acorus folia habet Iridi similia, angustiora: radices quoque non absimiles, sed implicatas, non in rectum actas, sed in obliquum, & summa tellure, Geniculis distinctas, subalbidas, gustu feruentes, olfactu non ingratas: præstantissima, quæ prædensa, alba, plena, non corrosa, odorata, qualis in Chalcide & Galatia nascitur, vbi Asplenon vocatur, quia Splenen minuit. Plinius similiter describit, sed radices inquit nigras esse, intelligens scilicet externam superficiem: optimam nasci circa Phasim Amnem, & vbicumque in Aquosis: Creticas candidiores Ponticis. siccari vtribus in vmbra, digitalibus frustis. Serapio ex Dioscoride transcribens addit flores croceos, radices exterius ad rubedinem tendentes: semen plenum, densum, & tumidum, odoris iucundi. Apud Theophrastum Venena vertitur à Theodoro: sed vbi recenset cum Cnico & iis quorum semina in flores desinunt, non Acoros vt puto legendum est, sed Acanos. De Galanga inter Cyperos explicatum est.

CAP. XLI.

CHINNA, seu Cinna, appellatur vulgò radix ex India orientali nuper allata, ex regione Sinarum radix est tuberculosa, & crassa, Arundini fere similis, exterius colore rubente, aut subnigro, interius candicante, aut subrubente: densa quidem & ponderosa, cum succosa est, ac Vegeta, sed succo exinanito fugosa redditur, & leuis instar Gallæ: quod præcipue patitur cum in aqua maduerit, & amplius, si decocta fuerit. sapor inest insipidus. referunt locis marittimis nasci similitudine parui Calami: repertam eamdem nunc in Occidentali India testantur colore interius magis ruffo: cum primum eam radicem vidi, suspicatus sum esse nostri Acori vulgaris; nam valde recens erat: vt autem coniectari licet ex parte caulis, qui aliquando radici adnexus est in Chinna Orientali, potius ex genere Iridis videtur esse, quam Calami; tenuis enim est, & solidus. Lusitani ab Indis eius vsum didicerunt efficacissimum in sanandis non solum morbis inueteratis, vt in Occidente per Sarzaparillam, & Lignum Sanctum; sed etiam morbis acutis, & febribus:

mirifice enim ſudores prouocat. Sicci eſt temperamenti in ſecundo gradu, cum pauca caliditate, tenuium partium: non enim corpora excalfacit, vt lignum Guaiaccum & Sarzaparilla: idcirco datur, & febrientibus; nam febres longas ſinit, obſtructiones aperit, Icteritiam ſanat, Hydropen, Vlcera praua, Tubercula, dolores, paralyſim, Diſtillationes, Melancoliam, & tandem vnicum remedium omnes pene morbos extirpat; idcirco apud Indos in pręcio eſt præ omnibus aliis remediis. exhibetur autem radicis decoctio, cuius modus traditur. radicem incidunt in taleolos tenues, quarum aſſumunt vnciam vnam, aquæ libras 12. aſſeruant in olla obturata horis vigintiquatuor, deinde coquunt lẽto igne carbonibus prius ignitis abſque fumo, donec dimidia pars aquę abſumatur, relictis libris ſex: cum refrigerata fuerit, colant, aſſeruantque in vaſe vitreo, loco calido prope ignem, ſic enim diutius perdurat incorrupta. cum Aeger purgatus fuerit propinant huius aquę per quam calentis in aurora vncias decem, præcipiuntque ægrum operiri, vt ſudet ſaltem duabus horis, poſtea ſudore abſterſo induat veſtes calidas, quieſcatq; duabus, aut tribus horis; prandeat poſtea initio aſſumens Iuſculum calidum pulli Gallinacei; deinde carnes eiuſdem cum pane biſcocto, aut corticibus, & in fine cotoneorum pulpam; potus ſit eiuſdem aquæ & in prandio & interdiu: non enim duplex paratur, vt in ligno Sancto. poſt horas octo à prandio iterum in lecto aſſumat vncias decem eiuſdẽ aquæ calentis ac ſudet, vt prædictum eſt, & poſt ſudorem hora vna cenet vuas paſſas, aut Amygdalas, & panem biſcoctum cum eodem potu, & carne Citoniorum cenam claudat. Hunc modum & præſcriptam victus rationem in morbis diuturnis & Gallica lue obſeruet triginta diebus continuis; non enim alia purgatio interſerenda, cum largus ſudor ſatisfaciat: maneat interim in thalamo tutus à frigore. Poſt id tempus per quadraginta dies vtetur cibis boni ſucci, abſtinebitque à vino, cuius loco, bibet aquam hoc modo paratam, aſſumendę ſunt radicis Taleolæ prius decoctæ & in vmbra exſiccatæ, quarum vncia vna in libris duodecim aquæ infundantur per horas vigintiquatuor, deinde vt prius coquãtur ad dimidij conſumptionem, ſerueturque, vt dictum eſt ſingulis diebus decoctionem parando, non enim diutius perdurat incorrupta.

CAP. XLII.

ALIA eſt radix inter aromata ex Oriente allata, quæ in hoc genere videtur reponenda: in obliquum enim progreditur inęqualis ob geniculorum frequẽtiam, ſegmentis non intortis, vt in Acoro, ſed rectis, digiti craſſitudine, longis, colore albo, ſubſtantia nequaquam ſolida, ſed laxa, & quaſi fungoſa, ſapore acri, cum quadam amaritudine:

ritudine: odore per quam iucundo: venditur vulgo pro Calamo Aromatico, viret hodie planta apud Serenissimum Magnum Ducem, foliis multo longioribus Iride, virentioribus, & valde odoratis: multas radices summa tellure spargit: gaudet aquis: eius florem non vidi; sed vere, dum hęc cuderentur, folium quoddam tenuius inter cætera latiora tulit iunceum instar caulis, cui medio insidebat in canali Amentaceum quid herbacei coloris, veluti panicula, digitali fermè longitudine fastigiata ex minutis, ac densis floccis compacta puluisculum quendam pallidum fundentibus sine fructu. Hanc autem in hoc loco inserui sperans flores, & fructus, quales in Iride visuntur, laturam, vt folia, cum potius conuenire cum Iuncis reperta sit. Huic satis conuenit Costi Arabici descriptio, quamuis paucæ eius notæ ab authoribus tradantur. Inquit Dioscorides Costum maxime laudari Arabicum, qui albus est, leuis, plurimi odoris, ac iucundi. Secundo loco Indicum, qui crassus, lævis, ac niger est veluti Ferula. Tertio Syriacum, qui grauis, colore buxeo, odore feriens. optimum autem esse recentem, candidum, ex toto plenum, densum, aridum, minime carosum, non graue olentem, gustu mordaci, & feruido; adulterari autem radicibus Helenij: deprehendi gustu, nō adeo mordaci & olfactu nequaquam valido: inæquales igitur ac tuberosas esse Costi radices patet ex Helenio, quo adulteratur, & ex radice Rhodia, cui Dioscorides Costum comparat: de Piperis radice, quæ Costo similis traditur, minus certi habemus: nec enim feritur, an Fruticis eius radix eruatur alicuius vtilitatis gratia: quamuis optime hystoriam Piperis tradiderint Lusitani. Quod si Galanga ob Piperis saporem putata sit quondā esse Piperis radix, eāque intellexerit Dioscorides: id confirmabit nostram de Costo sententiam: est enim prædicta radix non absimilis Galangæ, crassitudine scilicet & geniculorum frequentia: sed discrepat colore, rectitudine, odore, ac leuitate substantiæ. Plinius Costi radicem tradit gustu feruentem, odore eximio, frutice alias inutili: Duo eius genera, nigrum, &, quod melius, candicans. Hodie pro Costo venditant Ferulæ cuiusdam radices, concisas in taleolas, sapore quidem feruente, sed sine vlla odoris gratia: vt neque Costum nigrum dici possit, quamuis Ferulæ simile. Tertium, quod colore buxeo traditur, forte Zedoaria fuerit vulgò appellata ab Arabibus autem Zurumbet. Venditur enim radix eo nomine pollicis crassitudine, in rotunditate oblonga, candicans interius pallescens, amaro & acri sapore; odore valido, non ingrato. De hac Serapio inquit: radix est Aristolochiæ rotundæ similis, sapore & odore Zimziberis, quę potissimum è Syria aduehitur, laudata ad morsus venenatos potu. Dioscorides quoque Syriacum huiusmodi Costum vocat, quod colore buxeo, Aristolochiam imitatur. Garzias Lusitanus Zurumbet Arabibus vocatum, acceptum autem pro Zedoaria,

nasci testatur copiosum in India partim sponte, partim satum & semine & radice: à multis vocari Zinziber sylvestre non sine ratione; nam foliis Zinziber imitatur, maiora tamen sunt & patula: radix quoque paulo maior Zinzibere: Eruitur radix, & frustatim conciditur, siccaturque, inde fertur in Persidem, Arabiam, Alexandriam, & Venetias. Conditur quoque saccaro gratior Zinzibere condito. At veram Zedoariam, cuius meminit Auicenna Geiduar appellari vulgò radicem ex regionibus Chinæ vicinis ferri similem Glandi forma & magnitudine, translucidam, valde caram, & raram, ob vires efficaces aduersus venena.

CAP. XLIII.

ZINZIBER videtur ex hoc genere esse, radix scilicet acerrimi saporis, odorataque inter Indicas merces ad nos comportata; frequentibus geniculis distinguentibus radiculas laterales, pollicis crassitudine, ac minores, colore candicante, quamquam sunt, quæ exterius rubro colore infectæ sunt, non secundum naturam, sed rubrica infectę, vt magis à teredinibus præseruentur: cui vitio obnoxiæ sunt magis, quæ candidiores, molliorescque sunt. Ludouicus Romanus in terra omnifariam rubre nasci testatur. Audio à Lusitanis, qui Indicas regiones perlustrarunt; folia ferre Harundinis. Garzias folia Iridis aquaticæ tribuit, aut Gladioli paulo nigriora: caulem duorum, aut trium palmorum altitudine: radicem quoque Iridi similem: assumi recentem in acetariis tritam, incoqui etiam cum piscibus & carnibus. Dioscorides eius radices tradit Cyperi modo paruas, candicantes, & odoratas, atque sapore Piper imitari: vnde quidam putauerunt Piperis arboris radices esse: differre autem; nam Piperis radices, Costo similes esse, ora gustantium accendere, & saliuam ciere. Plinius Zingiberim, & Gingiberim vocat in Arabia, atque Throglodytica nasci radicem candidam, non Piperis, licet sapore simili, sed paruę herbæ: celeriter cariem sentit, quamuis in tanta amaritudine.

CAP. XLIIII.

SECACVL apud Arabas, in Sicilia Zinziberem vocant ob radicum similitudinem cum Zinzibere Indico. Folia fert Porri breuiora, ac latiora: caulem nudum, palmi altitudine: in cacumine vnicum florem specie & colore Iridis: floret hyeme incipiente. Vtuntur in cibis radicibus conditis, pro Zinzibere. Serapio sic describit: herba est radices habens crassitudine pollicis, longitudine indicis, inuicem implexas, summa tellure geniculatas, ex singulis geniculis folia exeunt simi-

lia

lia bulbo: in cacumine flores fert vere & singulorum mensium principiis, colore Violæ, grandiores: cum flos deciderit, fructum fert nigrum, magnitudine Ciceris, humore plenum, sapore dulci: radices quoque simili sapore præditæ sunt. nascitur in vmbrosis & prope magnarum arborum radices, & locis humectis, colligitur in tempore messis. temperamentum calidum & humidum in primo gradu: incitat ad Venerem: semen adauget, & genitalia intendit, præsertim cum melle condita, idem alibi inquit: Secacul radicem esse Zinziberi similem, & adulti ex India, ac conditi, dum recens est.

CAP. XLV.

SATYRIVM seritur apud nos peregrina plãta: folia fert ab radice, Porro longiora, angustiora, quę triangula: caulem dodrantalem, simplicem, & nudum, cuius summo folium vnicum est conuolutum, è cuius sinu, flos egreditur ineunte vere, Lilio tenuior, ternis foliis retrouersis, colore quasi purpureo ad nigredinem vergente, ternis aliis, dehiscentibus tantum, & calycem explentibus, qui summo fructui insidet: fructus pendet crassus veluti Iridis, in quo semina rotunda, ossea, membrana quadam pingui obducta, ac splendente, primum candicante, dein flauescente: radices ternæ, vna quę sursum attollitur, digiti longitudine, ruffa, quæ virile membrum repræsentat, erectum, quodam etiam præputij vestigio: duæ aliæ ab eodem principio deorsum tẽdunt, similes binis testiculis pendentibus, primum colore candido deinde ruffescunt exterius, cum ad perfectam magnitudinem peruenerunt: quo tempore, tertia iam languescit: aliæ pręterea radiculæ fibrosæ insunt in exortu, pubem referentes. Germinat anno sequente ab inferna parte radicum descendentium, ab eodem extremo & binos testiculos inferius demittens, & caulem superius: eruuntur æstate radices vegetæ, postquam exaruerit caulis, quæ sub cineribus coctæ, & à tenui membrana purgatæ, gustui gratę sunt, colore candido, molles: edentibus vires intendunt ad Venerem exercendã. ex hoc genere esse censendum est radices ex Aphrica allatas Asphodeli bulbis similes, rotundiores, colore exterius ruffo, interius candido, quas more Castanearum sub cineribus coctas, ac delibratas comedunt: ideo Castaneas terrestres vocant. Dioscorides Satyrij duo genera affert: vnum, quod Trifolium cognominatum est, ternis foliis, ad terram infractis, Rumici, aut Lilio similibus, minoribus, rubrisque: caule nudo, cubitali: flore Lilij, candido: radice bulbosa, Mali magnitudine fulua, intus vt ouum candida, gustu dulci, & ori non ingrata. ad hoc genus forte pertinent radices ex Aphrica, quas Castaneas terrestres appellari diximus. Alterum Erythronium cognominari te-

ſtatur: ſemine Lini, maiore, duro, ſplendente, & lęui: quod fertur non ſecus atque Scincus libidinem excitare: radicis cortex gracilis, ruffus, intra quem album includitur, ſapore dulci, ori non ingrato: naſcitur in montoſis & apricis: proditur, radix ſi manu teneatur, Venerē ſtimulare, eoque magis ſi bibatur in vino. conueniunt hæc Satyrio à me deſcripto, cuius radix ob pudendi ſimilitudinē non mirum, ſi manu contrectata excitet concupiſcentiam. teſtatur & Theophraſtus herbam, quā Indus attulerat, mirę virtutis ad rem Veneream, quæ non ſolum edentibus, ſed & tangentibus tantum vim adeo vehementem genitalibus fieri, vt, quoties vellent coire, valerent: qui vſi fuere, duodecies egiſſe fatentur: Indus ipſe, vtpote robuſtus, & magno corpore ſeptuageties egiſſe fatebatur aliquando, vt tandem ſemen guttatim, & cum ſemine ſanguis emitteretur: & mulieres vehementius eo medicamento incitari; Plinius Satyrij nomine non ſolum has ſed & Teſticulorum genera appellari tradit ob vim concitatricem ad Venerem. Græcorum autem ſentētia Satyrium inquit: foliis Lilij rubri, minoribus, & tribus non amplius è terra exeuntibus: caule lęui, cubitali, nudo: radice gemina: cuius pars inferior, & maior mares gignit: ſuperior ac minor fęminas. Qui putauerunt hoc genus Satyrij confundi à Plinio cum Cynoſorchi ob radicum proprietatem, non animaduerterunt rem contrario modo habere in Cynoſorchi: ſuperior enim pars in ea plenior; inferior rugoſa: in Satyriis autem ſuperior euanida fit, increſcētibus inferioribus. nec repugnat, quod Dioſcorides tamquam vnicam Satyrij radicem, Mali modo rotundam tradere videtur: nam ſemine perfecto ſuperior omnino euanuit, inferiores, quamquam geminę, tamen increſcente caule abiunguntur, & ſingulæ aduentante hyeme germinant. De Erythronio autem idem Plinius inquit: ſemen Viticis habere, quod magis congruit quam ſemen Lini; rotundius enim id ſemen eſt: cæteræ conditiones ex Dioſcoride aſſumptæ ſunt. addit arietibus quoque & hircis ſegnioribus in potu dari, & à ſarmatis equis ob aſſiduum laborem pigrioribus in coitu: vim eius reſtinguit aqua mulſa, aut Lactuca ſumpta. Arabes Teſticulum Vulpis appellant vtrumque genus Satyrij, vt apud Serapionem legitur.

CAP. XLVI.

TESTICVLORVM genera vulgo Satyria appellata, à geminis tuberibus, teſticulorum modo, mollibus, candidis, & ſperma humanum redolentibus, iuxta tenues radiculas: ſimplicem cauliculum ferunt, mollem, a: rectum: foliis, Lilio breuioribus, vt plurimum humi ſparſis, tribus, aut quatuor, paucis aliis caulem veſtientibus: flores in ſpica hiantes, veluti lingua exerta, vario modo, & colore; Nam

aliis

aliis lingua lata est, & deorsum flexa in multam longitudinem: his color rubens, aut ex rubro quasi nigricans: aliis figura & colore Apem flori insidentem æmulatur: bifurcata aliis est, ac longissima, serpentis more vibrata, colore purpureo, cuiusmodi genus in Vrbeuetano visum est. pleraque alia genera sunt tenuioris floris, modo candicantis, modo purpurascentis, modo versicoloris. fructus omnibus oblongus, & triquetrus, mollisque, nullo intus semine, sed aut mucco, aut pulusculo. distant quoque foliis, magnitudine, ac paruitate, paucisque differentiis: radices vero aliis Oliuæ modo oblongę subsunt: aliis rotundiores; quibusdam ternæ, sed plurimis binæ; quarum altera Vegeta, & succi plena; altera rugosa ac senescens. Quibus folia latiora sunt, radices quoque grandiores, & flores in spica densiores, ac tenuiores: oriuntur in syluis. Quæ autem exilioribus foliis, ac radicibus constant, vt plurimum flores habent grandiores, rarioresque: oriuntur gracili solo, & saxoso. Dioscorides Orchim vocat; idest testiculum, cuius duo genera ponit; vnum, qui Cynosorchis dicitur, idest Canis testiculus; alterum qui Orchis serapias. De Cynosorchi inquit: folia fert circa vnum caulem, humi strata, Oleæ molli similia, angustiora, proceriora, & læuia: caulem dodrantalem: flores purpureos: radicem bulbosam, oblongam, geminam, Oliuę modo angustam: superior, quæ plenior est, inferior, quę mollior & rugosior. Eduntur radices coctæ, vt bulbi, ad prolem procreandam & Venerem incitandam, vel compescendam, vtra edatur Vegeta vel rugosa; nascitur in lapidosis & sabulonibus. de altero, qui Serapias cognominatur inquit: foliis constat Porri, oblongis, latioribus, pinguibus, & circa stolones suos inflexis: caule dodrantali: flore quasi purpureo: radice testiculis simili. Apud Theophrastum de Testiculo loquentem incertum est, quid intellexerit, cum eius folium Laseris dixerit: caulem vero simillimum Spinę, quam Pyrum vocant. Plinius eum, qui Serapias cognominatur, describit, vt Dioscorides, subiungit postea: quidam folio Scyllę esse dicunt, lęuiori, ac minori: caule spinoso: quæ ex Theophrasto videtur desumpsisse loco eius verbi σιλφώδες, σκυλλώδες, scribente rectius: forte & caulis simillimus non Spinæ, sed Acantho dicendus est: ἄκανθα enim apud Theophrastum, eadem cum Acantho Dioscoridis, quam Theodorus Spinam vertit. pręterea loco Pyri legendum videtur Tritici, qui Græce πυρός dicitur: est enim caulis simplex in spicam desinens, vt Tritici: locus igitur in Theophrasto habens: Ἔχει δὲ τό μὲν φύλλον σκυλλώδες, λειότερον δὲ καὶ ἔλαττον: τὸν δὲ καυλὸν ὁμοιοτατον ἀπίῳ ἀπυρῳ ἤτοι ἀκανθῃ, multis mendis scater, & corrigendus est hoc modo. Ἔχει δὲ τὸ μὲν φύλλον σκυλλώδες, λειότερον δὲ, καὶ ἔλαττον: τὸν δὲ καυλὸν ὁμοιοτατον πυρῷ ἤτοι ἀκάνθῃ: idest folium quidem habet Scyllæ simile, lęuius, & minus: caulē autem simillimum Tritico, aut Acantho.

Ex

Ex his patet Orchim Serapiam apud nos illud genus dici posse, quod in syluis nascitur grandius: densiore in spica flore: Cynosorchim autem reliqua genera angustiori folio cõstantia, & radice. Idem Plinius vtrumque genus Testiculorum Satyriũ vocat inquiens: duo eius genera: vnum longioribus foliis, quam Oleę: caule quatuor digitorum: flore purpureo: radice gemina, ad formam hominis testium, alternis annis intumescente, ac residente: altera Satyrion Orchis cognominatur, & fęmina esse creditur: distinguitur internodiis: & ramosiore frutice: radice fascinis vtili: nascitur fere iuxta mare.

CAP. XLVII.

PALMA CHRISTI vulgò appellatur in syluis nascens, alioqui Testiculo Serapiæ similis, sed binis illis radicibus bifurcatis, aut in plures digitos diuisis, ac si binæ manus vnctę essent, extensis digitis: huius folia punctis quibusdam, aut maculis nigris distincta sunt: flores in spica densi, ex purpura albicantes. Ferunt quandam pallidis radicibus; ideo digitos citrinos ab Auicenna appellari: inquit enim: eius figuram esse similem volæ manus; colore commixto, ex luteo & albo; duram cum quadam dulcedine: esse quandam citrinã absq; albedine, puluerulentã, calidi & sicci temperamenti: inesse vim soluendi crassos valde humores, cutem abstergendi: conferre neruosis partibus & maniæ. recentiores Palmam Christi laudant ad comitiales; si seminis dracma ex vino bibatur, aut radicis decoctum continuo vsu, vt eo vinum temperetur in prandio & Cena: Quartanam quoque fugari eius radice, vt quidam experimento testantur. vtuntur alij radicibus exsiccatis, & in puluerem contritis ad Hydropen; Censuerim apud Dioscoridem hanc non distingui à Testiculo Serapia, quam tradit sic cognominatam ob multiplicem vtilitatem, quam præstat eius radix. Satyrium basilicum, quasi regium à Græcis recentioribus appellari creditur.

CAP. XLVIII.

OPHRYS quasi supercilium, cauliculus est tener, supra dodrantalem altitudinem: duobus tantum foliis, Elleboro albo similibus, rotundioribus, in medio ferme caule, tamquam superciliis coniunctis, modice deorsum reflexis: flosculi veluti in spica rarius dispositi; deorsum mutant, coloris herbacei, forma Galericuli, linguis bifurcatis, deorsum spectantibus: fructus paruus, ac rotundus, mollis, nullo intus semine, sed veluti puluisculo: radices tenues, vt Ellebori albi, odoratæ, in obliquum tendentes: oritur in montibus, vmbrosis, & riguis:

riguis : gustus inest glutinosus, & subdulcis : vtuntur quidam ad rupta. Plinius herbam tradit denticulato oleri similem : foliis duobus, quæ capillum denigrat.

CAP. XLIX.

SIGILLVM Sanctę Mariæ vulgò appellatur : aliis sigillum Solomonis, quod tamen aliud est à Polygonato, & à Secacul Arabum : caule simplici, recto : foliis Polygonati, aut Ellebori albi : in cacumine flores tres, aut quatuor, candidi, figura Gladioli, sed minores, summo fructui insidentes, vt in Testiculorum generibus : fructus oblongus, triquetrus, in quo loco seminis humor continetur, qui maturitate in puluisculum nigrum transit : radiculas tenues, & multas spargit, candidas, Ellebori modo : oritur in vmbrosis montibus. Alterum genus : foliis longioribus : floribus ex candido purpurascentibus : radicibus subflauis : Tertium angusto folio, vt Lilij, magis fastigiato : floribus candidis : candidis quoq; radiculis : oritur in collibus, præcipue marittimis.

AN-

ANDREAE CAESALPINI ARETINI

DE SVFFRVTICIBVS ET HERBIS. LIBER VNDECIMVS.

CAP. PRIMVM.

VAE in communi ſede quaterna ferunt ſemina, omnia, quæ hucuſque nouerim in genere humili, folliculo quodam florem tegente includuntur, nec iis aliud vaſculum proprium datum eſt intra florem: idcirco extrinſecus perſpici poſſunt ſemina, poſtquam flos decidit, niſi iterum folliculus conniueat: omnibuſque flos ex ſede ſeminis exoritur: differunt autem; quoniam ſemina alia quidem cor in ſummo gerunt, vt Bugloſſa, & Ancuſarum genera: alia autem è contra ſcilicet in ſede vim genitalem gerunt, vt Saluia, Marrubium, & alia multa illis affinia. folliculus autem in illis quidem diſſectus eſt, vt Bugloſſaceis; in his autem integer, vt in profundo magis lateant ſemina. flores omnibus vnico folio conſtant, concauo, pro figura folliculi, quo includuntur; quorum alij in os orbiculatum deſinunt, vt Symphyti, Anchuſæ: alij diſſecti, vt Bugloſſæ, Borraginis.

CAP. II.

BVGLOSSA, quaſi lingua Bouina, herba ſponte naſcitur locis ſabuloſis: radicibus craſſis, longitudine cubitali, tuberoſis, exterius nigricantibus: à quibus folia exeunt, dodrantis longitudine, latitudine ternum digitorum, aſpera lanugine obducta: è quorum medio caules aſſurgunt cubitales, in quibus breuiora folia: cacumina in tres aut quatuor finduntur ramulos, ſubrubentes, ſine foliis; in quibus flores ordine prodeunt cærulei, aut purpuraſcentes, parui, extremis labris diſſecti: ſemina nigra & rugoſa, figura capituli ſerpentis cum ceruice, modo ſingula, modo bina, raro quaterna: viuit diutius radice, quæ craſſa eſt, longa, exterius nigra, interius candida, tenera, dulcis, ſucco pingui, quæ conditur ſaccaro, guſtui grata. Dioſcorides Bugloſſum inquit in campeſtribus naſcitur, & ſabuloſis: Iulio Menſe colligitur:

aiunt

aiunt eam, quæ tres thyrsos emittit, cum semine & radice tritam, potamque contra tertianos horrores prodesse: quæ quatuor ad quartanas; ea in vino decoquitur: facit & ad abscessus: herba similis Verbasco: folium in terra sparsum, nigrius, asperum, bubulas linguas imitans, quod in vinum deiectum animi voluptates auget. vnde Plinius Euphrosynum quoque appellari tradit, at non describit.

CAP. III.

BORRAGO vulgò appellatur olus, quod in hortis seritur: folio latiore, ac breuiore quam Buglossum; caule crasso: ramis multis, non in rectum, sed ad latera tendentibus: flores latiores, deorsum inclinati, colore cæruleo, elegantissimo, aut candido: semina nigra Bugloso crassiora: expetuntur in cibis, flores, præsertim cum Lactuca: folia quoque tum cruda tum cocta ex oleo, & aceto comeduntur: radix tenuis, & inutilis annua tantum: gaudet solo pingui. putant recensiores huic plantæ potius conuenire Buglossi descriptionem, quam supra dictæ, cum tamen neque sponte oriatur in sabulosis, neque folia longa, & angusta sint, vt in symphyto Dioscorides tradit, & vt ostendit similitudo linguæ Bouis: neque thyrsi tres vel quatuor insint. Tandem Buglossa tota cum radice & semine colligi præcipitur mense Iulio. At Borraginis radix perfecto semine exarescit, neque collecta seruari potest incorrupta. sed forte Auicenna hanc intelligit, cum describit herbam latam habentem folia Almaru & aspera ad tactum, cuius rami asperi sunt, sicut pedes Locustarum, colore ex Viridi & Citrino: Eligendam vero esse eam, quę folia habet crassa, super quorum facie sunt puncta, quę sunt radices spinarum & pilorum exeuntium ex ea, cuiusmodi nascitur Corasceni. nam alibi de Bugloso agit sub alio nomine inquiens: putare se esse linguam Bouis Persicę, cuius proprietas est lętificare, & tristitiam remouere. Existimo autem Borraginem in Italia quondam peregrinam fuisse, cum de ea nulla fiat mentio ab antiquis inter olera.

CAP. IIII.

BVGLOSSA Hispana cognominatur quædam: latiore folio, quam nostra Buglossa, punctis quibusdã albis distincto: caule ramoso, cubitali, folioso: flosculos fert inter folia paruos, colore cæruleo, figura Borraginis: viuit radice diutius, vt Buglossa. huic conuenit descriptio Lycopsis apud Dioscoridem, de qua inquit: longioribus foliis constat, quam Lactuca, crassioribus, latioribus, asperis, circa radicis caput inclinatis: caulem fert longum, rectum, asperum, ad natis

multis cubitalibus aſperis, in quibus flores parui purpuraſcentes: radix rubra aſtringens naſcitur in campeſtribus. Plinius Lycopſim eiſdem fere verbis deſcribit.

CAP. V.

PVLMONARIA apud nos vocatur in Alpibus, locis vmbroſis herba folio ab radice Bugloſſæ Hiſpanæ, minus aſpero, maculis candidis, quibus pulmonem emulatur: caulis primo vere è medio foliorum erumpit, dodrantalis; in quo flores purpurei, & ſubrubentes ſpectantur: caulis cito euaneſcit, foliis ab radice permanentibus: viuit enim radice diutius, vt cætera Bugloſſæ genera. Laudant recentiores ad vlcera pulmonis ſananda, & ſanguinis reiectionem, ſucco eius in potu dato, vel decocto cum ſaccaro. eodem nomine intelligunt genus quoddam Lichenis, caudicibus arborum vetuſtis adnatum. Plinius hanc videtur intelligere, cum alterum genus Callæ deſcribit his verbis: folia Lactucæ habet, longiora, plumoſa; radicem rubram: ideo quidam Anchuſam vocant ad ignes ſacros impoſita, & ad Iocinoris vitia in vino pota. De prima autem Calla inquit: eſſe Aro ſimilem: naſci in arationibus: iiſdem viribus, vt Arum, vt igitur maculoſum eſt Ari folium, ſic & vtriuſque Callę.

CAP. VI.

PVLMONARIA alia Romana cognominatur herba, cui ſoli in hoc genere caules inſunt læues, & craſſi, vt Portulacæ: folia ſub rotunda, nullo pediculo hærentia, alba, maculis aſperſa, & ſpinulis quibuſdam horrida: flores inter folia particulatim ordine exeunt, concaui, & oblongi, figura aluearij apum, colore luteo: ſemen intus craſſum, & nigrum, capituli figura leue: oritur in ſyluis. Plinius Cerinthen videtur intelligere, quam ſeri præcipiunt iuxta apum aluearia. Eſt autem Cerinthe inquit: folio candido, incuruo, cubitali: capite concauo, mellis ſuccum habente: horum florum auidiſſimæ ſunt apes.

CAP. VII.

CONSOLIDA vulgò appellatur ceſpes magnus in paluſtribus naſcens: caulibus multis, craſſis, bicubitalibus, aſperis, & ſtriatis: foliis Bugloſſi, latioribus, nigricantibus, aſpera lanugine obſitis: flores fert deorſum inclinatos, figura aluearij apum, colore in purpura nigricante, nunc magis purpureo: ſemine rotundo: radicibus nititur craſſis, ramoſiſque, ſucco glutinoſo conſtantibus, ſapore aqueo.

Altera

Altera minor in collibus nascens, locis vmbrosis, præcipue sub Olea: & locis cultis: folio Borraginis, minore, ac minus aspero: cauliculis dodrantalibus, aut paulo altioribus: flore pallescente: radicibus in obliquum sparsis, quibus rotunda tubercula insunt, colore candido, mollia, sapore non ingrato: vtræque viuunt radice diutius. Dioscorides Symphyton vocat cognomine Pecton: caulem fert inquit bicubitalem, & maiorem, ferulaceum, crassum, angulosum & inanem, vt Sonchus: circa quem per interualla non magna sunt folia, lanuginosa, angusta, & oblonga, effigie Buglossi: appendices autem in caule sunt secundum angulos quosdam: hoc est tenue folium singulis alis adnexum: flores insunt nigri (sed vulgati codices legunt non Μέλαινα, vt Apuleius habet, sed Μέλινα, idest lutei) & fructus circa caulem Verbasci. totus autem caulis, & folia subasperam lanuginem habent, quę tactu pruritum excitat: radices subsunt in superficie nigræ, intus candidæ, & glutinosæ, quarum est vsus; ex his manifestum est maiorem Consolidam tantum Dioscoridi notam fuisse; nam alteram non reperio indicatam: Alterum tamen est Symphytum Petręum, de quo alibi.

CAP. VIII.

ANCHVSAE appellantur, quę in hoc genere radicem ferunt exterius rubentem, vt manus inficiat, quamquam in Italia is color exiguus habeatur, idque non in omni tempore, sed cum planta caulescere incipit: nam iuniores radices candidæ sunt: seniores nigræ fiunt, non caulescunt autem nisi anno secundo: radicem ferunt vnicam in altum actam: folia humi strata in orbē, antequam caulescant, in longitudinem fastigiata, Caninis linguis similia, asperaque, Buglossi modo: caules asperos, è quibus inter folia exeunt ramuli postremis partibus reflexi in girum, vnde particulatim cum foliolis flores exeunt, oblongi, hiantes: semina insunt quaterna, capitulis serpentum similia, in acutum rostrum desinentia, tenuiora, quam Buglossæ: earum differentię tres: vna maior appellari potest, quæ passim lęto solo nascitur: foliis latioribus, pluribus ab eadem radice caulibus cubitalibus, altioribus: flores primum purpurei exeunt, postea in cæruleum desinunt, semen subnigrum. altera folio constat angustiore instar pollicis, magis spinoso, cui aliquando puncta quędam insunt, caulis vnicus tenuior: flores similes & semina: oritur locis sabulosis. Tertia Lithospermo similis est: foliis Oleę: simpliciori caule, ac lignoso; cui in cacumine duo vel tres ramuli insunt: flosculi candicantes; semina subruffa, & aspera, vt cęteris: radix exigua rubescens: oritur locis humectis: omnes perfecto semine ex toto exarescunt. Huic similis altera iisdem locis nascens, fruticosior:

seminibus nõ scabris, sed lęuibus, initio subrubentibus, postea albescentibus, specie Lithosperni. Dioscorides tres huiusmodi species describit: primam foliis Lactucæ, in exilitatem fastigiatis, hirsutis, scabris, nigricantibus, circa radicem numerosis, stratis, aculeatisque: radice digitali crassitudine, quæ æstate colore sanguineo manus inficit, nascitur pinguibus locis: Altera, quam aliqui Alcibiadion vocant, differt à priore folio minore, at similiter scabro: caules vtrique tenues; quibus summis flores purpurei, subrubentes: radices longæ, rubræ, messibus Tritici sanguineæ: nascitur in sabulosis. est & alia huic similis minor: fructu rubro, quem dentibus molitum siquis inspuat in os serpentis, momento eum interficit: mirum apud Theophrastum numerari Anchusam inter plantas ab radice tantum foliatas: quamquam non similia sint folia, quæ in caule sunt; multo enim breuiora, ac in extremo magis fastigiata. Plinius Anchusæ nomine simpliciter primum genus intelligit: cuius radix inquit in vsu est, digitali crassitudine: finditur Papyri modo, manusque inficit sanguineo colore: præparat lanas prętiosis coloribus: sanat vlcera in cerato, prącipue senum, item adusta: liquari non potest in aqua, oleo dissoluitur, idque sincerę experimentum est. Est & alia similis inquit Pseudo Anchusa ob id appellata, à quibusdam vero Enchusa, aut Doris, & multis aliis nominibus, lanuginosior, & minus pinguis: tenuioribus foliis, & languidioribus: radix oleum non fundit, sed rubentem succum, & hoc ab Anchusa discernitur. Ex quibus verbis significari videtur eam, quam primo descripsi non legitimam Anchusam esse, sed Pseudo Anchusam. De secundo genere idem Plinius inquit pluribus nominibus appellari: paruo frutice: flore purpureo: asperis foliis, & ramis: radice sanguinea cætero nigra: in sabulosis nascens: efficax contra serpentes, maxime Viperas, & radice & foliis æque cibo, ac potu: vires habet messibus; folia trita, odorem Cucumeris reddunt. De tertia Anchusa inquit: est & alia huic similis: flore rubro, minor: & ipsa ad eosdem vsus. at hic flori tribuit rubrum colorem, quem Dioscorides fructui reddit.

CAP. IX.

ECHION passim iuxta semitas nascitur locis aridis, candidior Anchusa, & lanuginosior: foliis gracilibus, magisque productis: caule recto, duorum dodrantum; frequentibus ab imo ad summum ramulis: foliisque assidue breuioribus secundum proportionem, vt tota figura Pyramidali constet: flosculos fert ex candido subrubentes: semina Anchusæ cinerei coloris: radix exterius nigrescit. Dioscorides folia inquit habet prælonga, scabra, subalbida (alij legunt λεπτα-

λεπτα, idest aliquantum tenuia) Anchusæ proxima, minora, & pinguia (addunt alij rubra) spinulis horridula, candicantibus, prædensa quoque est tum foliis, tum cauliculis multis tenuibus; vtroque autem latere foliola sunt tenuia, seriatim disposita, nigricantia, assidue minora in cacumine secundum proportionem: flores iuxta folia purpurascentes; in quibus fructus est capitulo viperæ similis: radix digito tenuior, subnigra. Decantata hæc apud Nicandrum inuentam ab Alcibio, qui cum à Vipera ictus esset in inguine, herbam hanc mandendo, & succum deuorando, reliquum autem vulneri imponendo, dolore leuatus est, & euasit: vnde à Posteris Alcibion appellata est. Apud Plinium Echios vocatur duorum generum; vna Pulegio similis: altera quæ lanugine distinguitur, spinosa, cui & capitula viperæ similia sunt. Hanc eamdem alibi Alcibion vocat inquiens: Alcibion qualis esset herba, apud authores non reperi, sed radicem eius & folia trita ad serpentis morsus imponi & bibi iubent: folia quantum manus capiat trita cum vini meri cyathis tribus: aut radicem drachmarum trium pondere cum vini eadem mensura. per primam autem Echion videtur intelligere, quam Dioscorides Ocymoidem vocat, statim post Echion, vt apud Numenium reperitur; sed Ocymo potius, quam Pulegio similis traditur.

CAP. X.

LITHOSPERMON, quod vulgò Milium solis vocatur, nascitur, in collibus inter vepres: radice ramosa, & nigricante; à qua vere cauliculi dodrantales attolluntur, lignosi: foliis Oleæ, longioribus, asperis: in cacumine duo vel tres ramuli sunt, in quibus flores Buglossæ similes, partim rubentes, partim cærulei: semina bina, ex barbato Vmbilico emergunt nitentia specie margaritarum, candida, cortice fere lapideo; Alij postea cauliculi iuncei, & simplices in terram serpunt, cubitales, foliis similibus, sine flore, ac sine fructu: viuit diutius radice. Dioscorides inquit à seminis duritie Lithospermon appellatum esse: foliis Oleæ, longioribus, & latioribus, mollioribus, humi iacentibus cum suo caule; vnde prodeunt: ramuli autem insunt recti, tenues, crassitudine iunci, acuti, solidi, lignosi, in quorum cacumine bifidi exorta sunt, veluti cauliculorum, in quibus parua folia, iuxta quæ semen lapideum rotundum, paruum, Orobi magnitudine: nascitur in asperis & altis locis. quamquam scio verba Dioscoridis partim deprauata, partim in aliam sententiam conuersa, ab aliis. Plinius inter omnes herbas, inquit, Lithospermo, nihil est admirabilius: herba quincuncialis fere foliis, duplo maioribus quam Rutæ: ramulis surculosis, crassitudine iunci: gerit iuxta folia singula veluti barbulas, & earum in cacuminibus, lappil-

los, candore, & rotunditate Margaritarum, magnitudine Ciceris, duritia vero lapidea. ipsi, qua pediculis adhærent, cauernulas habent, & intus semen. nascitur & in Italia, sed laudatissimum in Creta: nec quicquam inter herbas quidem miraculo aspexi, tantus est decor veluti Aurificum arte: alternis inter folia candicantibus Margaritis, tam exquisita difficultas lapidis ex herba nascentis. iacere atque humi serpere authores tradunt: ego auulsam, non hærentem vidi. hactenus Plinius. Ex quibus patet non bene cæteros apud Dioscoridem interprætari folia circa radicem humi strata, sed circa serpentes caules; at caules semina sustinentes nequaquam serpunt, quos Plinius auulsos vidit, stantes. præterea Italicum Lithospermon distare à Cretico: nec enim semen magnitudine Ciceris constat, sed paruæ Viciæ: & sæpe bina in singulis vmbilicis visũtur.

CAP. XI.

HELIOTROPIVM maius, vulgò Verrucaria, æstate prouenit passim, & iuxta vias, & in solo culto: caulis ab vna radice, quæ parua est, statim cum foliis florem ostendit: particulatim enim floret: assidue in ramos fissa; assidueque in cacumine florem gerens: quo modo crescit in latitudinem magis quam altitudinem, non excedens semicubitum: foliis constat in rotunditate parum oblongis, candicantibus, rugosisque: ex singulis ramulis attolluntur duo, aut tres, aut ad summum quatuor cauliculi, extremis partibus circumflexi, ad similitudinem caudæ scorpionis, in quibus flosculi continentur sine foliis, omnino hærentes, quasi verrucæ, colore candido: semina in singulis verrucis quaterna continentur, exigua: perit Autumno. Dioscorides Heliotropium maius & Heliostrophium appellari tradit; quia folia circumagit cum sole: Scorpiuron quoque ob similitudinem floris cum cauda Scorpionis: foliis constat Ocymi hyrsutioribus, candidioribus, maioribus: ramuli à radice terni, quaterni, & quini exeunt, quorum singuli multis alis constant: in cacumine flos albus, subfuluus, inflexus, vt Scorpionis cauda: radix tenuis, & inutilis: nascitur locis asperis. Plinius de hoc Heliotropio, quod Heliostrophion appellatur, inquit, altius est altero Heliotropio, scilicet minore, quamquam semipedalem altitudinem non excedat; ab ima radice ramosum: semen in folliculo messibus colligitur: nascitur non nisi in pingui solo. Apud Theophrastum Theodorus Solarem herbam vocat: floret particulatim, incipiens inferius, ideo diutius floret: humi caulis: perpetuo viret, floret cum Solstitium agitur.

CAP. XII.

HELIOTROPIVM minus, seu minor Verrucaria vulgò, aquosis tantum locis nascitur: cauliculo recto, dodrantali; foliolis Lithospermi breuioribus, rotundioribus: in cacumine ramulos duos, vel tres gerit, sine foliis, recuruos, vt alterum Heliotropium, sed tenuiores, longioresque; in quibus flosculi sunt elegantissimi, colore cæruleo: fructus postea pendent, pediculo tenuissimo, exiles, ac rotundi. Huius duas differentias notaui: vnum in aquis nascens: flore grandiusculo; fructu magis pensili: alterum vbique in hortis, & lęto solo: exilioribus flosculis, ac breuioribus pediculis: tota æstate florent, aliis ab radice subinde cauliculis subnascentibus: autumno pereunt. Dioscorides breuiter describit his verbis: Heliotropium minus, quod alio nomine Scorpiuron vocatur, nascitur in palustribus, & iuxta lacus: foliis supradicti, rotundioribus: fructum rotundum, pensilem, vt Verruca Acrochordon. Plinius alterum Heliotropion inquit Tricoccum appellari: circumagit se cum sole, etiam nubilo die, tantus syderis amor est: noctu velut desiderio contrahit cæruleum florem; vbique nascitur, & alio nomine Scorpiuron vocatur foliis non solum minoribus, sed etiã in terram vergentibus: semen ei est effigie Scorpionis caudæ; quare ei nomen. Quo in loco foliis tribuit ad terram vergere, quod Dioscorides fructui: præterea similitudinem caudæ Scorpionis semini ascribit, quam notam Dioscorides Scorpioidi assignat, de qua statim loquitur paucis his verbis. Scorpioides herbula est: foliis paucis: semine caudę Scorpionis effigie. dicendum igitur videtur Scorpioidem congenerem esse, cum Scorpiuro supradicto, cum Dioscorides cum illo coniunxerit, reliquam descriptionem subticendo; & Plinius pro eadem planta acceperit; Quod autem semen comparatur caudæ Scorpionis, accipitur pro cauliculo reflexo, in quo primo flos, deinde semen dispositum est; sic minus Heliotropium fuerit, quod in palustribus nascitur, flore grandiusculo: Scorpioides autem alterum, quod passim obuium tenuioribus flosculis. Sed vulgares Heliotropiæ aliæ sunt, de quibus diximus alibi, iis autem Tricocci nomen magis conuenit ob triquetram fructus compositionem.

CAP. XIII.

CYNOGLOSSA, idest lingua canina, folia fert paulo angustiora Borragine, molli lanugine obducta, & candicantia: caulem fert prope cubitalem, ramosumque: flores cæruleos vel purpurascentes, Buglosso similes: semina crassa. quaterna è propriis vmbilicis

extu-

extuberantia & in latitudinem depressa, vt seminis apex, in quo cor, inferius sit inclinatus; hæc lapparum more vestibus hærent: oritur in ruderibus, locis siccis. Quædam in montibus nascitur: latiore folio: breuiori caule: speciosoflore. reperitur & genus paruum: angusto folio ac lappis minutis: oritur in sylueſtribus. Plinius cum Buglosso iungit, vi resque tradit, quas Dioscorides Buglosso: caninas inquit imitatur linguas, Topiariis operibus gratissima: eius radicem tradunt, quæ tres thyrsos ferat: ad tertianas prodesse; quæ quatuor ad Quartanas. Est alia similis ei, & quæ ferat lappas minutas: eius radix pota ex aqua Ranis & Serpentibus aduersatur. Dioscorides quoque cum Buglosso coniungit: & caule carentem tradit: folia inquit Plantaginis latifoliæ habet, arctiora, minora, lanuginosa sine caule: humi sternitur: prouenit in sabuletis; laudat folia cum adipe suillo veteri ad morsus Canum, ad Alopegias, Ambusta: decoctum herbæ in vino aluum emollit. At in hoc genere nullam adhuc videre licuit caule carentem: quamuis sunt, quæ breui tempore illum gerant, vt Pulmonaria: Quædam non nisi post annum, vt Anchusarum genera & Echium. Illud quoque mirum recipi à Mesue, & aliis recentioribus: Cynoglossi radicem in Pillulas opiatas ab hac herba cognominata, vt fluxiones sistant: nec enim huiusmodi facultas à quoquam tribuitur: potius Arnoglossum pro Cynoglosso scribendum censeo; nam & hæc Cynoglossa appellata est teste Dioscoride.

CAP. XIIII.

QVORVM semina in hoc genere cor inferius habent, suffruticibus coronariis fere continentur; pleraque enim odorata sunt, calida & sicca, acria, vel amara. horum folliculi nequaquam dissecti vt superioribus, sed valde concaui extremis tantum patentes, vnde flos exit: flos longus circa seminis sedem adnexus est; ideo fistulæ modo concauus; vnde mellea dulcedo multis exugitur: postrema pars floris dehiscit. veluti in duo Labia. & erictu stamen tamquam ligulam promit: florent alia cacuminibus tamquam in spica, aut capitulis: alia inter folia, quæ bina ex interuallis condita sunt omnibus.

CAP. XV.

SALVIA Domestica fruticat multis ramis, crassis, candidisque: foliis digitali longitudine, duorum latitudine, valde rugosis, mollibus tamen, & candicantibus, valde odoratis, sapore non ingrato: expetuntur enim in condimentis: flores fert in longa spica raros, cæruei coloris, vel candidi: seritur in hortis apud nos. Alterum genus in

Hispania

Hiſpania & Maſſilienſi agro ſponte naſcitur, breuius, anguſtioribus foliis, ſapore ſimili, & magis odoratis, quibus quandoque inſunt binæ appendices paruæ, Saluia minor appellatur. Dioſcorides Eleliſphacon vocat fruticem ramoſum, longum, ferentem virgas quadrangulas, & cana folia, effigie Mali cotonei, longiora, aſperiora, craſſiora, ſimilitudine quadam attritarum veſtium, hirſuta, ſubalbida, per quam iucundo odore, aut graui (quibus verbis vtraſque innuit:) ſemen in ſummis caulibus, ſylueſtri Hormino ſimile: in aſperis naſci. deſcriptio hæc ſatis prædictis conuenit. Theophraſtus duo prædicta genera oſtendit. alterum quidem Sphacelum vocans, alterum Eleliſphacon: differre inter ſe tamquam domeſticum & ſylueſtre. Sphacelo folium magis læue, exilius, & minus ſqualens: Eleliſphaco grauius (alij legunt ſcabrius). Plinius vtrumque genus Lenti ſylueſtri adnumerat, putans Eleliſphacon à Lente dictum, ab aliis Phacon: ea eſt inquit ſatiua Lente læuior; & folio minore, atque ſicciore, & odoratiore: in quibus verbis Sphacelum Theophraſti innuit. eſt & alterum genus ſylueſtris, odore graui; hæc mitior: folia habet Cotonei Mali effigie, ſed minora, & candida. Hæc Eleliſphaco conueniunt. ſubiungit paulo poſt: noſtri, qui nunc ſunt herbarij, Eleliſphacon græce, latine Saluiam vocant, Mentæ ſimilem, canam, odoratam: intelligit maiorem. An dicendum potius non alente, quæ φακὴ dicitur, cognominatas eſſe Eleliſphacon, & Sphacelum, ſed quia aridę videntur; id enim σφακός & σφάκελος ſignificant; comparantur enim folia attritis veſtibus.

CAP. XVI.

SALVIA ſylueſtris vulgò appellatur, & à quibuſdam Matriſaluia, locis ſqualidis naſcens: vnico ab radice aliquando caule, aliquando pluribus, rectis, craſſis, & quadratis: paucis ramis, rectis: huic folia ab radice latiora multo ſunt, quam Saluiæ, magiſque lanuginoſa, odore graui: in caule autem anguſtiora aſſidue redduntur: flores fert purpuraſcentes inter folia, denſos quaſi in ſpica craſſa, ſapor ineſt acris, & mordens, præcipue in cacuminibus. huius duo genera notaui; vnam colore candido, alteram nigriorem. Tertiam vidi in ſaxorum crepidinibus apud Serrauallem in Piceno, Saluiæ minori ſimillimam, candidiorem, lanuginoſioremque, odoratam, acrem: herbam albam vocant: celebrant quidam ad argenti viui coagulationem. Apud Dioſcoridem Stachys vocatur frutex, Marrubio ſimilis, ſed longior: folia ferens numeroſa, gracilia, (velut alij legunt rara) hirſuta, dura, cana, beneolentia: virgulas autem ab vna radice complures, candidiores Marrubio: naſcitur in montibus & aſperis: vim habet excalfactoriam

& acrem. foliorum decoctum pellit menstrua, & secundas. Sed longe diuersam describit Plinius, inquit enim: quę Stachys vocatur, Porri similitudinem habet, longioribus foliis, pluribusque, & odoris iucundi, colorisque in luteum inclinati: pellit Menstrua. vbi pro Prasio idest, Marrubio, Prason idest Porrum accepit: & foliis longitudinem tribuit, quam Dioscorides caulibus: tandem luteum colorē dixit, quem candidum asserit Dioscorides. At profecto mirum videatur, cur Stachys appelletur planta, quę nullam ferat spicam; græce enim Stachys spicam significat; idcirco forte Plinius pro Stachy accepit quandam foliis Marrubij, longioribus, ex viridi in luteum languescentibus, cui frequentes sunt spicæ pallidæ, tenues, atque odoratę, quam inferius ostendemus. Quæ tamen hic descripta est, satis conuenit descriptioni Dioscoridis.

CAP. XVII.

SCLAREA vulgo dicitur suffrutex Coronarius, ad visum clarificandum vtilis, alij Scarleggiam appellant: ingens quædam Saluia videtur: caule quadrato, crasso, ramoso, cubitali: foliis subrotundis, ad Verbasci amplitudinem prope accedentibus, lanuginosis, odoratisque: flores in summis stolonibus spicatis inter folia exeunt, in purpura candicantes: radices multas, fibrosas spargit, seritur in hortis, sponte quoque prouenit in aggeribus. Plinius inter Syderites Scopam regiam à nostris vocari inquit eam, quæ est latissimo folio, cui non lęuior honor in coronis est, quam Caltæ; quamquam folia eius oleant, non flores. Alibi idem Plinius Tussilaginē alteram intelligere videtur, inquiens: à quibusdam Saluia appellatur, similis Verbasco: cōteritur ea, & colata calefit, atque ita ad tussim, lateriſque dolores bibitur: contra scorpiones eadem & dracones marinos efficax: contra serpentes quoque ex oleo perungi ea prodest. Dioscorides Baccharim vocat herbam odoratam, quę in coronas additur: cuius folia aspera sunt, media Violæ & Verbasci magnitudine: caulis angulosus, cubiti altitudinem petens, subasper, ramosus: flores purpurascentes, subalbidi, odorati; radices similes Elleboro nigro, odore Cinnamomum præseferentes: amat loca aspera, & squalida; sed apud Plinium hoc nomen Bacchar non hanc significat, sed Asarum, vt suo loco explicatum est.

CAP. XVIII.

GALLITRICVM vulgo, & Sclarea sylueſtris appellata, ab aliis Chiarella, in incultis nascitur; gracili solo, longe minor Sclarea, ac minus hirsuta, sine odore: foliis circumincisis, similitudine

dine Cristæ Gallinaceæ: flores in spica purpureos fert, aut cęruleos: semen nigrum, rotundum, ac paruum. eius quædam differentiæ ratione magnitudinis: quędam enim vix palmum ęquat, simplex: quædam ad cubitalem altitudinem accedit: pluribus ab eadem radice caulibus. compertum est huius semen integrum oculis inclusum sine morsu vllo ea, quę visum offuscant, abstergere: mucco enim quodam obducto intumescit: paruas quoque spinas infixas extrahit ex oculis. Hanc multi inter genera Syderitis recensent. Alij Verbenacam rectam putant: Plinius Alectorolophon vocari scribit, apud nos Cristam dici: folia inquit habet Gallinaceæ Cristæ, plura: caulem tenuem: semen nigrum in siliquis: vtilis tussi, & caligini oculorum: semen solidum coniicitur in oculum, nec turbat, sed in se caliginem contrahit, mutat colorem, & ex nigro albicare incipit, ac intumescit, & per se exit. Quædam in montibus nascitur foliis maioribus Gallitrico, ac virentioribus: caulibus vltra cubitalem altitudinem: flore purpureo, in longa, ac tenui spica, semine nigro, vt Gallitrici.

CAP. XIX.

AETHYOPIS peregrina apud nos, Sclareę similis, candidior, & lanuginosior: foliis latioribus, angulosisque, in terra stratis: caules fert breuiores: flores candidos, semina subflaua, magnitudine paruæ Vicię, læuia. Dioscorides Aethyopis inquit: folia habet Verbasco similia, per quam hirsuta, densaque, in orbem circa radicem redacta: caulem quadrangulum, crassum, & scabrum, similem Apiastro, aut Arctio, multis alis concauum: semen Erui magnitudine, geminum in vno conceptaculo: radices ab eodem cespite numerosas, longas, plenas, gustu glutinosas, quæ siccę nigrescunt, duranturque vt cornua: plurimum in Ida monte Troadis nascitur, & in Messenia. Plinius eadem ferme habet, quæ ex Aethyopia venit, eximia est, & illico auxiliatur: radix siccata & in vino cocta purulentis, ischiadicis.

CAP. XX.

MELINVM vulgo in Alpibus appellatur, alij Melliginem; quia mellea quædam pinguedo, & odor toti plantæ inest: frequens est in Apennino: pluribus ab eodem cespite caulibus, vltra cubitalem altitudinem, quadrangulis; in quibus folia ferme triangula, Hederę figura, latiora, hirsuta, crispa, & serrata: flores ex cādido pallescētes, figura falcatos in autumno, in spica Saluię simili: radices fibrosas, vt Sclarea. Alia breuior & fruticosior: foliis Saluię, breuioribus, ad Marrubiū

quodamodo accedentibus, colore ex viridi in luteum languescente: spicas multas fert tenues, & longas in singulis foliorum alis, & in summis virgis: flosculos pallidos odore iucundo: oritur in gracilibus. Has Plinius videtur indicasse, cum de Stachy scribit: quę Stachys vocatur, Marrubij similitudinem habet: longioribus foliis, pluribusque, & odoris iucundi, colorisque in luteum inclinati: pellit menstrua. Quamquam pro Marrubio deprauatè Porrum legatur eo loco, vt notauimus in Stachy Dioscoridis.

CAP. XXI.

BETONICA in syluis nascitur, sub arboribus, & fruticibus: foliis ab radice, duorum digitorum latitudine, sensim in gracilitatem productis, serræ modo lateribus incisis, subhirsutis, non sine grato odore, sapore subamaro, & acri, siccante os: caulis rectus, cubitalis, quadratus; in quo pauca folia, & minora; in cacumine flores purpurei, veluti in spica. Dioscorides Cestron vocat, & Psychotrophon; quia locis frigidis inuenitur; A Romanis autem Betonicam appellari tradit, herbam tenui caule, & quadrato, cubiti altitudine, aut altiore: folia longa, mollia, Quercui similia, in ambitu diuisa, odorata, prope radicem maiora: in summis caulibus semen veluti Satureę, spicatum. Decerpta huius folia siccari ad plurimos vsus: radices tenues, vt Ellebori, quæ ex Oxymelite in potu pituitosam euomitionem euocant, & quæ sequuntur. reperitur autem in codicibus gręcis altera Betonicę descriptio, de qua nos alibi locuti sumus. alia quoque Betonica traditur apud Paulum Aeginetam, de qua inferius dicemus. Plinius in hunc modum describit: Vetones in Hispania eam, quæ Betonica dicitur in Gallia, in Italia autem Serratula, à Græcis autem Cestron, aut Psychotrophon, ante cunctas laudatissima: exit anguloso caule, cubitorum duum: à radice spargens folia fere Lapathi, serrata: semine purpureo, folia siccantur in farinam ad plurimos vsus. fit vinum ex ea, & acetum stomacho & claritati oculorum: tantumque gloriæ habet, vt domus, in qua sata sit, tuta existimetur à piaculis omnibus. Videtur autem Plinius non solum prædictam intelligere nomine Betonicę, sed & aliam longæ maiorem, cui semina insunt purpurea. exit hæc planta multis ab eadem radice caulibus, cubito altioribus: foliis latioribus, similitudine eius quam Melliginem appellauimus: flores fert purpureos iuxta folia, & semina in suis folliculis, splendida, colore puniceo, antequam siccentur: hæc quoque nascitur in montibus, sed odore magis graui.

CAP. XXII.

BALLOTE passim in ruderibus nascitur, crassior, & nigrior Marrubio: foliis amplioribus, hirsutioribus, grauis odoris, quasi cimicum; vnde Cimiciottum vulgo appellant: flores per interualla subrubentes, in verticillis non adeo densis, vt in Marrubio: caulis inferne quidem nigricat, superne autem albicat, hirsutusque est; Dioscorides Ballote inquit alio nomine Marrubium nigrum appellatur: caules fert quadrangulos, nigros, subhirsutos, complures ab vna radice: folia maiora quam Marrubij, rotundiora, & lanuginosa, per interualla in caule disposita, graueolentia, Melissophyllo proxima; vnde aliqui & hanc Melissophyllon vocauerunt: flores quoque circundant verticillatim albos caules (alij dictionem gręcam immutant, albedinem floribus ascribendo, non caulibus) sed prior lectio magis quadrat herbæ suprascriptę. Vis eius efficax aduersus canis morsus foliis ex sale illitis. Plinius herbam inquit fruticosam esse: angulosis caulibus, nigris; foliis vestientibus, maioribus quam Marrubij, (non Porri, vt legebatur) nigrioribus, graueolentibus. Galenus nequaquam meminit Ballotæ, neque Aetius.

CAP. XXIII.

CARDIACA in ruderibus nascitur: recto caule, cubitali altitudine: ramis quoque rectis: folia fert alioqui Ballotæ; sed quæ in extremo, scissuras profundas habent: verticillos spinosos, paruos inter foliola angusta, & oblonga: flosculos purpurascentes: laudatur à recentioribus ad cordis palpitationem, & conuulsionem, & paralysim. Apud Theophrastum videtur primum genus Marrubij, quod ab eodem describitur his verbis. Marrubij duo genera: vnum herbaceo folio, magis serrato, incisuris valde manifestis, & profundis; quo Pharmacopolæ vtuntur ad nonnulla. Galenus Alyssum vocat. Aetius quoque hanc intellexit nomine Alyssi: inquit enim: Alysson aiunt esse Syderitem Herculeam appellatam, quæ iuxta vias nascitur vbique, purpureum florem habens, & folia crassiora; nomen inuenit ex eo, quod cõmorsis, à Cane rabido mirabiliter succurrit: Galenus inquit de Alysso: Marrubio similis est, asperioribus tantum, & magis spinosis orbibus: flore ad ceruleum vergente.

CAP. XXIIII.

EXTANT duæ aliæ ſpinoſiores, quæ ad hoc genus reducuntur, vulgò Molucchæ, quarum vna à quibuſdam Meliſſa Cõſtantinopolitana vocatur: caules ab eadem radice fert plures, ac rectos, paulo breuiores cubito: foliis Marrubij, minus hirſutis: verticillos inter folia fert breui interuallo, magnos, quaſi continuata ſerie caulem veſtientes; ſub quibus ſingulis aculei ſunt pungentes, ſtellæ modo: conſtant Verticilli ex latis folliculis veluti Calathis; è quibus flos erumpit ex candido purpuraſcens: quo decidente ſemen farctum oſtenditur exterius plana & lata ſuperficie connexum. tota herba dum viret, graui odore conſtat, cum ad maturitatem peruenit, candida redditur, & bene olẽs. Altera altior aliquando vltra bicubitalem altitudinem: foliis nequaquã hirſutis, leuore quodam ſplendentibus: verticillos fert ſpinoſiores; nam non ſolum aculei ſunt iuxta verticillos, ſed & verticillorum folliculi in robuſtos aculeos deſinunt: flores inſunt purpurei, & ſemina nigriora vtræque peregrinæ apud nos. Has plantas non ſolum apud Galenum cenſeo intelligi Alyſſo congeneres eſſe, ſed forte etiam apud Dioſcoridem & Plinium. nam Dioſcorides inquit: Alyſſon exiguum fruticem eſſe, ſubaſperum: foliis rotundis; iuxta quę fructus veluti ſcuteola duplicia; in quibus ſemen continetur modice latum: oritur in montibus & aſperis locis. Hæc deſcriptio mitiori Molucchæ conuenire poſſit: fruticat enim rectis ramulis, ſubaſperis: nam alterum genus grandius eſt, & aſperius: folia præterea inſunt rotunda, vt Marrubio: ſcuteola autem non quidem duplicia, ſed lata & patula indicari poſſunt per verbum διάδιπλον. tamen alia eſt plantula, cui ſimilitudo duplicis ſcuteoli ineſt. quæ pro Alyſſo Dioſcoridis oſtenditur. Plinius autem de Alyſſo inquit: diſtat à Rubia, qui Alyſſos vocatur, foliis tantum, & ramis minoribus: in hoc facilis fuiſſe poteſt error pro Marrubio Rubiam legendo. tamen & inter Rubias inuenire licet Alyſſi deſcriptionem, vt ſuo loco oſtenſum eſt.

CAP. XXV.

MELISSA in hortis colitur inter ſuaueolentes herbas: foliis Marrubio amplioribus, virentibus, ſubhirſutis, odore Mali Citrei; vnde quidam vulgò Citronellã vocant, ſapore non ingrato; cruda enim eſtur inter olera, vt Menta, ſed hyeme ac Vere dum tenella eſt, nam procedente tempore odorem quendam ſubuiroſum præcipue in Autumno cõtrahit, quaſi hirci: flores in verticillis fert candidos.

Altera

Altera sponte oritur in ruderibus: latioribus foliis, ac subhirsutis, parum à Ballote distantibus. Adest & genus quoddam peregrinum ex Orientalibus allatum, valde odoratum, etiam cum semen protulit; hoc foliis constat oblongioribus, Betonicæ modo: flores fert purpureos, & grandiusculos. Dioscorides Melissophyllon vocari ait; quia apes ea herba plurimum gaudent; cauliculi sunt tenues, & folia Ballotæ similia, maiora dumtaxat, & tenuiora, nec per inde hirsuta, olentia Malum Cytreum, Citraginem à Romanis vocari. Plinius Apiastrum vocari ab Hygino in confessa dannatione; quoniam venenatum est in Sardinia: at illud ab Apio cognominatum est, hoc autem ab Ape. Melissa enim græce Apem significat. Arabes hanc ad cordis affectus extollunt; exhilarare enim, animo linquentes reuocare, sollicitudines, & prauas imaginationes, & somnia tumultuosa sedare. Galenus, vt puto, Melissophyllon sylueſtrem tantum nouit; nam parui facit: nemo enim inquit ea vtitur præsente Marrubio; vires enim Marrubij habet, sed multo infirmiores.

CAP. XXVI.

MARRVBIVM frequens nascitur in ruderibus: multis ab eadem radice caulibus, cubito breuioribus, subhirsutis, candida lanugine: foliis rotundis, rugosis, candidisque, odore medicato: verticillos per interualla fert, in quibus flores candicantes. Dioscorides Prasion græce appellat: frutex inquit est ab radice ramosus, candicans, subhirsutus; virgis quadrangulis: folio pollicis amplitudine, subrotundo, hirsuto, rugoso, gustu amaro: semen fert ex interuallis, & flores, veluti verticillos asperos: nascitur iuxta ædificia collapsa & in ruderibus. Theophrastus hanc pro secundo genere Marrubij describit his verbis: folio constat rotundiore, & vehementer squalido, vt Sphaceli, incisurasque habente obscuriores, & minus serrato: inter suffrutices Plinius Marrubium inter primas herbas cõmendatum scribit, notius quam vt indicandum sit. duo genera tradi à Castore; nigrum; &, quod magis probatur, candidum. De Marrubio nigro diximus superius in Ballote.

CAP. XXVII.

QVAEDAM ex Creta ad nos allata est pro Pseudodictamo: cespes amplus, virgis numerosioribus, altioribus, & candidioribus Marrubio: foliis rotundioribus, minoribus, similibus Dictamo Cretensi, obsitis candidiori lanugine, gustu subamaro, odore exili, non iniucundo: verticillos inter folia fert molles; in quibus flosculi sunt purpurascentes. Dioscorides de Pseudodictamo inquit:

in

in multis terris nascitur, simile vero Dictamo, sed minus acre, & multo inefficacius: Theophrastus & Plinius ramulos minores tradunt, licet foliis Dictamo sit simile.

CAP. XXVIII.

VERBASCVM sylueſtre frutex magnus eſt ferme arboreſcens: caudice potius quam caule intorto, craſſitudine brachij: ramos multos fundit, qui in virgas deſinunt longas, Marrubio ſimiles; & in iis folia Saluiæ domeſticæ, longa, hirſuta, colore albido, in luteum langueſcente, abſque vlla odoris gratia: Verticillos ex longis interuallis fert craſſos; in quibus flores ſunt aurei coloris, ſpecioſi: peregrina eſt apud nos; Dioſcorides inter genera Verbaſci ſylueſtre inquit genus eſt, ferens altas virgas, & ſpecie arborea: folia Saluiæ, & ramulos, quales Marrubium: flores luteos auri æmulos.

CAP. XXIX.

HORMINVM ſatiuum folia ab radice fert in terram ſtrata, oblongiora Marrubio, nigricantia, ac minus ſerrata, tactu glutinoſa: caules rectos, plures, ſemicubitales; in quibus verticilli breuibus interuallis ſunt iuxta foliola longe diuerſa ab inferioribus; tenuia enim ſunt, læuia, nec rugoſa, & in ſummo caule coloris violacei, vt flos quidam videatur in cacumine eſſe: floſculi tamen ſunt in uerticillis purpuraſcentes: cum exareſcit caulis perfecto ſemine folliculi verticillos componentes omnes deorſum flectuntur, in quibus ſemina nigra continentur, exigua, & oblonga: peregrina eſt apud nos. Horminum autem ſylueſtre ſponte apud nos locis aſperis, & ſaxoſis naſcitur: foliis tum ab radice, tum in caulibus, vt Meliſſæ paulo anguſtioribus, ſimiliter ſerratis: caules ſimiliter plures, ac ſimplices attolluntur, paulo maiores dodrante: flores paucos inter folia ferunt, grandiores, colore ſubrubente: folliculos latos deorſum nutantes, in quibus ſemina magnitudine Viciæ continentur fuſca: herba odore conſtat non ingrato. Dioſcorides de vtroque Hormino inquit: ſatiuum herba eſt: foliis Marrubio ſimilis: caule ſemicubitali, quadrangulo; circa quem eminentiæ ſiliquis ſimiles prodeunt, quæ ad radicem ſpectant; in quibus ſemen diuerſum includitur: nam in ſylueſtri rotundum, fuſcumque inuenitur, in altero nigrum, & oblongum, cuius eſt vſus ad Venerem ſtimulandam cum vino poti. Plinius Hormini meminit, & Horminij: per Horminium intelligens Aſparagum ſylueſtrem: vtrumque nomẽ inditum; quia Venerem ſtimulant. De Hormino inquit ſemine Cumino ſimile eſt in

reliquis

reliquis Porro (pro Marrubio græce Prasiopraſon legens) dodrantali altitudine: duorum generum: alteri ſemen nigrius, & oblongum: hoc ad Venerem ſtimulandam, ad oculorum argemas & albugines: alteri candidius ſemen, & rotundius: vtroque tuſo extrahuntur aculei. alibi Theophraſtum ſequutus inter fruges numerat poſt Eriſimum & Seſamū; quamquam ambigat inquit inter fruges & medicamenta: Cumino ſimile: ſeritur cum Seſama & Irione inter æſtiua, nullum animal veſcitur virentibus. Apud Theophraſtum Theodorus Geminalem vertit, inquit: æſtate ſeritur: nullum animal mandit; forte quia amarum: Cuminaceum quoddam eſt, atque nigrum; ſeritur cum Seſama. Galenus quoque inter fruges numerat Horminum mediam naturam poſſidens inter Cuminum & Eriſimum. Suſpitio eſſet diuerſam hanc eſſe, quæ inter fruges numeratur ab ea, quam Dioſcorides ſatiuā vocat, niſi Cumini ſimilitudo in ſemine ſatiuæ reperiretur: eſt autem ſemen id non ingrati ſaporis, & odore commendabili in mandendo, longe quidem minus Cumino ſatiuo, maius autem Aethyopica, quod Ammi vocatur.

CAP. XXX.

QVAEDAM in conualle quadam prope Piſas naſcitur, Hormino ſatiuo ſimilis, foliis, & caule; ſed folliculis figura Ocymi, vt Ocymum quoddam ſylueſtre videatur: pars enim poſtrema folliculi clauditur labiolo quodam ſurſum reflexo: floſculos fert oblongos, ac tenues, deorſum nutantes, purpureos; odor ineſt exiguus.

CAP. XXXI.

MILZADELLA vulgò dicta; quia lienoſis egregie opitulatur, frequens naſcitur in ruderibus, & hortorum aggeribus; herba dodrantem alta: pluribus ab eadem radice caulibus, ſimplicibus, ſubrubris: foliis Vrticæ; ideo Vrtica mortua, & innoxia à quibuſdam vocatur. hyeme macula quædam alba per medium folium diſcurrit; aduentante vere flores fert inter folia ſubrubentes, grandiuſculos, in quibus mellea quædam dulcedo ineſt: hi veniunt in cibos inter acetaria. vtuntur ſucco foliorum per ſe poto vel cum aceto ad præcordia tumida, obſtructiones tum Lienis, tum Iecinoris. Plinius inter Vrticas Lamium vocari inquit Vrticam innoxiam, morſu carentem: album habet in medio folio, quod ignibus ſacris medetur, contuſis, inuſtis, ſtrumis, tumoribus, podagris, vulneribus. alibi eamdem videtur intelligere, cum Leucem vocat Mercuriali ſimilem, per medium folium candida linea tranſcurrente; vnde Meſoleucon dicta eſt: fiſtulas ſanat,

& Carcinomata. Quid si hanc eamdem apud Dioscoridem dicamus Leucadem esse? quamuis non describatur. inquit enim Leucas montana latioribus foliis quam vrbana est; semine acriore, amariore, ori ingrato. efficacior tamen quam vrbana. vtraq; ex vino contra animalium venena præcipue marinorum opitulatur. erit autem Leucas montana quædam congener prędictæ in montibus: floribus subluteis: foliis longioribus, & in acutum magis productis: alia angustioribus foliis, quasi Mercurialis. extat & in ruderibus, ac locis aridis quoddam genus exiguum: foliolis candidioribus, hirsutioribusque: flosculis tenuibus, purpurascentibus, aliquando candicantibus: nulla tamen earum albam maculam habet in folio præter prædictam, quæ vrbana est. quædam iuxta parietes non dum exacta hyeme floret. tenui cauliculo, simplici, foliolis sine pediculo caulem cingentibus, rotundis, & serratis: in summo cauliculo veluti capitulum inest, in quo flosculi tenues, oblongi, colore nigrantis Rosæ.

CAP. XXXII.

VERBENA vulgò appellata, vbique secus vias, & in ruderibus nascitur: duobus, aut tribus ab eadem radice caulibus, cubitalibus, in quibus pauca folia sunt Quercui similia, sed inæquales habentia scissuras, gustu amara: summi caules finduntur in plures ramulos, tenues, in quibus veluti festucis nudis flosculi sunt exigui, purpurascentes; & fructus valde parui: diutius floret per totam æstatem: celebris est ad multos morbos præcipue ad obstructiones viscerum: sunt, qui ad Hydropen puluerem foliorũ propinent felicissimo successu. Dioscorides Hicrobotanen idest herbam sacram vocari tradit, quia multum ad Amuleta, expiationesque commendetur: alij Peristercon supinam, quam in hunc modum describit: ramulos emittit cubitales, aut maiusculos, angulosos; in quibus folia ex interualliis sunt Quercus, sed minora, angustioraque, eisdem diuisuris in ambitu, colore aliquantum glauco: radix modice longa, tenuis: flores purpurei, graciles. Plinius Verbenacam à Romanis appellari tradit. at Verbena apud ipsum & Sanguina gramen significant ex loco sacro; vnde per abusum omnes frondes sacræ Verbenæ appellantur. de hac autem inquit nulla plus habet Romanæ nobilitatis, quam Hierobotane: hãc legati ad hostes ferunt: hac Iouis mẽsa veneratur domus purgatur, lustraturque. Genera eius duo; foliosa fæmina; mas rarioribus foliis. vtriusque ramuli plures, tenues, cubitales, angulosi: folia minora, quam Quercus, angustioraque, maioribus diuisuris, color glaucus: radix longa, tenuis: nascitur vbique in planis aquosis. Quidam non distinguunt, sed vnum omnino genus faciunt;

quoniam

quoniam vtraque eosdem effectus habet. vtraque sortiuntur Galli, & prę cinunt responsa: sed magi vtique circa hanc insaniunt, ac perunctos impetrare, quæ velint: febres abigere; amicitias conciliare; nullique non morbo mederi. est autem fæmina, quam modo descripsi.

CAP. XXXIII.

ALTERVM genus, quod Mas apud Plinium intelligitur, & Peristereon recta apud Dioscoridem, siue Verbenaca recta, non nisi in humidis nascitur, & foueis: vnico ab radice caule, recto, ac simplici vsque ad æstatem, altitudine dodrantali, aut paulo maiore; in quo folia frequentia, Quercui magis similia, quam supradicta, scissuris profundioribus, quasi Cerri, colore subalbido, subhirsuta: foliorum scissuræ aliquando adeo profundæ sunt, vt ad medium neruum accedant: post mediam æstatem caulis in ramos finditur, similiter simplices, ac foliosos, cubitales, amplioresque, in quibus per interualla parui sunt verticilli, vt in Marrubio inter folia: flosculis candidis. hæc minus amara, & magis siccans, quam Verbena. Dioscorides describit tantum primam eius ætatem antequam in ramos findatur his verbis. Peristereon nascitur in aquosis: nomen impositum à Columbis; quia circa hanc libenter versantur; herba est altitudinis palmi, interdum amplius adolescit: folia incisa, & subalbida, ex caule erumpentia: vt plurimum vnicaulis, & vnica radice constans reperitur. eius vsus extrinsecus ad veteri dolores, erysipelata, vlcera putrida, & vulnera glutinanda; Galenus hanc tantum meminit. Peristereon rectam vocans: vim habet adeo siccantem, vt vulnera glutinet; dolores capitis omnium maxime discutit, & perfecte corroborat, maxime viridis, imo & arida in oleo incocta cum radicibus & Serpillo.

CAP. XXXIIII.

TERTIOLA vulgò appellata; quia tertianas sanat, in eisdem locis nascitur, vbi Verbenaca recta, scilicet in scrobibus humectis: vnico caule, simplici, ac recto, bicubitali, quadrato; in quo per interualla, folia sunt angusta, & oblonga, quasi Salicis, rugosa, & aspera: in cacumine flores fert purpureos, veluti in spica longa.

CAP. XXXV.

SIDERITIS Herculea locis incultis & sabulosis nascitur, similis Chamędri, candidior: multis ab eadem radice cauliculis, simplicibus, dodrantem non excedentibus, orbiculis inter folia pungen-

tibus : flosculis ex purpureo candicantibus : sapor inest subamarus, multum exsiccans. Alterum genus altius, ac viridius, paucioribus cauliculis : foliis rarioribus, maioribus : in summis cauliculis veluti in spica flores cingunt in orbem per interualla sublutei. Duæ aliæ in vineis nascuntur vnicaules, ramosæ : paucis foliis, angustioribus, oblongioribus : verticillos inter folia ferunt; in quibus flores purpurei, vel albicantes. omnium folia tenuiter serrata sunt, ac rugosa, specie Saluiæ, aut Marrubij, odore non insuaui : semina nigra : nulla tamen pungit præter primam. Dioscorides hoc modo describit : folia habet Marrubij, sed longiora, satis ad frondem Quercus, aut Saluiæ accedentia, minora tamen, & aspera: caules edit quadratos, dodrantem altos, aut etiam maiores, non iniucundi gustus, & aliquantum subastringentis; in quibus per interualla orbiculatæ vertebrę, vt in Marrubio spectantur : & semen in eis nigrum; nascitur in petrosis locis. Aetius putari inquit Alysson eamdem esse cum Siderite Herculea, vt superius in Alysso ostendimus : forte quia orbes pungentes in Siderite Herculea sint, vt in Alysso.

CAP. XXXVI.

HEDERA terrestris vulgò appellatur herba, quæ vere à radicibus tenuibus, Graminis modo repentibus, plures attollit cauliculos, dodrantales, simplices; in quibus folia Marrubij, rotunda, figura Hederæ, & circumserrata, viridia; inter quæ flores purpurei, ad cæruleum vergentes, oblongi, & in extremo patuli, pulchro aspectu : odor toti plantę acris, non insuauis; sapor amarus, & subacris. A æstate cum florere desinit, iidem cauliculi in terram procumbunt, repuntque in multam longitudinem: foliis multo amplioribus nascitur iuxta sepes & in aggeribus, & iuxta flumina : efficax ad purulentos, & phthisicos. educit enim sputa & siccat internos abscessus. in vsu sunt cauliculi florentes in puluerem redacti, aut herbæ decoctio, item aqua per sublimationem extracta : laudant & in peste : non dubito hanc Chamæcissum esse apud Dioscoridem, si vnum Verbum μακρὸν id est longum, legatur μικρὸν id est paruum : cætera enim optime quadrant : nam inquit : Chamæcissus folia habet similia Hederæ, minora, ac tenuiora : ramos dodrantales ab radice, quinque, aut sex foliosos : flores Leucoiis similes, minores, valde amaros gustu : radicem tenuem albam, inutilem : nascitur locis cultis; folia sanant Ischiadicos tribus obolis pota in aquæ cyatis tribus, diebus triginta, aut quadraginta : eodem modo ad morbum regium dantur sex aut septem diebus. Galenus florem videtur assumere: inquit enim Chamęcyssi flos, cum sit admodum amarus, iecur obstructione liberat : sunt, & qui ipsum Ischiadicis exhibeant. ex quibus coniicio floren-

florentem colligi, vt folia cum floribus assumantur: idcirco non descriptos à Dioscoride caules humi procumbentes. Altera enim omnino videtur planta numquam florens. Alterum est Genus Chamæcissi, cui copiosior est flos in cauliculis dodrantalibus, veluti in spica, amarior, inter foliola Hederacea, nequaquam serrata absque pediculo hærentia: ab imo ad summum vsque flosculos cęruleos cõplectentia, vere ineunte: hi cauliculi perfecto semine inarescunt: viuit autem planta aliis cauliculis, humi serpentibus, rubris; in quibus folia insunt, figura Betæ, minora, parum serrata, ex aduersa parte rubra: his foliis vtuntur per se impositis ad vlcera tibiarum: vulgò appellant Laurentinam, alij herbam Sancti Laurentij, alij Consolidam mediam: Plinius hanc intellexit, cum inquit: Chamęcissos spicata est, Tritici modo, ramulis quinis fere foliosa: cum floret existimari potest alba Viola: radice tenui, cuius bibunt Ischiadici folia admodum amara potione. Alibi Hederam inquit esse non attollentem se à terra, quę contusa in vino acetabuli mensura lieni medetur: folia ambustis cum axungia. Quo loco priorem videtur intelligere, cuius caules foliis Hederę repunt in terra.

CAP. XXXVII.

PRVNELLA à recentioribus vocatur, aliis vulgò Morella, & herba Mora, aliis Consolida minor, herbula in pratis: multis ab eadem radice cauliculis, humi procumbentibus, dodrantalibus: foliis Ocymi, acuminatis, in primo ortu rubentibus: summis ramis insident spicæ breues, & compactæ, veluti capitula oblonga, in quibus flores purpurascentes: huius folia tenella cruda comeduntur in acetariis: Cataplasmate imposita suppurant carbunculos, & vulnera glutinant: succus cum rosaceo & aceto temporibus illitus vehementes capitis dolores sedat: vlcera faucium & oris persanat. Quædam locis asperis & saxosis nascitur hirsutior, & breuior: foliis prope pediculum incisis: capitulis antedictæ; sed floribus candidis. Apud Dioscoridem Polycnemon appellatur frutex surculosus: foliis Origani: caule, vt Pulegij, geniculis multis intercepto, sine vmbella: tenui tamen in cacumine corymbo, odoris acuti cum quadam iucunditate. Vulneribus glutinandis, recens, aut aridum cum aqua efficaciter imponitur, sed quinto die solui debet: ad vrinę stillicidia, ruptaque cum vino bibitur. Plinius inquit: Polycnenon Cunilę Bubulæ similis est: semine Pulegij: surculosa, multis geniculis, corymbo odorata, acri, & dulci odore; Quę ferro factis vulneribus conmanducata imponitur: quinto die soluitur. Non absimilis est descriptio apud eumdem Plinium Cunilę Bubulæ: inquit enim semen Pulegij, habet vtile ad vulnera, conmanducatum, impositumque,

tumque, vt quinto post die soluatur. Puto autem ipsum intelligere herbam Origano vulgari similem, orbibus per interualla Marrubij, seu Pulegij: flosculo subrubente: oritur in collibus, & vineis: sapor inest glutinosus sine odore. accipitur tamen aliquando pro Origano.

CAP. XXXVIII.

ALIA est: exilioribus ramulis: ac foliis angustioris Calamenti: floribus per interualla, vt Pulegij, sed sine odore, ac sapore. Quidam Clinopodium putant: Ego apud Paulum Betonicam primo descriptam puto: inquit enim herbam esse: ramulis exilibus, Pulegio similibus, sed tenuioribus, & propemodum si gustes, nullam qualitatem referentibus: nascitur potissimum locis petrosis: qua & in renum medicinis vtuntur. Est autem apud Romanos inquit alia quædam Betonica dicta, quam Dioscorides nominat Cestron: Hæc nihil simile cum prædicta habet præter actionem.

CAP. XXXIX.

CLINOPODIVM in crepidinibus saxorum nascitur, & ędificiis, alibi nequaquam; frequens in Pisano monte Sancti Iuliani: fruticulus est tenuis, ac lignosus: rectis ramulis; quos per interualla cingũt foliola tenuissima, Serpillo angustiora, frequẽti numero constipata, vnà cum flosculis purpurascentibus, vt triclinij columnulas torno intersectas repræsentent: odor inest non insuauis, & sapor subamarus, ac subacris. quidam pro Hyssopo montano accipiunt. Dioscorides inquit de Clinopodio: frutex est foliis Serpilli, surculosus, duum dodrantuma altitudine: nascitur in petrosis: flores Marrubij modo ex interuallis distincti, speciem pedum lecti præbent. Plinius eisdem fere verbis describit: Clinopodium Serpillo simile, surculosum, palmi altitudine: nascitur in petrosis: orbiculato florum ambitu, speciem lecti pedum prębens.

CAP. XL.

CHAMAEDRYS in locis saxosis, & incultis nascitur: multis ab eadem radice cauliculis, simplicibus, rectis, dodrante breuioribus: foliolis circum serratis, figura Quercus, sed multo minoribus; vnde vulgò Quercula appellatur imitatione Græci nominis: flosculos inter folia fert purpurascentes: tota gustu amara, & odore medica-

to

to prędita : febrifuga à quibusdam vocatur; nam puluis drachmæ pondere ex aqua haustus tribus diebus fugat tertianas,& febres longas. Dioscorides Chamædrys inquit à Græcis, à latinis autem Trissago appellata, nascitur in petrosis, & asperis : frutex dodrantalis : foliis exiguis, amaris, effigie, & diuisura Quercus : flore paruo, penè purpureo; carpitur semine pręgnans. Theophrastus Trissaginis inquit folia ad rupta, vulnera, in oleo trita valent, & ad depascentia vlcera : fructus bilem extrahit, & oculis quoque beneficus est : folium ad albugines tritum in oleo prodest : habet hæc herba : folia Quercus,& statura vix palmum excedit, & odorata atque suauis est. sed partes omnes herbę eiusdem minime ad idē vtiles esse non videatur forte absurdum; radicis vero eiusdem partem vnam superius, alteram inferius purgare mirabilius sit. Plinius folia scribit magnitudine Mentæ, colore & diuisura Quercus: alij inquit serrata tradunt, & ab ea serram inuentam : flore penè purpureo.

CAP. XLI.

TEVCRIVM in crepidinibus saxorum nascitur, locis calidis: virgis cubitalibus, lignosis : foliis Chamędreos, amplioribus : floribus candidis in summis virgis, velut in spica inter foliola parua, odore medicato, & sapore amaro, vt Chamędrys. Alterum genus in montibus prouenit, ramosius, ac breuius : foliis virentioribus, densius serratis, latioribus, inter quæ flores albos fert. Dioscorides Teucrium inquit, quidam Chamędrym vocant, herba est virgarum specie, similis Chamędry tenui folio : habens folium simile Erebintho idest Ciceri (sed forte legendum Therebintho, folium enim crassum est, amplitudine folij Therebinthi) placet & hic verbum tenui folium Chamędry coniungere non Teucrio, vt vulgaris lectio habet : cum enim Chamędrys commune nomen sit Teucrio tamquam maiori, & Trissagini, tamquam minori, tenuifolia hæc cognominata est ad differentiam Teucrij, cui folium tum crassius, tum latius. Patet autem id ex Plinio, qui de Teucrio scribens inquit : quidam ramis Hyssopi tradunt surculosam, folio Fabæ : colligi florentem, adeo florere non dubitant. sed aliam tradit eodem nomine, quam quidam Hemionion vocant spargentem iuncos tenues; folia curua; asperis locis nascentem, austero sapore, numquam florentem, neque semen gignit : hanc Dioscorides Hemionitim vocat, de qua suo loco dicetur.

CAP. XLII.

SCORDIVM in paluſtribus naſcitur, montoſis, altior, & ramoſior Chamædri: foliolis breuibus, ſubcandidis: floſculis inter folia ex candido purpuraſcentibus: tota odorem quendam Allij præſefert, celebris herba aduerſus venena, & peſtem: naſcitur & in planis: ampliore folio, Mentaſtro proximo: minus efficax. Dioſcorides inquit in montibus, & paluſtribus naſcitur: foliis Triſſaginis, maioribus, non ſic in ambitu diuiſis, aliquantum Allia redolentibus, guſtu amaris & aſtringentibus: caulibus quadrangulis: ſubrubro flore. Plinius Scordotim, & Scordium vocat, Mitridatis manu deſcriptam, magnitudine cubitali, caule quadrangulo, ramoſam; foliis lanuginoſis, Quernæ ſimilitudine; reperiri in Ponto campis pinguibus, humidiſque, guſtus amari. eſſe & alterius generis: latioribus foliis, Mentaſtro ſimilem: vtramque ad plurimos vſus per ſe, & inter alia in antidotis. Galenus non ſolum in Creta optimum reperiri teſtatur, ſed & in aliis multis regionibus: repertum cadauera in bello, quæ forte ſuper Scordium iacuiſſent, multo minus computruiſſe, qua parte Scordium tetigiſſent: inde excogitatum tam putrefacientibus animalium venenis, quam medicamentorum deleteriis Scordium aduerſari.

CAP. XLIII.

CHAMAEPYTIS, quam vulgò Iuam vocant, locis aſperis naſcitur: multis ab eadē radice cauliculis, fruticantibus, rectis, palmum altis; in quibus frequentia ſunt foliola, tripartito diuiſa, tenuia, & oblonga, mollia, & hirſuta: inter quæ floſculi ſunt lutei: fructus ſubrotundi: ſemine turgidi: tota odorem Pini refert. Altera maior appellari poteſt, peregrina apud nos, ramoſa: caulibus humi procumbentibus, incuruis, ſemicubitalibus, longioribuſque: foliis, & floribus rarioribus, in cæteris ſimilis prædictæ. Dioſcorides deſcribit repentem in terra, ſubcuruam: foliis Semperuiui minoris, multo tenuioribus, hirſutis, & pinguioribus, circum ramos frequentibus, odore Pinus, flore tenui, luteo, vel candido: radicibus Cicorij: hæc deſcriptio illi conuenit, quam maiorem dixi, at flore candido non dum viſa eſt. Duas præterea alias tradit: ſecundam cubitalibus ramis, in ancoræ ſpeciem incuruis, prætenuibus; coma ſupradictæ: flore candido: ſemine nigro: hæc etiam Pinum redolet. Tertiam, quę Mas nominatur, parnulam: foliis exilibus, albis, hirſutis: caule aſpero, candido: floſculis luteis: ſemina iuxta alas: reſipit & hæc Pinum: hę duę vim ſuperioris

obtinent,

obtinent, sed non vsque adeo efficacem. Harum autem tertia optime quadrat nostræ Iuę vulgari, quam primo loco descripsi; Quæ autem ostendi possit pro secunda incertum est, nisi forte ea fuerit, quæ à quibusdam Chamędrys fæmina appellatur, valde ramosa: tenuibus cauliculis, in latitudinem fusis, cubitalibus: foliis non tripartito, vt prædictæ, sed multipartito diuisis: flosculos fert in purpura cādicantes inter folia: semina in turgidis folliculis nigra: tota odorata est non absimili odore, & amara. Plinius Chamępithys inquit, Latine Aiuga appellatur, diciturq; propter abortus; ab aliis Thus terræ: cubitalibus ramis: flore Pinus, & odore: Altera breuior, & incuruę similis. Tertia eodem odore, & ideo nomine quoque: paruulo cauliculo, crassitudine digitali: foliis scabris, exilibus, albis; in petris nascens; vbi per digitalem crassitudinem caulis videtur intelligere, non nudum cauliculum, sed suis foliolis circum obductum.

CAP. XLIIII.

POLIVM Montanum, quidam Iuam Arteticam vocant, nascitur in collibus incultis, & saxosis: herba valde cana multis ab eadem radice ramulis, lignosis, dodrantalibus, humi sparsis; in quibus foliola oblonga, & angusta, ęquiter circum denticulata, molli lanugine hirsuta: cacuminibus veluti flocci lati insunt, lanuginosi, in quibus flosculi continentur candidi: tota planta odore constat medicato, non iniucundo, sapore amaro. Theophrastus Polio tribuit folia carnosa; quia pulpa constant, perpetue virentia: valere contra vermiculos noxios vestimentis interpositum, culices gignere, cum copiose frutificat: ad omnem rem seriam, & magnifaciendam, & famam, effodi noctu, tabernaculo structo Hesiodo & Museo authoribus. Dioscorides duo genera tradit Montanum, cui Teuthrio nomen est, & cuius est vsus: tenuis frutex est, candidus, dodrantalis, semine refertus; capitulo in cacumine, quādam corymborum speciem præseferente, paruo, similis cano hominis capillo, grauiter olente, non sine quadam suauitate. Alterum fruticosius non adeo valens odore, & viribus infirmius. Plinius Polium inclitam herbam esse Museī & Hesiodi laudibus ad omnia vtilem, & prorsus miram, si, vt tradunt, folia mane candida, meridie purpurea, sole Occidente cærulea aspiciuntur (sed hanc colorum varietatem Dioscorides non Polio, sed Tripolij floribus tribuit.) duo esse genera, campestrę maius; syluestre minus: quidam Teuthrion vocant: folia canis hominibus similia, à radice protinus, numquam palmo altior. Galenus inquit amarum est gustanti, & modice acre, ad viscerum obstructiones, vrinam, & menses: viride glutinat vulnera magna, maxime species eius fruticosa:

aridum vlcera maligna sanat, præcipue minus: minus, quo vtimur ad antidota, & acrius, & amarius est, quam maius. Porro nos in montibus alterum genus reperimus, exilius prædicto: paucioribus, ac tenuioribus ramis: foliolis breuioribus, subrotundis, non denticulatis, odore valido. Aliam adhuc exiliorem in locis asperis, & montosis nascentem habemus: foliolis Rosmarini Coronarij, breuioribus, superne viridibus, inferne candidis: capitibus Polij: flore candido, sed odore infirmo, sapore amaro; radice exili: hanc quidam Symphitum Petręum putant. De Polio campestri, quod nam sit, alio loco traditur.

CAP. XLV.

ROSMARINVM Coronarium frutex est fere arboreus, qui in hortis colitur: sponte autem nascitur in Ilua locis asperis: ramis cōstat multis, crassis, scabroso cortice, à quibus virgæ rectæ, ac tenues assurgunt, foliosæ, foliolis angustis, & oblongis, duris, superne viridibus, inferne candidis, odoratis, sapore suaui, subdulci, & acri, ideo recipiuntur in condimentis: non floret nisi valde prouecta ætate post multos annos, flores cæruleos fert, copiosos, totis virgis, racematim, ex medio foliorum prodeuntes: hi valde grati Apibus; nam optimum ex his mel eliciunt, quale est Hispanicum. semina subrubentia, tenuia in paruis folliculis; non tamen iis seritur, sed ramulo. Dioscorides Libanotim Coronariam vocat, quæ à Romanis Rosmarinum dicitur: dicta autem est Libanotis ab odore Thuris, quem refert: ramos inquit fert tenues: & circa eos folia minuta, densa, longa, exilia, subter incana, superne virentia, grauiter odorata: at hęc longe differt ab alia Libanotide, quæ in genere ferulaceo recenseturi; sed apud Theophrastum, & Plinium de Libanotide loquentes, miror non fieri mentionem Coronariæ, nisi genus sterile hanc intelligant, vt coniectura est apud Plinium, qui Rosmarinum tradit seri propagine, & auulsione, vt Sabinam: amplius ramo; quoniam neutri semen; quæ conditio nostro Rosmarino inest; quamuis enim floreat, raro semen perficit, quod si perficiat, sterile iudicatum est; quia aut non proueniat, aut cum difficultate, facillime autem ramo. At Theophrastus sterilem Libanotidem describit: folio Lactucæ amaræ, scabriore, candidiore: radice breui, quæ purgat superius, & inferius: prohibet & vestibus interposita vermiculos noxios: colligitur per messem Tritici: nascitur vberrime solo squalido, & saxoso. Eamdem ex Theophrasto tradit Dioscorides cum Erica nasci: foliis Lactucę syluestris amatæ, asperioribus, candidioribus; radice breui. Puto autem Rosmarinum syluestre intelligi: oritur hoc in Ilua locis saxosis, vt Coronarium: ramis tenuioribus, ab eadem radice multis, candidis; quadratis;

dratis: foliis per interualla binis, Oleæ figura, inferne candidis, superne viridibus: floribus in alis foliorum Rosmarini Coronarij, grandioribus, colore permixto ex cæruleo & candido, odor foliorum Polio proximus. Comparatio autem cum foliis Lactucæ amaræ quadrare possit tum sylvestri Rosmarino, tum Coronario, si per Lactucam amaram intelligamus Tithymalum; nam Tithymalus ob lactis copiam Lactuca quoque appellata est: constat autem Tithymalus alius folio Oleæ, alius longe angustiori, vt Marittimus, & Cyparissias. tradit tamen Dioscorides Libanotidem sterilem ab his longe diuersam, in omnibus quidem similem fructiferæ, sed neque caulem neque florem, neque semen ferentem: sed hæc huc vsque incomperta est.

CAP. XLVI.

SPICA Italica densus est frutex opere Topiario, hortorum vallis commodus, modo per se modo cum Rosmarino: foliola fert mollia, candida, subhirsuta, Rosmarino longiora, numerosa, suauiter olentia, gustu amara: hæc hyeme vicem florum exhibent; ac priuatim Lauanda vulgò appellatur; quoniam lauacris odoratis expetitur: aduentante vere, rami attolluntur: foliis amplioribus, longioribus, ac magis virentibus: in cacuminibus spicas ferunt longè à foliis distantes, odore pleno, ac suaui. Spicæ autem in nouellis plantis breuiores sunt, adultioribus grandiores, magnitudine spicę Tritici; flores purpureos: semine intus minutissimo, subnigro, oleoso, vnde per sublimationem extrahitur oleum odoratissimum, valde nares feriens, quo vnguentarij vtuntur: seritur ramo: nascitur & sponte in Massiliensi agro, & Hispania, oris Mediterraneis. Plinius Pseudonardum vocat, qua herba Nardus Indica adulteratur: hęc inquit vbique nascitur: crassiore, & latiore folio, & colore languido, in candidum vergente. Extat & genus sylvestre, locis asperis gaudens, breuius, minus candicans: spica breui, densa & crassa; in cuius cacumine foliola quædam sunt purpurea, veluti flos, odor infirmior, copiosa est in collibus Pisanis, & Ilua: Sticados vulgo vocatur, apud antiquos Stœchas ab insulis Stœchadibus prope Massiliam, vt Dioscorides tradit: rectius Stachys appellari debuisset, quasi spica. Videntur autem Antiqui sylvestre tantum genus nouisse nomine Stœchadis, vt ex descriptione patet apud Dioscoridem in hunc modum: herba tenuibus surculis: coma Thymi: longiore folio: subamara gustu, & aliquantum acris. Plinius inquit Stœchas in insulis tantum eiusdem nominis gignitur, odorata herba: coma Hyssopi, amara gustu. Mesues Arabicum prefert: est planta inquit tenuibus foliis, oblongis, tenui caule, cubitali, cinerei coloris: fert flores similes spicis Sili-

ginis, breuiores sine semine: melior pars Plantæ est flos, deinde folia: purgat atram bilem, & pituitam. hæc descriptio non abhorret à nostra Spica domestica: Altitudo enim cubitalis, & spicæ Siliginis, quæ Tritici species est, domesticæ magis conuenit, quam sylueſtri. hinc coniicere licet ex Arabia primum in Italiam translatam fuisse, nec antea notam.

CAP. XLVII.

THYMVM Creticum aliquando vixit apud nos frutex lignosus: frequentibus ramulis: foliolis angustis, vt Satureiæ, duris: in summis ramulis breues spicæ insident, & compactæ, minores Stœchade; flosculis purpureis: tota planta acris, & odorata. Dioscorides describit surculosum fruticem: exilibus foliis, multis, & angustis circundatum: capitulis in cacumine flore purpurascente refertis: gracili solo, & petroso prouenientem. Theophrastus Thymum succo acri constare testatur: eius duo genera tradit, candidum, & nigrum: sero ad modum florere; nam circa solstitium incipit. Mel apes hinc colligere, vnde proba vel mala mellatio speratur: semen nullum ostendit; sed floribus quodamodo permixtum: nam serunt flores, & prouenit: quo flatus è mari nequeat peruenire non nasci, neque durare posse. perit flos, si imber incesserit. Plinius Thymum inquit colligi oportet cum flore, & in vmbra siccari: duo genera eius candidum: radice lignosa: in collibus nascens, quod & præfertur: alterum nigrius, florisq; nigri: mellis prouentum sperant Apiarij large florente eo: hinc mellis Attici in toto orbe summa laus existimatur, translatum est ex Attica Thymum, & vix; nam flore seritur, cui & alia ratio naturæ obsistit, non durante Attico Thymo nisi in afflatu maris seratur; erat quidem hæc opinio antiqua in omni Thymo, ideoque non nasci in Archadia: at nunc inquit etiam lapideos campos in prouincia Narbonensi Thymis refertos scimus: hoc penè solo reditu è longinquis regionibus pecudum millibus conuenientibus, vt vescantur: hęc Plinius. At hoc genus Thymi, quod in Narbonensi nascitur diuersum est: Thymumque hodie à quibusdam appellatur, ab aliis Piperella, à Dioscoride, vt puto serpillum rectum, vt suo loco patebit. Actius admonet pænitus à nigro Thymo abstinendum, Elleboro appellato: corruptoriam enim vim habet, & bilem generat; vtendum autem eo, qui florem purpureum habet ex natura, & album, quid amplius complectitur. Arabes vocant Hasce, quod aliquando interprætes conuertunt Hyssopum, vt apud Mesuē videre est; nam in hunc modum describit: est Planta multis cauliculis, tenuibus constans, altitudine dimidij cubiti: foliis minoribus Origano, quę in cacuminibus caulium tenuiora redduntur, declinantia ad purpureum,

capi-

capitula quædam crassa constituentia: eius flos Calamento similis ad rubedinem declinans: & planta eius est mater Epithymi.

CAP. XLVIII.

THYMVM Italicum in collibus nascitur petrosis, & incultis, nõ procul à mari: scatet eo mons Sancti Iuliani in agro Pisano: inde transfertur in viridaria: suffrutex lignosus: ramis dodrantalibus; foliis Satureiæ, maioribus, gustu mordaci, odoratis: flores fert inclinante æstate candidos, aut modice purpurascentes inter folia, non in capitulis coactos, sed veluti in spica solutos: constat perpetuo folio: in hac Epithymum reperitur. Hanc videtur intellexisse Dioscorides, cum de Epithymo loquitur, inquiens; florem esse Thymi durioris, quod est Satureiæ simile. Et genus albi Thymi, quod Aetius eligendum præcipit, cui flos purpureus est ex natura, & amplius album quid complectitur. & Plinius candidum; radice lignosa; in collibus nascens, quod & præfertur: eidem florem album tribuit, cum de Epithymo loquens ait: Epithymum est flos Thymo Satureię simili; differentia quod hic herbaceus est, alterius autem Thymi albus. significat enim Satureiæ florem, herbaceum esse, vt testatur Dioscorides, Thymi autem Epithymum ferentis album.

CAP. XLIX.

SATVREIA herbula est valde acris, & mordens, odorataque, in cõdimentis quæsita, placet præcipue cum Cicorio: oritur locis aridis, ac sabulosis, non nisi in mediterraneis, procul à mari: cauliculo palmari, ramoso, subhirsuto: foliolis angustis, & oblongis, per interualla binis; inter quæ flores fert purpurascentes, prope cacumina, non continua spica, sed veluti capitulis herbaceis interseptos: cum semen perfecerit, tota subpurpureum colorem contrahit, & tandem exarescit in autumno: renascitur autem semine singulis annis in vere: colligitur æstate, siccataque in vmbra seruatur ad vsus abiectis lignosis ramulis: nuper genus quoddam hortense allatum est sub nomine Hyssopi: altiori caule: foliis similibus, paulo longioribus. Dioscorides Thymbram vocant: gignitur inquit in asperis locis, & tenui solo, Thymo similis, minor tamen, & tenerior, ferens spicam herbaceam, flore plenam. Eadem potest, quę Thymum eodem modo sumpta, amplius in vsu sanitatis vtilis. Est etiam nunc satiua Thymbra, in omnibus agresti minor, vtilior autem in cibis ob mitiorem acrimoniam. Theophrastus inter suffrutices recenset, succo acri, à satu plus quam triginta dies dari, antequam

tequam proueniat: ſemen vetus celerius prouenire: ſylueſtrem acriorem: foliis minoribus: caulibus ſcabrioribus; in quibus videtur aliqua ex parte à Dioſcoride diſſentire, qui ſatiuam in omnibus minorem ſcripſit. idcirco Paulus Aegineta ex Dioſcoride quaſi ad verbum tranſcribens inquit: Thymbra agreſtis quidem eadem, quę Thymum, præſtat: hortenſis autem in omnibus quidem imbecillior, ſed ad cibum laudatior: vbi verbum in omnibus minorem interprætatus eſt, in omnibus imbecilliorem. Plinius de Thymbra inquit, Cunilam vocari apud Latinos, & nomine alio Satureiam in condimentario genere: ſeri menſe Februario Origano æmulam: numquam vtrumque addi, quippe ſimilis eſt effectus: ſed Cunilę Aegyptium Origanum tantum præfertur: præter ſatiuam Cunilam, plura ſunt genera in medicina. Hęc Plinius. Columella Thymbram condimentarij generis eſſe, quę Cunila tranſmarina eſt: Satureiam quoque à nonnullis Thymbram vocari docuit, & eſſe Cunilam noſtratem, quam noſtri Satureiam nominant, colore floris purpureo, vt Thymbram, herbaceo. Ex quibus conſtat ſylueſtrem, quæ apud nos ſponte naſcitur, priuatim Satureiam appellatam fuiſſe, & Cunilam noſtratem: hortenſem vero Cunilam traſmarinam, & communi nomine Thymbram.

CAP. L.

HYSSOPVM vulgò appellatur ſuffrutex odoratus, ſimilis Thymo Italico: ſimplicioribus caulibus: foliis latioribus, longioribus: floribus cęruleis in ſpica ſimiliter ſoluta: ſapor ſubdulcis ineſt, & obſcure acris: ſeritur apud nos in hortis: oritur tamen & ſponte in montibus, locis ſaxoſis. non audeo hanc aſſerere Hyſſopum antiquorum ob ſaporem: numeratur enim inter valenter diſſecantia medicamenta, cum Origano Serpillo, Thymo, ac cæteris huiuſmodi; præter alia indicia, quæ ex cæteris attributis aſſumi poſſunt, vt loco ſuo patebit. magis autem videtur cum Symphyto Petręo conuenire: inquit enim Dioſcorides, Symphytum Petræum in ſaxis naſcens, ramos habet Origani: folia tenuia: capitula Thymi: totum autem lignoſum eſt, & odoratum dulce guſtui, & Saliuam ciens: radicem autem habet longam, purpuraſcentem, craſſitudine digitali. Plinius Alum inquit nos vocamus, quod Græci Symphytum Petræum, ſimile Cunilæ bubulæ: foliis paruis: ramis tribus, aut quatuor à radice, cacuminibus Thymi, ſurculoſum, odoratum, guſtu dulce, ſaliuam ciens: longa radice, rutila: naſcitur in petris; ideoque Petræum cognominatum. Illud ſolum ambiguitatem faciat, quod capitula Thymi tribuuntur; non enim cum Thymo Cretico, ſed potius cum Italico ſimilitudinem gerit cacuminibus.

CAP. LI.

AFFERVNTVR ex Orientalibus sub nomine Origani Cretici cacumina quædam, veluti vmbellę ex capitulis multis constantes, similes Maioranæ, colore candicante, sapore acerrimo, odoratæ: quibus satis prouenit planta in genere suffruticis; multis ab eadem radice virgis, semicubitalibus, lignosis: frequentibus; foliolis, nostro Origano tenuioribus, subcandidis: flosculos fert in squammosis capitulis candidos: alterum genus vixit aliquando apud nos: capitulis magis sparsis, tenuioribus, longioribus, nec adeo compactis. Dioscorides tria Origani genera tradit: primum Heracleoticum cognomine, quod & Cunilam vocant, folium inquit habet Hyssopo non dissimile: vmbellam autem non in rotæ speciem orbiculatam, sed veluti multifidam: semen in summis virgis haud quaquam densum: excalfacit, & quę sequuntur. secundum genus Onitis vocatur, de quo inquit Dioscorides: candidiore est folio, & Hyssopo similior: semen veluti coniunctos corymbos habet: vis ei Origani Heracleotici sed multo infirmior. Tertium syluestre Origanum, aliqui Panaces Herculeum; alij Cunilam vocant: foliis constat Origani: ramulis tenuibus, dodrantem altis; in quibus vmbellæ Aneti insunt; flores candidi; radix tenuis, superuacua. Hæc vt Galenus inquit, vtraque efficacior est. ex quibus patet quod ex Creta affertur syluestre genus esse, aut Onitim: alterum autem Heracleoticum. Theophrastus inter suffrutices numerat perpetue virentes: cacumine inquit perdurat amissis reliquis: succo acri constat: prouenit germine: genus nigrum sterile constat: candidum, fructuosum est: antequam proueniat, dies plusquam triginta dantur: semen vetus celerius prouenit. syluestre: foliis minoribus: caulibus scabrioribus constat, acrius. Plinius modo inter Cunilas recenset: nam Cunila bubula, aliquando vertitur ab eo, quod Origanum apud Grecos: aliquando aliam plantam significat semine Pulegij constantem, de qua nos alibi diximus. est præterea alia Cunila inquit Gallinacea à nostris vocata, à Græcis Origanum Heracleoticum: modo per se de Origano loquens inquit: Origanum quod in sapore Cunilam æmulatur (idest Satureiam) plura genera in medicina habet. Onitim non dissimile Hyssopo: deinde Tragoriganum, & Heraclium: de quibus in Tragorigano dicemus.

CAP. LII.

ORIGANVM Italicum, vulgò Regamum vocatur: oritur in collibus, locis incultis, & saxosis: caulibus ab eadem radice tribus, aut quatuor, duorum dodrantum longitudine: foliis sub

rotundis,

rotundis, pollicis latitudine, in acutum desinentibus, hirsutis: in cacumine veluti vmbellam fert, latam, ex tenuibus quibusdam & squāmosis constantem apicibus: flore purpurascente: sapor inest cacuminibus sub acris, & odor Origani: folia fere insipida sunt: vtuntur cacuminum puluere in condimentis; placet enim pręcipue cum salsamentis piscicularum. Dioscorides Tragoriganum vocat, quasi Hircinum Origanum; cuius duo genera describuntur. vnum lætius, & virentius: foliis latioribus, satis glutinosum, Origano simile, folio, & ramulis. Quæ descriptio optime quadrat vulgari Origano, quod in Italia frequens est; Alterum exilibus surculis, ac tenuibus foliis, sylvestri serpillo simile, quod aliqui Prasium vocauere. hæc descriptio conuenit Plantulæ apud nos in montibus nascenti, quæ figura omni ex parte serpillum humi repentem præsefert, sed caret odore ac sapore illo mordaci. Quoddam vero odoratum est Citreum Malum olens. Plinius Tragoriganum vocat, aliquando Cunilam montanam inquiens: fit & ex ea montana Serpillo similis, efficax contra serpentes, vrinam mouet, purgat à partu mulieres, concoctionem mire adiuuat, & ad cibos auiditatem. aliquando Heraclium inquiens: Heraclium quoque tria genera habet: nigrius, latioribus foliis, glutinosum: quod primum Tragoriganum est apud Dioscoridem. Alterum exilioribus, mollioribus, Sampsucho non dissimile, quod aliqui Prasion vocare malunt: hoc est secundum Dioscoridis Tragoriganum; forte odoratum genus intelligens scilicet Serpillum citratum. Tertium est inter hæc medium, minus quam cætera efficax: videtur autem genus illud in odorum innuere: optimum Creticum; nam iucunde olet; proximum Smyrnæum; deinde Heracleoticum. ad potum vtilius quod Onitim vocant.

CAP. LIII.

SCARSAPEPE in Hetruria vulgò appellatur; quia vsum Piperis præstat in condimentis, & alicubi Mencipepe: olitoribus notissima seritur enim condimenti gratia. herbula est tenuibus ramulis, dodrantalibus: foliis Origani vulgaris, tenuioribus, in cacumine veluti vmbellam fert ex tenuibus & squāmosis capitulis constantem, instar Maioranæ, in quibus flosculi ex purpura candicantes insident: tota odorata & valde acris. magis autem mordent cacumina: sponte quoque oritur in montibus, locis lapidosis: capitulis purpurascentibus, tenuioribus, & oblongioribus; acerrimo gustu, hoc legiptimum Hyssopum censeo, & montanum & hortense, quamuis Dioscorides tamquam notissimam herbam nequaquam descripserit. Licet autem coniectari ex aliis Plantis, quę Hyssopo comparantur ab eodem: nam folia Origano similia tradit: vmbraculum summis caulibus orbiculatum, ex corymbis constās,

vt in

vt in Chrysocome: ideo & Onitis Hyssopo similior quam alterum Origanum; semen enim veluti coniunctos corymbos habet, non sparsos, vt Heracleoticum. Plinius huiusmodi corymbos baccas vocat; inquit enim Hyssopi baccæ ternę contritę, & in aqua potę diebus sexdecim comitiales sanant. Mesues inter medicamenta purgantia recenset inquiens: ex ea quædam hortensis est, cuius altitudo est circa dimidium cubitum: paucioribus caulibus, ramisque, quam Thymum: foliis maioribus: flore purpureo. Quædam montana, cuius folia sunt minora, plura, & caules breuiores. Eligenda est cuius odor, & sapor acutior est; & melius tempus collectionis est, quando incipit florere: species eius magna calidior est; cum autem nec apud Theophrastũ reperiatur Hyssopi mentio, nec apud Galenum in simplicium censu, suspitionem afferunt, ne sub generibus Origani intelligant; maxime enim similis est, videturque syluestra Origanum, breuius, & acrius cæteris, præcipue montanum. sunt, qui Cretense Origanum Hyssopo ascribant optima ratione; acrius enim est quam vt Onitis dici possit: & grandius quam syluestri Origano conueniat.

CAP. LIIII.

SERPILLVM ramulos exiles, & infirmos fert, humi procumbentes: foliolis Origano minoribus, lęuioribusque: flosculos in summis ramulis, racematim ex candido purpurascentes gerit: odor totius plantæ suauis: sapor acris & mordens: oritur sponte in saxis; seritur quoque in hortis; nam ramulo facillime prouenit, Graminis modo serpens: expetitur in condimentis. Dioscorides serpillum hortense vocat, odore Sampsuchi, coronis expetitum, cui nomen à serpendo inditum est; quoniam si qua eius particula terram attingat, inibi radices dimittit; folia & ramulos Origani habet, sed candidiora (potius λειότερα idest lęuiora legendum censeo, non λευκότερα; nostrum enim Serpillum nequaquam candidius est Origano, immo viridius) in maceriis multo procerius assurgit. Plinius hoc non satiuum, sed syluestre vocat, copiosum in montibus: Serpillum enim inquit à serpendo dictum putant, quod in syluestri euenit in petris maxime: quod & Dioscorides indicat, cum inquit: in maceriis multo procerius assurgit. Theophrastus inter suffrutices Coronarios inquit: Serpillus perpetuo viret, tota odorata, lignosa: syluestre etiã genus est, quod deferentes ex montibus serunt apud nonnullos, Thymum penitus redolet, in summo terrę hęret radice multifida, & torrida peculiaris auctio germinum, nam in quamtumuis longitudinis procedere valet, nactum scilicet adminiculum, aut iuxta sæpes aliquas satum: crescit præcipue in puteis: quidam in montibus

ſatureiatus,atque vehementiſſimus,& odore gratus,& mollior: tempus ſerendi Autumnus: ſqualorem patitur, & aquæ paucæ indigus eſt: ſed fimo præcipue gaudet potiſſimum iumentorum: melior reddi creditur, ſi ſæpius transferatur.

CAP. LV.

PEPOLINA vulgò appellatur, ab aliis Piperella ob acrimoniam vehementem,Piperi æqualem: caule lignoſo conſtat,dodrantali, aut altiore: ramulis multis, breuibus: foliis Serpilli, oblongioribus, candicantibus, valde odoratis: floſculos racematim ſummis ramulis fert, vt Serpillum: quidam pro Thymo accipiunt; oritur paſſim in Liguriæ, & prouinciæ ſaxoſis littoribus; hinc transfertur in hortos inter ſuaueolentes herbas: ea vtuntur in condimentis. Dioſcorides Serpillum ſylueſtre appellat, quod & Zygis appellatur, non ſerpens,ſed rectum: ramulos edens tenues,ſurculoſos,foliis refertos longioribus,quã Rutæ, ſubanguſtis, & durioribus: flores iucunde olent, guſtanti acres: radicis nullus vſus: naſcitur in petris: ſatiuo efficacius,atque magis ex calfaciens, & ad medendi vſum aptius. Theophraſtus hanc videtur intellexiſſe cum inquit de Serpillo: quidam in montibus ſatureiatus, atq; vehementiſſimus,& odore gratus,& mollior. Plinius autem pro ſatiuo accepit inquiens: ſatiuum non ſerpit, ſed ad palmi altitudinem increſcit, pinguius, & candidioribus foliis, & ramis.

CAP. LVI.

QVAEDAM ex Sicilia quondam ad nos allata eſt ſub nomine Mari, ſimilis Serpillo recto; ſed ramulis humi procumbentibus; foliolis breuioribus, candidioribus, inſtar Maioranæ: flores inter foliola fert non racemoſos, ſed raros, Calamenti modo,purpuraſcentes: odor toti plantæ ineſt validus, ac ſuauis; ſapor feruens, cum quadã amaritudine. Hanc puto Sampſuchum eſſe apud Dioſcoridem, quod & Amaracum in Sicilia, & Cyziceno vocatur: herba inquit eſt ramoſa, per terram repens: foliis tenuioris Calaminthæ, hirſutis,rotundis; valde odorata, & feruens, quæ & coronis inſeritur. Ex hac conſtare videatur Amaracinum vnguentum, quod in Cyzico fieri idem teſtatur Dioſcorides. cum autem alibi Sampſuchini meminerit, videtur aliam intelligere: nam & Galenus, quem ſequuntur Paulus & Aetius, de Sampſucho & Amaraco tamquam diuerſis agunt, forte accipientes pro Amaraco herbam à Dioſcoride Parthenium vocatam, inſigniter amaram: nam Dioſcorides eam quoque, Amaracum appellari tradit: aut Artemiſiam

tenui-

tenuifoliam; cuius flores & folia odorem Sampſuchi referunt. Theophraſtus Amaracum vocat, non Sampſuchum, licet Theodorus modo Samſuchum, modo Sampſuchum vertat; aliquando Amaracum inter ſuffrutices coronarios perpetue virens; prouenit & ſemine & auulſione: præſtat ſeminis copia, & iucundi odoris ſemen eſt, & quidem mollioris odoris: nec non & planta eius transferri poteſt: radices in ſummo terrę hærent, multifidæ, tortidæque: æſtate floret: recipitur in vnguentis odoratis. At primo de cauſis plantarum aliam intelligit: vbi inquit Amaracum recens radicem ſucci bonitate & carnis ad ſerendum habet, inter ea quorum radix craſſa, & carnoſa eſt. Plinius Amaracum inquit Diocles medicus & Sicula gens appellauere, quod Aegyptus & Syria Sampſuchum: feritur vtroque genere & ſemine & ramo viuacius & molius Abrotono: copioſum ei æque, quam Abrotono, ſemen.

CAP. LVII.

MAIORANA vulgò appellatur ab aliis Perſa ſuffrutex lignoſus: frequentibus ramis, rectis, opere topiario obſequioſus: foliola inſunt ſubrotunda, mollia, lanuginoſa, hyeme minora, candidioraque, æſtate maiora, ac virentiora, valde ſuaui odore, ſapor ineſtori non ingratus cum aſtrictione, modice acris: ideo placet in cibis: in ſummis virgis capitula pauca fert ſubrotunda, ex ſquāmis denſe compacta, in quibus floſculi candicantes; nullibi ſponte apud nos prouenit, ſed ramulo ſata facillime. Dioſcorides Maron vocat, de qua inquit, herba eſt vulgò cognita, ſurculoſa: flore Origani: foliis multo candidioribus: flore odoratiore; vim habet Siſymbrio ſimilem; ſubſtringit enim, & modice calfacit: iuxta Magneſiam & Tralles copioſiſſima gignitur. Plinius inquit: in Aegypto naſcitur & Maron, peius quam Lydium: maioribus foliis, ac variis: illa breuia, ac minuta, & odorata. Galenus in compoſitione Hedychroi; Maron inquit multo odoratius eſt Amaraco: & paulo poſt cum inquit: hanc herbam aliquoties cum ipſe deguſtaſſem, ac eam amaram quidem plurimum, acrē verò parum deprehendiſſem, hortatus ſum in vnguēto Amaracino Amaraci tantum compoſitioni immiſceri quantum & Mari, cum antea ſolerent ex ſolo Maro componere: ac mihi viſum eſt id vnguentum minus quidem odoratum, nihil autem viribus inferius. hactenus Galenus. quo loco ſapor amarus non Maro tribuitur, vt perperam interprætantur quidam: ſed Amaraco, cuius permixtione minus quidem odoratum vnguentum eſt redditum; quia odore vincitur à Maro, ſed efficacius ob amaritudinem adiunctam. vtrum autem per Amaracum hoc loco Sampſuchum acceperit, an Parthenium incertum eſt: vtræque enim ob amaritudinem viribus præſtant; ſuauitate autem odoris vincuntur.

CAP. LVIII.

DICTAMVM Creticum frequentibus ramulis fruticat, lignosis, vt Maiorana: foliis rotundioribus, maioribus, multa lanugine candida obsitis, quę hyeme quidem candidiora, ac minora spectantur, æstate grandiora redduntur, ac nigriora Sisymbrio emula: in sūmis ramulis spicas squāmosas fert crassiores, ac lōgiores nostro Scarsapepe mōtano: colore ex rubro nigricante: flores fert purpurascentes: tota plāta odoratissima, ac sapore valde acri cōstat. Dioscorides Dictamū vocat: inquit herba Cretensis est, acris, lęuis, Pulegio similis, sed maioribus foliis, quæ tomento quodam spissaque lanugine pubescunt: neque florem, neque fructum fert. paulo vero post interiecto Pseudodictamo inquit: defertur à Creta Alterum Dictami genus: foliis Sisymbrij; ramis maioribus, in quibus flores sylueſtris Origani, nigri, molles: odor foliorum inter Sisymbrium & Saluiam iucundissimus, efficax ad eadem, sed minus nares ferit. Videtur insequi Theophrastum eodem ordine & iisdem fere verbis, de primo Dictamo & Pseudodictamo, & altero Dictamo loquentem, paucis quibusdam immutatis, quæ oppositam sententiam significant. Inquit enim Theophrastus; Dictamum Cretæ Insulæ proprium est, vi mirabile, & ad plura vtile, sed ad partus, mulierum potissimum pollet: folium inest Pulegio simile, sapore quoque non absimili: rami tenuiores: vtuntur autem foliis, non ramis, neque fructu (hoc autem Dioscorides accepit, quasi neque fructum, neque flores ferret) datur herba ex aqua bibenda, vt partus facilis reddatur, aut dolores sedentur: rara hæc herba; locus enim in Creta exiguus, qui ferat, & à capris auide pascitur: nam ferunt sagittis transfixas huius pastu tela eiicere. Pseudodictamum autem folio quidem simile constat; sed ramulis minoribus; ac viribus longe infirmioribus deprehenditur gustu verum; vehementer enim excalfacit, quamuis parum degustetur: ne expiret virtus; condunt in Calamis eius manipulos; nam cum expirauerit imbecillius redditur. Sunt, qui eamdem naturam Dictami & Pseudodictami ferunt, locis differre: Pseudodictamum enim locis lętioribus exire, ac degenerare: verum autem Dictamum locum vehementer asperum amare tradunt. Est etiam aliud Dictamum velut æquiuoce appellatum; nec enim speciem, nec vim habet eamdem: quippe quod folio simili Sisymbrio constet, & ramis maioribus: vlus item, & vis non iisdē conueniunt. Hic quoque Dioscorides aliqua ex parte dissentit à Theophrasto, cum hoc genus ad eadem laudet. forte Dioscorides Plantarum partes exsiccatas, vt deferri solent descripsit: & tamquam diuersum genus tradidit, quod hyeme collectū est antequam fructum ferat, & quod

æstate

æstate & Autumno facie diuersum, vt plerisque contingit. Plinius partim Dioscoridem sequitur, cum inquit: Dictami foliis tantum vtuntur; flos nullus ei est, aut semen, aut caulis; radix tenuis, & superuacua: partim Theophrastum, cum cętera omnia ex Theophrasto transcribat de Pseudodictamo, & altero Dictamo. Virgilius de Dictamo cecinit puberibus caulem foliis & flore comantem purpureo. Italię Alpes aliud genus Dictami ferunt, longe diuersum, de quo alibi dicendum est. Quę autem circumfertur pro Pseudodictamo explicata est superius.

CAP. LIX.

OCIMVM, quod vulgò Basilicum appellatur, quotannis semine seritur post æquinoctium Vernum inter æstiua: nam hyeme perit: gaudet sole & aqua: herba admodum odorata: gustu subacris; recipitur inter olera cruda & cocta, & in condimentis. eius tria genera magnitudine differentia, vnum Latifolium, crispo folio, ac læui; duorum digitorum latitudine & amplius oblongum, ac modice serratum: in quo genere quoddam reperitur odore Citri, quod Ocimum citratum vocant: caulis quadratus, semicubitalis, ramosus; spicam fert summis ramulis, in qua flores albi. Alterum genus tenuifolium ramulis adeo frequentibus, vt conspici nequeant internæ fruticis partes; quò enim magis tondentur cacumina, eò magis densatur frutex in speciem orbis, statim ab radice dilatatis ramulis, vt ingentis capitis magnitudinem æquet: odoratius prædicto; foliorum magnitudo, quæ Serpilli: appellant Basilicum Nanum idest Pumilum. Tertium medium olitoribus frequentius, breuius quidem antedictis, sed folio medię magnitudinis: cauliculo subhirsuto: flosculis ex candido subrubentibus: semen omnibus nigrum in folliculis non hiantibus, sed labiolo sursum replicato. Dioscorides Ocimum tamquam vulgò notum non describit. ex attributis tamen videtur intellexisse solum illud genus, quod lato folio constat, vt patet in Ocimoide, Heliotropio maiore, Mercuriali, Solano Hortensi, quorum folia Ocimo comparantur. Theophrastus radicem lignosam tribuit, longissimam, aliis multis à latere descendentibus, & prolixis: caulis assurgit: iam perfectis foliis: celerrime pro uenit: germine quoque defixo: nam cum ad palmum, aut plus altitudinis venerit transfertur dimidio abscisso: particulatim floret, primo inferius, post superius, cum ille defloruerit; ideo diutius floret: semen cortice continetur, difficillime exsiccatur, fęcundissimum: datur aqua etiã meridie; germinare namque celerius existimant, si inter initia feruenti aqua rigetur, aqua admodum multa conferre creditur præsertim si fimus non adsit: sub canis ortum pallescit: soli expositum transit in Serpillum:

folio

folio minus & vehementius odore redditur. hæc Theophrastus sparsim habet. in postremis autem verbis innuere videtur genus Ocimi Pumilũ; folia enim Serpilli sunt, & magis odorata, quasi arte latifolium in hoc genus transierit. Plinius præter satiuum, sylueſtre quoque Ocimum tradit, cui vis efficacior ad eadem omnia: sed cum neutrã describat, incertũ est, quid Ocimum sylueſtre apud ipsum sit, nisi Acinum intelligat, quod apud Dioscoridem Ocimastrum etiam appellari legitur. Acinos inquit Dioscorides herba est: exilibus festucis, apta coronamentis. Ocimo proxima, sed hirsutior, & odorata: colitur quoque à nõnullis: sistit aluum, & menses pota: ad panos & ignem sacrum illinitur. Plinius quoque alibi eadem ferè transcribit in hunc modum: Acino & coronarum causa, & ciborum Aegyptij serunt, eademque erat, quæ Ocimum, nisi hirsutior ramis, ac foliis esset, & admodum odorata; ciet menses & vrinas. Sed in hoc Dioscoridi aduersatur, vt patet. Alibi quoque apud eumdem Plinium reperitur Acini mentio inter herbas numquam florentes, vbi inquit: æquinoctio nascens Aphace Acinos, quam Epipetron vocant, quæ numquam floret, sed Hermolaus quamuis hanc lectionem probet, suspicatur tamen aliter legendum: Acinos & quam Epimetron vocant, quæ numquam floret: videtur enim ex Theophrasto sumpsisse, qui de Epimetro testatur flore penitus carere: vbi nulla alterius appellationis Acini fit mentio: ideo duas plantas significari per Acinon, & Epipetron, siue Epimetron. In antiquis etiã codicibus pro Acino legi Chenopũ testatur, quasi pedem Anserinũ, quæ lectio mihi magis placet: hæc enim nũquam floret, vt in pede Anserino explicaui. sed vt ad Acinum reuertamur, non dubito hanc esse illud genus Ocimi, quod medium appellauimus: hæc enim cæteris hirsutior est, ac breuioribus ramulis: quamuis autem sponte apud nos nequaquam oriatur, non est putandum nullibi sponte oriri. Fuit controuersia apud antiquos de Ocimi viribus: quidam enim teste Plinio eius vsum dannant, vt inutile stomacho vrinę, oculorum claritati: præterea insaniam facere, læthargicos, & iecinoris vitia, ideoque capras id aspernari; hominibus quoque fugiendum esse, tritum si coperiatur lapide, Scorpionem gignere; cõmanducatum, & in solo positum vermes afferre: qui Ocimum comederit, si eo die feriatur à Scorpione; sanari non posse: manipulo Ocimi cum Canchris decem marinis vel fluuiatilibus trito conuenire ad eum Scorpiones à proximo omnes: Ocimi cibum pediculos facere. Sequuta ætas alacriter defendit; nam id esse Capras, nec minus quam Mẽtam, & Rutam Scorpionum terrestrium ictibus, marinorumque venenis mederi cum vino, addito aceti exiguo: vsu quoque compertum deficientibus ex aceto odoratum salutarem esse, item læthargicis & inflammatis refrigerationi: illitum capitis doloribus cum rosaceo aut Myrtheo aut Aceto: oculorum Epiphoris,

stomacho

ſtomacho quoque vtilem eſſe, inflationes & ructum ex aceto ſumptum diſſoluere: aluum ſiſtere impoſitum. vrinam ciere, morbo Regio, & Hydropicis prodeſſe: choleras eo & diſtillationes ſtomachi inhiberi, Cęliacis, diſſentericis, colicis, teneſmo, & ſanguinem excreantibus & ad multa alia. Galenus priorem ſententiam ſequitur: habere enim recrementitiā humiditatem: vitioſi ſucci; ideo non commodum, vt ſumatur in corpus. Dioſcorides partim damnat, partim laudat. Arabes quatuor plantas oſtendunt, quas interpręte Ocimum vocant. vnum Ocimum Gariophilatum; cuius folia ſunt parua, colore inter viridem & glaucum; odore Gariophylli: caulis quadratus, colore ſimili: ſemen minutum, nigrum: colligitur menſe Iunio. Hanc dicerem eſſe Ocimum Pumilum, niſi tempus collectionis ſeminis obſtaret; prorogatur enim in Autumnum, vt cæterorum ſemina. Alterum Ocimum commune intelligentes id, quod à Dioſcoride & Galeno traditur: Tertium Ocimum domeſticum, habens folia lata; ramulos virides, quadrangulos; flores albos; ſemen Ocimi. Quartum Ocimum Carmenum paruum; ſed quoniam difficile eſt ex eorum verbis coniectari, in his amplius non inſiſto.

CAP. LX.

PVLEGIVM in ſolo aquoſo potiſſimum naſcitur: multis ab eadē radice ramulis, dodrantalibus, humi procumbentibus: foliis per interualla Ocimi mediocris, aut Nepitę, ſubcandicantibus, minus hirſutis: Orbiculos per interualla fert inter folia, vt Marrubium, floſculis purpuraſcentibus, aut candicantibus; tota odore multo, ac ſuaui conſtat, ſapore acri, expetitur in condimentis: huius gratia tranſfertur in hortos, & colitur. Dioſcorides græce Glechona, & Blechona vocat, ſed tamquam vulgaris notitiæ herbam non deſcribit: ex attributis autem, quę de quibuſdam aliis plantis traduntur, colligere licet ſimilem eſſe Dictamo Cretenſi, quod & ſylueſtre Pulegium vocatum eſt; ſed foliis minoribus, nec adeo hirſutis; ſapore quoque non abſimili, vt Theophraſtus tradit: caulem Polycnemo ſimilem, geniculis interceptum. Paulus Aegineta ſuam Betonicam deſcribit ramulis exilibus, Pulegio ſimilibus. Plinius Cunilam Bubulam ſemine Pulegij tradit: fert enim & hęc per interualla fructum in orbiculis congeſtum: colorem ſubalbidum ineſſe ex Mentaſtro colligere licet apud eumdem Plinium. Idem in Pulegio fęminam eſſe & marem tradit: fęminam efficaciorem: flore purpureo: mas candidum habet: Sylueſtri eamdem vim ineſſe efficaciorem, quod ſimile eſt Origano; minoribus foliis, quam ſatiuum, & à quibuſdam Dictamum vocatur: guſtatum à pecore caprisque balatum concitat; vnde quidam greci literas mutantes Blechon vocauerunt: natura

tam

tam feruens est, vt illitus partes exulceret. Theophrastus aliquando Blechonem, aliquãdo Blechrum vocat: ramuli abscissi germinare possunt, & solstitiis florent, quod mirum est; nam sicca omnino sentitur, non succum lentum habet, vt cætera, quibus id contingit. incipit germinare in seuitia temporis diebus Alcioniis.

CAP. LXI.

CALAMENTVM, quod vulgò Nepita vocatur, passim iuxta vias, præcipue in collibus nascitur, & incultis, Pulegio similis, candidior, & hirsutior: foliis initio latioribus, ac læuiter dẽticulatis sed in ramulis assidue tenuiora redduntur, odore acuto: ideo similiter recipitur in condimentis: flores fert summis ramulis sparsos, purpurascentes, aut subcæruleos, aut candicantes. Dioscorides Calamintham vocat secundo loco descriptam, Pulegio similem, maiorem, quam quidam syluestre Pulegium appellauerunt; quod odore ipsum æmuletur: Latini Nepetam vocant. Plinius inquit: Pulegio est Nepetæque societas; decocta enim in aqua discutiunt frigora mulierumque menstruis prosunt, & æstate sedant calores. Nepeta quoque vires contra serpentes habet: fumum ex ea, nidoremque fugiunt: aliisque multis prodest. Galenus Calaminthæ nomine modò hanc, modò Mentastrum intelligit.

CAP. LXII.

CALAMENTVM Montanum frequentissimũ est in syluis Alpiũ, facie eius, quam Horminum syluestre appellamus, tum caulibus, tum foliis, tum floribus; omnibus tamen paulò tenuioribus, & foliis candidioribus, sapore Nepitæ accendente os. Dioscorides inter Calaminthas primo loco describit: montibus familiarem: foliis Ocimi, albicantibus, surculis, festucisque angulosis: flore purpureo.

CAP. LXIII.

GATTARIA vulgò appellatur quędam in ruderibus proueniens, circa quam feles libenter versantur, odore eius oblectatę: vnde vulgare nomen assumpsit: caules fert prope cubitales, quadratos, candicantes, ramosos: folia figura Vrticę, candida, lanuginosa, odore, ac sapore proximo Nepitæ, infirmiore tamen: flores in summis ramis congesti, candicantes. Dioscorides tertium genus Calaminthæ describit: Mentastro simile: longioribus foliis: caule; & ramis maioribus, quam prædicta; sed minus efficax. omnium folia gustu valdè feruentia,

&

& acria sunt: radix inutilis: nascuntur in campestribus, & in asperis locis, & in aquosis. Plinius forte hanc intellexit inter Vrticas, quæ odorem fundit, Herculanea vocatur.

CAP. LXIIII.

MENTA Hortensis duorũ generũ est apud nos: vnũ rotundo folio, alterũ oblongo. Quæ rotũdo folio cõstat, odoratior est; Mẽtã Romanã vocãt. germinant vtręque incipiente hyeme: cauliculis humi repẽtibus, subrubris: foliolis rotũdis: quo tẽpore vsq; in ver tenella germina odoratissima, & gustui suauia expetuntur in cibis cruda ex oleo & aceto: aduentante ęstate caules erigũtur, foliis grandioribus, circũ serratis, odore non adeo grato, sapore subamaro; in altera quidem rotundis, crispis, & subnigris; in altera autem oblongis, candidioribusque: flores summis ramulis ferunt spicatos, purpurascentes, aut candicantes: radices summa tellure serpentes, tenues, Graminis modo, viuaces admodum; vnde copiosę germinationes erumpunt. sylueſtris quoque Menta duplex est: Vna in aquosis nascens, & propè piscinas; Mentam Aquaticam vocant, odorata, & in cibis grata, dum tenella est: folio rotundo, & subrubro: cacuminibus comam potius subrotundam fert, quam spicam, floribus purpureis. Altera passim in incultis nascitur: folio oblongo, latiore quam Mentæ domesticę, candidiore, & magis lanuginoso, odore minus grato, sapore acri: spicam fert summis ramulis tenuem, & oblongam, subcandidam; Mentastrum appellant. Dioscorides Hediosmon vocat, vnam satiuam, quam nequaquam describit; quia nota herba est: alteram sylueſtrem: folio hirsutiore, & prorsus maiore quam Sisymbrium; grauiore odore, quare minus ad sanorum vsus expetitur: quæ descripto nostro Mentastro conuenit. Alibi autem inter olera de Sisymbrio agit inquiens: Sisymbrium, alij Serpillum sylueſtrem vocant, in terrenis nascitur simile Mentæ domesticę: latiore folio magisque odorato: recipitur in coronis. Hæc descriptio ei, quam Mentã Aquaticam appellamus, optime respondet. Alterum præterea Sisymbrium Aquaticum affert toto genere diuersum, de quo alibi à nobis dicitur. Quod autem primum in terrenis nasci tradit, non significat in arido solo nasci, sed ad differentiam aquatici dictum est, quasi Sisymbrium terrestre. Theophrastus Hediosmon inter olera recenset ruralia: miror autẽ Theodorum Mentastrum conuertere non Mentam: At id fuit erroris causa, quod alibi Theophrastus græce Mentham vocat herbam, in quam degenerat Sisymbrium, cum negligitur; Putauit enim Theodorus hanc Mentam esse domesticam, cum potius significetur sylueſtris herba esse; inquit enim Theophrastus: Sisymbrium inter suffrutices coronarios, surculo-

ſum, lignoſum; minutis foliis, totum odoratum: odor autem eſt acrior quam Serpilli, in ſummo terræ adhæret radice multifida, & torrida, non tam numeroſa, vt Mentha: degenerat autem facile, niſi transferatur: quamobrem ſæpius id transferre conſueuerunt; niſi enim cultura coerceatur, in Mentham mutari videtur: ſed odorem tantummodo Menthę recipit proprio amiſſo, ſpeciem vero non recipit, ſed quaſi Calaminthæ redditur ſimile. Agreſte igitur Siſymbrium talem reddit odorem; eſt enim odor durus, expers dulcedinis: in cauſa vero eſt, vt ſylueſtrem habitum contrahat, alimenti abundantia, & neglectus: cum enim ſuæ ſponti relinquitur; vt ſuo more nutriatur, deſtruitur ſui odoris vehementia, & quaſi effęminatur: Sed & hunc locum perperam Theodorus in eã ſententiam conuertit, vt cultus noceat Siſymbrio. De Mentha autem præter hęc, quæ dicta ſunt, ea ſolum reperio apud Theophraſtum, radice alta firmari; & alibi, quædã inquit vbertate alimenti omnino diſpereunt, vt Mentha: radicibus complexu mutuo ſtrangulatis. puto igitur Mentham apud Theophraſtum ſignificare ipſum Mentaſtrum: nõ quod ſpecies in alteram ſpeciẽ conuertatur, vt notauit Theophraſtus, ſed odor tantum: remanet igitur Siſymbrium ſed ſylueſtre. Qui autem in Dioſcoride legunt in incultis naſci Siſymbrium, diuerſum à Siſymbrio Theophraſti ſtatuunt: at id non eſt neceſſe; terreſtre enim Siſymbrium eſt, ſiue ſponte in incultis, ſiue in hortis ſeratur. Eamdem autem eſſe Plinius teſtatur, cum inquit Serpillo, & Siſymbrio montes pleriq; ſcatent, ſicut in Thracia, vbique deferunt ex iis auulſos ramos, ſeruntque: ſimili modo & Siſymbriũ ſerunt: lętiſſimum naſcitur in puteorũ parietibus, & circa piſcinas, & ſtagna: ſylueſtre à quibuſdã Thymbreũ appellatũ, pedali non amplius altitudine. Quod aũt Plinius ſcribit Siſymbriũ tranſire in Calaminthã, & conſentit cum Theophraſto, cum inquit, quaſi Calaminthæ redditur ſimile: & prædictam veritatem confirmat; accipitur enim Calamintha pro Mentha inodora, vt teſtatur Galenus de Hedioſmo loquens, cum inquit. Hedioſmos; alij vero Minthem odoratam nuncupant. eſt enim & alia quædam Minthæ non odorata, quam Calaminthem vocant: hæc ceu ſylueſtris quædam eſt, illa ceu domeſtica. in quibus verbis manifeſte per Calamintham intelligit Mentaſtrum, licet & alia ſit Calamintha, vt in ſua mentione dictum eſt: vt igitur in ſummam contrahamus, dicimus idem eſſe Siſymbrium terreſtre apud Dioſcoridem & Theophraſtum, & ſignificare noſtram Mentam Aquaticam, quæ cultura odoratior redditur, non ſolum ſe ipſa, ſed & Menta domeſtica, vt Dioſcorides teſtatur: eidem initio folia minuta ſunt, vt Mentæ domeſticæ, quo tempore & recipitur in cibis: cauliculis humi ſerpentibus, ideò Serpillum ſylueſtre appellatum eſt: cum attollitur, Mentaſtro redditur ſimilis, rotundiore folio, & nigriore. De Menta autem

&

& Mentastro Plinius inquit: Mentam quidem seri æquinoctio verno planta, vel si non dum germinat spongia (appellatur autem spongia radicum globus) minus hęc humido gaudet quam Apium: æstate viret: hyeme hauescit: genus eius sylueſtre Mentastrum est, differens specie foliorum, quasi figura Ocimi, Pulegij colore, propter quod quidam sylueſtre Pulegium vocant: & hoc propagatur vt Vitis, vel si inuersi rami serantur: Mentę nomen suauitas odoris apud græcos mutauit (scilicet Hediosmos) cum alioqui Mintha vocaretur; vnde veteres nostri nomen declinauerunt. Menta grato odore mensas percurrit in rusticis dapibus: semel sata diutina ætate durat: congruit Pulegio simili genere & Nepitę.

Finis Libri Vndecimi.

ANDREAE CAESALPINI ARETINI

DE SVFFRVTICIBVS ET HERBIS. LIBER DVODECIMVS.

CAP. PRIMVM.

QVAE in communi ſede multa ferunt ſemina, in certo numero, ac nullo vaſculo incluſa, pręter id, quod florem tegit; Alia florem gerunt ſeminibus ſingulis inſidentem, vt Anthemidum genera, & Achanaceorum: communis enim floris particulę ſingulis ſeminibus diſtributæ ſunt: Alia florem communem habent non diſtributum in ſingula, inferius ſedentem circa fructum, vt Ranũculi genera. omnibus ſeminis cor interius vergit exceptis paucis, quæ in primo genere continentur, vt Scabioſa, & quæ illi affinia ſunt; in iis enim cor extra eſt, qua flos nectitur. Quibus flos exterius ſedet: Aliis foliaceum quid ſingulis ſeminibus inſidet, vt Cicoraceis, & ſpinoſis, quo decidente lanugo ſubnaſcitur, quæ pappus vocatur: Aliis lanugineus eſt ipſe flos ſimul cum ſemine exareſcens, vt in Abſinthio, Artemiſia, & affinibus: Aliis in medio quidem lanugineus, in ambitu autem foliaceus, vt in Anthemide, & quæ eius generis. Ampliſſimum hoc genus eſt & calfactorium paucis quibuſdam exceptis, quæ inter olera ſunt, vt Cicoracea: Amaritudo enim plurimis ineſt; quibuſdam & feruor, vt Ranunculis.

CAP. II.

ABSINTHIVM ſuffrutex eſt vulgaris iuxta ædificia collapſa frequens, montoſis præcipue locis: multos ab eodem ceſpite caules fert, cubitales, candidos; folia candicantia, ſubhirſuta, mollia, multipliciter diuiſa: floſculos numeroſos, tenuibus ramulis digeſtos, inclinatos ad terram, veluti aridos floccos, luteo colore: odor totius plantę grauis, non tamen inſuauis; ſapor amariſſimus, præcipue foliorum & corticis, cum ſubdulcis ſit caulis medulla. Alterum genus in collibus naſcitur locis argilloſis, vbi alia nulla viuit Planta, frequens

in

in agro Senensi: hoc breuius multo est ac tenuius: paucioribus ramis, ac seminibus, odoris minus ingrati, ac saporis. Dioscorides Absinthium Bathypicron cognominat, idest intensę amaritudinis, sed tamquam notissimum non describit: prestantissimum esse, quod in Ponto nascitur, & Cappadocia, monte Tauro. Galenus in omni Absinthio qualitatem inesse amaram, & astringentem testatur: in Pontico astringentem non paruam: in reliquis omnibus qualitatem amaram vehementissimam, astringentem obscuram, aut nullam; ideo Ponticum præferri, ad Iocinoris & ventris phlegmonas: constat hoc inquit folio & flore longe minore, quam cætera Absinthia; odor non insuauis aromaticum quid prę-ferens: reliquis omnibus est fędus, ideo fugere oportet, & Pontico vti. Plinius Pontico inquit pinguescere pecora, ob id sine felle reperiri, neque aliud præstantius, multoque Italicum amarius (sic enim legendum puto non Italico) sed medulla Pontici dulcis. Ex his patet apud nos Absinthium illud exiguum, quod in incultis nascitur argillosis locis, esse, quale Ponticum traditur.

CAP. III.

ABSINTHIVM Marinum locis harenosis nascitur in marittimis, fruticosum, media magnitudine inter paruum supradictum & vulgare; foliosius vtrisque; foliis minus scissis; adeo vt quæ prope cacumina virgularum sunt, nullam scissuram habeant, tenuia in longitudinem producta: amaritudo minor in hoc, sed cum quadam acredine; odor grauis: huius flores semen Sanctum vocant ad lumbricos necandos. Dioscorides Absinthium marinum à quibusdam Seriphium appellari scribit: herba est, tenuibus surculis similis paruo Abrotono, minutis referta seminibus, subamara, stomacho ingrata, grauis odoris, astringens cum quadam calfactione. Plinius hoc genus inquit, angustius est priore, minusque amarum, stomacho inimicum. Galenus Seriphum, inquit, est Absinthio tum specie, tum gustu simile, at nõ ęque vt illud astringit, plusque excalfacit, amaritatemque quandam cum salsedine resipit, stomacho infestum est, lumbricos necat.

CAP. IIII.

ABSINTHIVM Sanctonicum viret in horto Pisano, allatum ex Gallia, vbi indigenę Abrotonum vocant; tenuibus cauliculis, semicubitalibus: foliis minutissime incisis, candidioribus nostro Absinthio: flosculos fert tenues, neque adeo frequentes: sapor modice amarus, magis astringens; odor non ingratus. Dioscorides inquit

in

in Alpinis Galliæ nasci Sanctonicum appellatum patrio nomine, vbi frequens reperitur, Absinthio simile; minus copioso semine, subamarum, pares habet effectus cum Seriphio.

CAP. V.

ARTEMISIA vulgaris, quę à quibusdam Canapacia vocatur, oritur in ruderibus: caulibus bicubitalibus, rectis, striatis, alas multas ferentibus, & folia Absinthij vulgaris, superne viridia, inferne candida: flosculos æstate fert, longe exiliores Absinthio inter foliola, colore candido; in sensibilis inest amaritudo, cum acredine quadam, & astrictione; odor quidam medicatus, non vehemens. Dioscorides inter Artemisias secundo loco descripsit inquiens: Alterum genus Polycloni scilicet appellati tenuius: flores paruos, tenues, & albos fert, graui odore, æstate floret. Plinius vtramque Artemisiam describens fere eãdem tradit inquiens: Absinthij modo fruticosa est; maioribus foliis, pinguioribus; ipsius duo genera; Altera latioribus foliis; Altera tenera, tenuioribus, & non nisi in marittimis nascens. de marittima inferius dicemus in Cineraria, quę à Dioscoride latior describitur tum foliis, tum virgis. At Plinius contra: tenuioribus foliis marittimã tradit, forte intelligens eam, quę Conyza Hippocratis dicitur, de qua dictũ in Ambrosia.

CAP. VI.

ABROTONVM suffrutex est apud nos, multas ferens virgas, cubito altiores; foliis circumdantibus, in tenuitatem quasi capillaceam scissis, Anthemidis modo, sed rarioribus capillis, longioribusque, ac subalbidis: flores fert racematim Absinthij modo, tenuiores: sapor valde amarus: & odor medicatus toti plantæ inest: colitur in hortis; nam folia odoris gratia nectuntur in coronis. oritur & sponte in montibus saxosis, breuius. Dioscorides Abrotonum marem vocat, sementosum: gracili semine, sicuti Absinthium. Affert & fęminam, de qua inferius dicemus. Plinius hoc Mõtanum esse tradit.

CAP. VII.

SANCTOLINA vulgò dicitur, ab aliis Crespolina, candidus ex toto frutex, qui ex eodem cespite numerosos fert ramulos, duorum dodrantum longitudine, refertos foliolis tenuibus, & oblongis, minutissime diuisis, quadruplici ordine, veluti paruis apicibus, secundũ quatuor versus dispositis in longitudine, quasi labris vtrinq; sinuosa

reflexione fimbriatis; vnde à Medicis quibusdam Crispula appellata est: flores in summis ramulis nudis veluti capitula, aurei fulgoris fert, singulis singula: tota valde odorata est, odore tamen medicato, amara: seritur ramo, qui crassescit vt Ruta, speciem quamdam arboream referens. Dioscorides Abrotonum fęminam vocat: fruticat inquit arboris specie, subalbidum; foliis minutatim scissis, circa ramulos, vt Seriphium: flore plenum, quem in cacumine habet corymbaceum, aureum, odoratum cum quadam grauitate, æstate prouenientem, gustu amaro: huiusmodi Siculum est. Si igitur planta supradicta Abrotonum fæmina est, similitudo Absinthij Seriphij non in folij scissione consistit, sed in figura, oblonga scilicet, & angusta, quo modo & Helichrysi folia comparantur. Quamuis autem hoc genus Abrotoni arborea specie describatur, paruum tamen Abrotonum ab eodē Dioscoride appellatur in Seriphio: nam re vera breuius est altero. Theophrastus vnum tantum genus Abrotoni videtur descripsisse hoc intelligens: inquit enim: inter suffrutices coronarios perpetue viret: radice & auulsione potius, quam semine prouenit: seritur æstate; nam friget vehementissime, & morbo obnoxium, sed cum conualuerit, & creuerit, magnum, robustum atque arboreum constat, quemadmodum Ruta, lignosius, siccius, & squalidius semine abundat, nec sine odore est. radices rectas, altasque agit: est veluti vnistirps, crassa scilicet illa radice, reliquis vero de ea exeuntibus spargitur; radices valde lignosæ sunt. Plinius inquit: Abrotonum iucundi odoris est, & grauis: floret æstate: flos aurei coloris: vacuum sponte prouenit, cacumine suo se propagat: seritur autem semine melius quam radice, aut surculo: & alibi duorum inquit generum est: Campestre: ac Montanum: hoc fęmineum: illud marem intelligi volumus. amaritudo Absinthij in vtroque: Siculum laudatissimum; dein Galaticum: vsus est ex foliis, sed maior semine ad calfaciendum: & quę sequuntur. ex quibus colligitur hoc Cāpestre intelligi. Apud Nicolaum Alexandrinum Crispula vocatur, quæsita in vnguento Martiano, quam Syluaticus herbam Cancri alio nomine appellari tradit: est inquit herba alba, minuta habens folia, crispa; virtus eius est calida & sicca, medetur doloribus, & ægritudinibus frigidis.

CAP. VIII.

TANACETVM vulgò appellatur, ab aliis Daneta, prope flumina, & in aggeribus nascens: simplici caule, recto, cubitali; foliis Matricarię, longioribus, figura quasi Filicis: in longo enim pediculo foliola multa coniugatim disposita sunt, & dissecta, Filicis modo, subhirsuta, & multum odorata, odore tamen medicato, amara: in ca

cumine

cumine vmbellam fert, in qua flores veluti capitula sunt, lutei coloris, similiter odorata, amaraque, vt non multum differat à Matricaria tum specie, tum facultate. vtuntur recentiores ad omnes cruciatus internos mitigãdos tum potu, tum exterius applicata, Abrotoni modo: ad lũbricos enecandos, & vrinæ stillicidium, & calculum: Item contra quascumque febres propinant succum eius pondere draemarum duarum cum aqua Plantaginis: flos in puluerem contritus cum saccaro grauidis conducit: folia sicca & contrita in vino sumpta muliebres locos expurgãt. Dioscorides inter Artemisias hanc numerat, quam Leptophyllon cognominat, idest tenuifoliam quarto loco descriptam in hunc modum: quædam Artemisia tenuifolia oritur circa riuulos, aggeresque, & in agris frumentaceis; floribus, & foliis odorem Sampsuchi referentibus: si quis ex ea diligenter tusa cum oleo Amigdalarum Malagma Stomacho imponat, vexationem partis eius sanabit: neruorum dolores succo huius cum rosaceo inuntis curantur. Hermolaus reperiri apud Hippocratem testatur Parthenium Microphyllon, quam suspicatur aut Parthenium Dioscoridis esse, aut Artemisiam tenuifoliam: nam Artemisia antea Parthenis dicebatur teste Plinio. Forte & nomen Tanaceti deriuatum est à Tamnaco, quo nomine Plinius Parthenion appellatum fuisse tradit. Quid si amaracum Antiquorum differentem à Sampsucho hanc eãdem accipiamus, vt apud Galenum, & Paulum, & apud Dioscoridem in vnguentis? quamuis enim Parthenio nomen Amaraci traditum sit teste Dioscoride; huic tamen Artemisiæ rectius conuenire videtur, cum eius folia, & flores odorem Sampsuchi referant: idem autem erat Sampsuchũ & Amaracus apud Antiquos, vt alibi explicauimus

CAP. IX.

CANFORATA à recentioribus Medicis vocatur herba in pratis, & iuxta semitas, odore quasi Camphoram referens: assurgit simplicibus cauliculis, rectis, tenuibus, dodrantis altitudine, foliosis: folia sunt parua, & circumincisa, referentia Tanaceti foliola, non folium integrum, rotundiora, & breuiora: in cacumine vmbella tenuibus, & densis corymbis; flore aureo: æstate floret diutius. Tota valido odore constat medicato; sapore amaro: efficax ad lumbricos enecandos, & dolores internos, ac viscera ab infarctu liberanda. recipitur à Nicolao in vnguento Martiano. Syluaticus similem esse tradit cuidam speciei Abrotoni; foliis albidioribus, Camphorę odore, non colore, vt depraua tè legitur: tamdem referre Tanacetum ipsum: numeratur enim ab eodem Tanacetum inter species Abrotoni: alibi inter Artemisias. Sed alij Canforatam foliis Chamomillæ descripserunt: flore cinereo, nodulis collecto,

collecto, quam Abrotonum ſylueſtre appellari teſtantur, ſignificantes, vt puto, eam, quam Dioſcorides Achilleam vocat: Alij per Canforatam Abrotonum vulgare accipiunt, nam & ipſum Camphoram quodamodo olere videtur; ſed vt ad noſtram Canforatam reuertamur. Dioſcorides, ex aliorum tamen ſententia, inter Artemiſias numerari tradit, Monoclonon cognominatam: hanc tertio loco explicans inquit: ſunt qui in Mediterraneis Monoclonon, ideſt vnicaulem appellant, tenuem herbulam: ſimplici caule, & minuto: flore copioſo, cęrei coloris, exili, odoratiorem ſuperiore, ideſt ea, quam Polyclonon vocauit. Non abhorret quoque ab hac Agerati deſcriptio apud eumdem Dioſcoridem, quam ex propria ſententia affert inquiens: frutex eſt ſurculoſus, dodrantalis, humilis, ſimplex, maxime ſimilis Origano: vmbellam gerit, in qua flos aurei coloris, ampullaceus, minor Helichryſo: nomen ſortitum eſt Agerati; quia flos diutius ſeruatur incolumis, quaſi non ſeneſcens. Plinius eadem ferme habet: Ageraton inquit ferulacea eſt, duorum palmorum altitudine, Origano ſimilis: flore bullis aureis: cauſa nominis, quoniam diutiſſime non marceſcit: huius vſtæ nidor vrinam cit, vuluamque purgat, tanto magis inſidentibus. Alibi autem inter Artemiſias ſimiliter Dioſcoridem ſecutus, inquit, ſunt, qui in Mediterraneis eodem nomine appellant: ſimplici caule: minimis foliis: flores copioſi erumpentes, cum Vua matureſcit, odore non iniucundo, quam quidam Botrym; Alij Ambroſiam vocant: talis in Cappadocia naſcitur. Alia tamen eſt apud Dioſcoridem Ambroſia, & Botrys apud eumdem Plinium, vt locis propriis habetur. Videtur autem Plinius exiſtimaſſe Artemiſiam prædictam Ambroſiam eſſe, cum aliam mentionem non ferat Ambroſię. Putatur hæc à recentioribus Eupatorium dici apud Meſuem, ſed noſtram ſententiam aperiemus in Eupatorio Arabum.

CAP. X.

ACHILLEA radices ſumma tellure ſerpentes fert: à quibus frequentes caules attolluntur, ſimplices, cubitales, alicubi breuiores: foliis per interualla ſimilibus Abrotono vulgari, frequentioribus diuiſuris, colore virenti: in cacumine vmbellæ inſidēt, denſis corymbis; flore albicante: tota odore valido conſtat medicato: oritur in montibus præcipue cultis. ſunt, qui hanc Abrotonum ſylueſtre vocant. Dioſcorides inter Siderites quarto loco deſcribit, quæ Achilleos cognominatur; fert inquit ſcapos, altitudine dodrantali, vel maiores, ſpecie Atractylis (Fuſum alij vertunt: Theodorus Gaza in Theophraſto Fuſum agreſtē vertit, quod græce Atractylis dicitur) circa quos folia puſilla, tenuia, denſis ex obliquo ſectionibus inſtar Coriandri, ſub

rusa, lenta, odore multo, non insuaui, sed medicato: vmbella in cacumine orbiculata; flores albi, & purpurei, & aurei: prouenit læto solo. hæc descriptio in cæteris quidem supradictæ herbæ conuenit; at neque folia subrusa adhuc vidimus, neque flores varios: siue colores diuersi intelligantur in eodem flore, siue in diuersis. Serapio ex authoritate Constantini huic tribuit succum sanguineum, quē sanguinem Draconis appellat, cui easdem vires tribuit ad sanguinem sistendum, quas Dioscorides Cinnabari. igitur similitudo Achilleę cum Atractyli non solum in specie, sed & in succo erit: reddit enim Atractylis succum sanguineum teste Theophrasto; vnde Phonos idest cædes appellata est. At hæc conditio in Atractyli quidem animaduersa est à nobis, in planta autem supradicta, quę pro Achillea ostenditur, nequaquam. Alius est sanguis Draconis lachryma arboris in Aphrica nascentis, de qua alibi dictum est. Plinius Achilleos inquit ab Achille dicta est Chironis discipulo; quia vulneribus mederetur; hac enim sanasse Telephum dicitur. Hanc apud nos Millefolium vocant cubitali scapo, ramosam: minutioribus quam Feniculi foliis vestitam ab imo. Aliud tamen idem Plinius Millefolium vocari in Hetruria testatur in pratis nascens, de quo mox dicendum.

CAP. XI.

MILLEFOLIVM etiam nunc vulgò appellatur in Etruria, in cæteris similis Achilleæ, sed foliis in longitudinem productis; in longo enim pediculo vtrinque frequentissima foliola sunt, tenuiter scissa: vmbella in cacumine ramosa, amplior Achillea: flos aliis candicans, aliis purpureus; odor infirmus; sapor astringens: oritur in pratis præcipue montium: distat magnitudine: quædam enim pusilla est, palmi altitudine; foliolis digitalibus, Ammi similibus; quędam magna, cubitalis, & amplior: folio palmi longitudine, quod uideretur Tanaceti, nisi angustius esset ac tenuius scissum: omnium vsus vulgaris ad glutinanda vulnera præsertim iumentorum. Dioscorides Stratiotem terrestrem vocat, & Chiliophyllon idest Millefolium: exiguus inquit frutex est, palmi altitudine, aut amplior: folia ferens auicularum pennis similia: sunt autem foliorum appendices, valde breues, & scissæ, vt breuitate & asperitate maxime referant Cumini sylueſtris folia, atque etiam num contractiora existant. Vmbella quoque densior, & amplior; fert enim in cacumine ramulos paruos, in quibus vmbellæ sunt Anethi modo: flores exiles, albi: oritur in agris, subasperis, & potissimum iuxta semitas. pulcherrime autem foliorum figuram expressit Cumino sylueſtri comparans: si per Cuminum sylueſtre intelligamus Ammi, quod

inter

inter Cumini genera recenſetur à Dioſcoride. Hęc igitur deſcriptio par uo Millefolio congruit, non magno: vt hinc colligere liceat reliqua genera Millefolij ad Achilleam pertinere; nam in his reperiuntur flores albi, & purpurei; aureos autem non vidimus, niſi in Tanaceto, quod cum Millefolio maxime conuenit. Plinius de Millefolio inquit: Etruria hoc nomine appellat herbam in pratis tenuem, à lateribus capillamenti modo foliosam: eximij vſus ad vulnera: Bouum neruos abſciſſos vomere ſolidari ea. rurſuſque iungi addita axungia affirmans. Aliud autem eſt Millefolium, quod Græcis Myriophyllon, de quo alibi dictũ eſt.

CAP. XII.

HERBA Sanctæ Mariæ in Hetruria vulgò appellatur ſuffrutex in hortis odoratiſſimus: foliis multis ab radice, figura Lapathi, rectis, lęuiter ſerratis, mollibus, carnoſis, colore ſubalbido: caules ex medio foliorum attollit candicantes, lignoſos, cubitales: in quibus folia aſſidue minora ſunt, & candidiora: in cacumine flores in vmbella lutei, ſimiles Tanaceto, capitulis paulo tenuioribus, candidioribus: nectuntur folia in corollis odoris gratia: veniunt quoque in acetaria amara, vt Matricaria; ſapor enim amarus eſt, & ſubacris. Quidam hanc eamdem appellari tradunt Mentam Saracenicam apud Nicolaum Alexandrinũ in vnguento Martiano, quam diſtinguit ab altera Menta, quæ criſpa eſt. At cum vtrumque nomen in eadem compoſitione recipiatur, tamquam iis diuerſa ſignificentur: aliij per herbam Sanctæ Mariæ accipiunt Perſicariam: alij Sclaream domeſticam, vt videtur Syluaticus ſignificare, dicens: herbam eſſe tendentem ad albedinem; rugoſis foliis, Verbaſci modo, calidi & ſicci temperamenti. Sed ſi nomina hæc noua, quorum authores nõ multum hanc noſtram ætatem præceſſerunt, tranſlata iam ſunt in multas plantas, adeo vt non liceat authorum mentem percipere: quid putandum eſt de nominibus antiquis factum fuiſſe? Quorum ſignificationes ob vulgatã apud eos notitiam prætermiſſę ſunt. inter hęc putandum eſt nomen huius plantæ apud antiquos forte notiſſimum, nunc delitescere: mirum enim eſſet prætermiſſam fuiſſe adeo inſignem plantam: conſideranti igitur mihi, quæ de Meliloto traduntur tum apud Dioſcoridem, tum apud Plinium, quãquã pauca ſint, ea optime conuenire noſtræ herbæ Sanctę Mariæ viſa ſunt; nam inter coronarias eſſe colligit Plinius ex nomine: Sertula enim dicta eſt: Dioſcorides Sertulam Campanam appellari tradit, laudatiſſimam in Attica, & Cyzico & Chalcedone natam, cuius color vicinior eſt Croco, boni odoris: naſci & in Campania circa Nolam, colore in luteum languescente, odore infirmo. Ex quibus ſignificatur cacumina tantum huius plantæ col-

ligi ad vsum: flos enim luteus est, vel croceus, qui magis laudatur: foliorum autem mentio fit in Ligustico, cui tribuuntur folia Meliloti, molliora, odorata, & prope verticem graciliora: Si igitur nostra Imperatoria Ligusticum est, folia prædictę plantę optime conueniunt; oblonga enim sunt, & in ambitu vndique serrata. Plinius Melilotus inquit: vbique nascitur, laudatissima tamen in Attica, vbicumque vero recens, nec candicans & Croco quam simillima, quamquam in Italia odoratior, & candida. & alibi inter eas, quę folio venere in cornamenta, numerat Melissophyllon, & Melilotum, quod Sertulam Campanam vocant; est enim in Campania Italiæ: laudatissima à Græcis in Sunio, mox Chalcidica, & Cretica: vbicumque vero asperis & sylueſtribus nata. coronas ex hac antiquitus factitatas indicio est nomen Sertulę, quod occupauit; odor eius Croco vicinus est, & flos, ipsa Cana: placet maxime foliis breuissimis, atque pinguissimis: Alibi laudat inter herbas iuxta apum aluearia serendas, Melilotum, Melissophyllon. Auicenna Melilotum inquit est flos plantæ, coloris paleæ, in quo est figura lunaris, cum raritate sua, quamdam habens duritiem, & ex eo aliud album est, aliud citrinum: sed melius est, quod durius est; eius color ad albedinem parumper declinat, & sapor eius amarior sentitur, & cuius odor est manifestior. hæc adamussim ostendunt herbæ Sanctæ Mariæ capitula substantiam, colorem, saporem, & odorem. At Serapioni longe diuersa ostenditur planta pro Meliloto, cuius non flores, sed semina in vsu sunt, de qua nos alibi egimus.

CAP. XIII.

HELICHRYSON, quam recentiores Medici Stœchadem Citrinam vocant, passim in incultis, arido solo nascitur: cespes fruticosus, rotundus, candidus; numerosis cauliculis; lignosis simplicibus, semicubiti altitudine: foliolis angustis, & oblongis, vt Stœchadis, mollibus: in cacuminibus vmbellæ ex paruis capitulis constantes, lutei coloris, qui tamdem in tenuem lanuginem soluuntur: tota odorata est, subacris, & amara. Tignamicam alicubi vocant, quasi Timiama, ad suffitus vtilem. Apud Theophrastum Heliochrysos vocatur, Theodorus Aureliam vertit: habet florem inquit auro similem: folium candidum: fructum tenuem, durumque: radicem per summa cespitum durã, atque tenuem: vsus eius ad serpentiũ morsus è vino: valet etiam ad ambusta, cremata, & mixta melli. qui eius flore coronatur, insperso vnguento ex auro, quod Apyron vocatur, gloriam atque existimationem bonam consequi creditur. Dioscorides Helichryson inquit quidam Chrysanthemũ; nonnulli & Amaranton vocant, quo & Deas coronant;

cau-

cauliculus candidus, virens (Hermolaus non λευκόν, idest candidum legit, sed λεπτὸν, idest tenue: forte quia repugnare videtur color candidus cum virente) erectus, & durus; in quo folia ex interuallis angusta, Abrotono similia: coma orbiculata, aurei fulgoris: vmbella rotunda veluti aridi corymbi: radix tenuis: nascitur in asperis, & cõuallibus. Plinius vno loco Theophrastum sequutus inquit: Heliochrysos florem habet auro similem; folium tenue: cauliculum quoque gracilem, sed durum: hoc coronant se Magi. Alibi iterum mentionẽ facit ex Dioscoride inquiens: cauliculos habet candidos: folia subalbida, Abrotono similia: ad solis repercussum aureæ lucis in orbem veluti corymbis dependentibus, qui numquam marcescunt: qua de causa Deos coronant illo, quod diligentissime obseruauit Ptolemęus Rex Aegypti: nascitur in frutetis. Galenus Amarantum vocat; quia scilicet non maturescit: alia tamen est Amarantus apud Plinium, de qua nos alibi diximus.

CAP. XIIII.

CHRYSOCOME in petris tantum nascitur, copiosa in męniis Pisanis; fruticulus candicans, tenuis, ramosus: foliolis Helichrysi, rarioribus: in cacuminibus ramulorum singula capitula oblonga, squamosa, sine flore, sed squãmis ad solis repercussum aureis: semen abit in lanuginem. Aliæ quędam huius generis nascuntur in tenui solo, & saxoso. quædam in montibus pluribus capitulis, in vnum aggregatis: Quædam & descendit in plana: latioribus foliis, hirsutioribus: pluribus veluti vmbellis sparsis, ad Helichrysum accedentibus. Dioscorides Chrysocome inquit ramulus est dodrantalis, comam habens corymbaceam, similem Hyssopo; radicem hirsutam, vt Ellebori nigri, tenuem, gustui non iniucundam, non minus quam Cyperi cum dulcedine subastringentem (non bene, vt puto, hic locus vertitur Cypero æqualem magnitudine: ad gustum enim refertur æqualitas in codice Aldino) nascitur in opacis & petrosis. Plinius inquit: Chrysocome, siue Chrysitis non habet Latinam appellationem: palmi altitudine est; comantibus fulgore auri corymbis: radice nigra, ex austero dulci: in petrosis, opacisque nascens. Hermolaus, nescio, quem secutus, tradit: sine foliis: sine semine: solo scapo.

CAP. XV.

HERBA Impia in tenui solo, & inculto nascitur, in Cana, vnico vt plurimum cauliculo, palmi altitudine, recto, ac lignoso: foliolis frequentibus circumuestientibus, Helichryso breuioribus,

bus, mollioribus, tomentosis: in cacumine capitulum fert ex tenuibus corymbis constantem, sub aureis: à latere capituli ramulos attollit assidue, alia capitula sustinentes: sine odore; sapor subamarus, & exsiccans: Alia in montibus tenuior ac ramosior, tenuioribus, ac simplicioribus corymbis. Plinius inquit herba Impia vocatur in Cana Rorismarini aspectu, thyrsi modo vestita, atque capitata: inde alij ramuli assurgunt, sua capitella gerentes: ob id Impiam appellauere; quoniam liberi super parentem excellant; Alij potius ita appellatam, quod nullum animal eam attingat, existimauere. Hæc inter duos lapides trita feruet præcipue aduersus anginas succo lacte & vino admixto; mirumque traditur numquam ab eo morbo tentari, qui gustauerint. Itaque & suibus dari: quæque medicamentum id noluerint haurire, eo morbo interire. Sunt, qui & in auium nidis inseri aliquid ex ea putent, atque ita non strangulari pullos auidius deuorantes. Sunt, qui hanc apud Dioscoridem Gnaphalion dici putent; quia eius folia alba, & tomentosa sunt.

CAP. XVI.

EVPATORIVM vulgò appellatur suffrutex, in foueis, & locis humectis nascens: caule recto, cubitali, altiorique, subhirsuto, colore ex ruffo nigricante: foliis per interualla Cannabis, sine pediculo hęrentibus, latioribus, tripartito diuisis, & serratis; & in foliorum alis alia foliola nascuntur, & aliquando ramuli: in cacumine flosculi subruffi in vmbellis, qui tandē in pappos euanescunt: tota planta odore constat exiguo, non insuaui; sapor inest amarus. hæc vsta nidore fugat animalia venenosa: glutinat vulnera: creditur ceruos vulneratos hac herba sibi mederi: vtiliter propinatur ad viscerum obstructiones. Quamuis hæc planta hucusque nomen Eupatorij retinuerit, exploditur tamen à recentioribus, tamquam adulterinum: & herba pro legiptimo Eupatorio substituta est, cui pręter astrictionem nullus conspicuus inest sapor, nulla amaritudo, neque odor, quæ vulgò Agrimonia vocatur: cum tamen Galenus Eupatorium tradat herbam tenuium partium, facultate incidendi, & abstergendi pręditam, sine manifesta caliditate: idcirco obstructiones Iecinoris expurgare: inesse autem modicam astrictionem, per quam robur visceri addit: easdem facultates tum Auicenna, tum Mesues tradunt Eupatorio. idcirco non videtur aliud esse Grecorū Eupatorium, aliud apud Auicennam & Mesuem. Profecto Auicenna videtur hanc plantam intelligere; & quosdam peritissimos viros video in hac sententia permanere, appellantes Eupatorium Auicennæ: inquit enim Auicenna: Eupatorium est ex herbis aromaticis, & habet folia sicut Cannabis: & flos eius est sicut Nenufar: succus calidus in primo

gradu,

gradu, siccus in secundo: attenuat, incidit valde, abstergit sine attractione, & sine caliditate manifesta; inest quoque astrictio pauca, amaritudo vehemens, sicut est amaritudo Aloes. hæc omnia præter floris similitudinem insunt in hac planta. Quamuis autem varie ab interpretibus vertantur eius verba, videtur tamen eamdem plantam intelligere quam Dioscorides: ex foliis scilicet Cannabinis, & ex facultatibus, quas ex Dioscoride transcribit: idcirco similitudo floris Nenufaris forte ob errorem interprætis ponitur. Quod autem huic eidem plantæ forte conueniat descriptio à Dioscoride tradita hinc patet. inquit enim: Eupatorium surculosa est herba, vno caule, lignoso, nigricante, recto, tenui, hirsuto, cubitali, interdum ampliore: foliis per interualla Quinquefolij, aut Cannabis potius similibus, quinque partito, aut amplius diuisis, nigricantibus, ipsis per ambitum serratis: semen è medio caule erumpit pilosum, deorsum spectans, quod siccatum vestibus hæret: huic tribuit facultatem siccandi; nam vlcera rebellia ducit ad cicatricem: herba & semen in vino sanat dissenterias, hepaticos, & à serpente percussos. Hanc aliqui falsò, subiungit, Argemoniam vocarunt; alia enim est Argemonia. Plinius quoque Eupatoria inquit regiam authoritatem habet, cauli lignosi, nigricantis, hirsuti, cubitalis, aliquando & amplioris: foliis per interualla Quinquefolij, aut Cannabis, per ambitum incisis quinque partito, nigris, & ipsis plumosisque: radice superuacua: semen dissentericis in vino potum auxiliatur vnice. si igitur singulas notas perquiramus, longe magis huic plantæ conuenient quam Agrimoniæ. caulis enim altitudo, & color; foliorum positio per interualla, & similitudo Cannabis perbelle huic conueniunt; Agrimoniæ autem nequaquam. similitudo autem Quinquefolij, & semen ex medio caule pilosum, deorsum nutans, quod siccatum vestibus adhæret, videtur optime Agrimoniæ conuenire; huic autem nullo modo. ideo vicit eorum opinio, qui Agrimoniam Eupatorium legiptimum dixerunt. at si hæc sano modo intelligantur, nulla erit ambiguitas. Quinquefolij igitur similitudo in partitione foliorum est; in singulis enim geniculis multæ partitiones foliorum spectantur incerto numero ad minimum ternæ: sed partium figura oblonga in acutum desinens, Cannabinis potius foliis æquiparantur at semen ex medio caule erumpens cur non possumus eodem modo intelligere, vt de Panace Herculea scribit idem Dioscorides, cum inquit: semē optimum, quod è media ferula habetur, minus vtile, macilentiusque quod agnascentium stolonum cacuminibus dependet. sic enim visitur in hac planta: quamuis enim multis ramis constet; semen tamen non à lateribus fert, sed ex medio caule tantum, in cacumine circundans, vmbellę modo. Appellauit autem semen non florem, quod in plerisque huius generis facit; flos enim lanugineus non distinguitur à semine. defecis

set autem aliqua ex parte, si Agrimoniam intellexisset, cum florem luteũ subricuisset, qui manifestus est. nutant autem & hic semina aliquantum, cum perfecta sunt, & vestibus hærent, cum in lanuginem soluuntur. Quid si & apud Mesuem hanc eamdem intelligi dicamus? inquit enim herba est longitudinis cubiti; amaritudinis multæ; cuius folia sunt, sicut Centaureæ minoris, viridia, sed sunt aspera, & incisa, & caulis eius est tenuis, & quando exsiccatur, citrinescit; & eleuantur super eum flores, qui sunt quasi subcitrini, longitudinis paucæ. Quamuis hæc satis congruere videantur Canforatæ nostræ; tamen à vulgari Eupatorio non abhorrebunt: Color enim floris, quasi subcitrinus significat, non omnino citrinum esse: at Canforatæ flos aureus non meretur denigrationem huiusmodi, vt appelletur quasi subcitrinus. Sępe autem Arabum interprætes citrinum vertũt id, quod ruffum significat, aut fuluum, qualis est color leoninus: in qua significatione si hoc loco accipiatur, optime quadrabit vulgari Eupatorio: recte enim eius color, quasi subfuluus dici possit; vergit enim ex ruffo in nigredinem: eodem colore spectatur & caulis, quem Mesues inquit citrinescere: qui colores nequaquam in Canforatæ caule insunt. Præterea attolli flores in paruam longitudinem pulcherrime spectatur in nostro Eupatorio, non in Canforata: longitudo quoque caulis cubitalis rarissime visitur in Canforata: folia autem Centaureæ minoris, quamquam exactius Canforatæ conueniant, tamen eorum asperitas Eupatorio magis congruit. Nullus autem fuerit error, si Canforata pro Eupatorio assumatur; vires enim easdem habet, immo in abstergẽdo, & aperiendo efficaciores; at minus astringẽdo corroborabit.

CAP. XVII.

QVAEDAM in eisdem locis nascitur, ac fere in aquis, breuior Eupatorio, ramosa; foliis eisdem, tripartito diuisis: capitula in cacuminibus fert pauca, stellata flore luteo; semina includuntur valde compræssa, & oblonga in duos aculeos desinentia: vnde Bidens vocetur: colore ex nigro ruffescente. eodem reperitur aliquando folio non dissecto.

CAP. XVIII.

ARCTIVM in maceriis, & parietibus nascitur; caule subrubro, recto bicubitali, hirsuto: foliis Verbasci, subrotundis, nigricantibus: ramos fert rectos: in cacuminibus capitula insident herbacea, pallescentia, quæ in maturitate fundunt lanuginem, Eupatorio similem, seminibus hærentem, nigris, tenuibus, ac breuibus: radix subest

ramosa,

ramosa, antequam caulescat, tenera, & friabilis, prædulcis, cum suauitate quadam; sed cum senuerit, dura redditur, ac lignosa: Dioscorides Arctium, & Arcturum vocari tradit Verbasco similem: foliis hirsutioribus, rotundioribus: radice tenera, dulci, & alba: caule molli, longo: semine Cumini, paruo. decocto radicis & seminis in vino colluuntur dentes in dolore: fouentur ambusta, & perniones: bibitur & ad vrinæ difficultatem. Plinius eadem habet: addit nasci in petrosis.

CAP. XIX.

CACALIA in Alpibus nascitur: foliis Tussilaginis, latioribus, rotundioribus, in ambitu serratis, in parte aduersa candidioribus: caulis rectus attollitur, cubitalis; paucis ramis. in cacumine vmbellæ continentur colore subruffo, Eupatorio similes, lanuginem fundentes: radix tenuis, & odorata, sublidulcis. Dioscorides inquit: Cacalia, quæ Leontice vocatur, folia fert magna, alba, è quibus medius caulis rectus assurgit, albus, florem sustinens Robori similem, aut Oleæ: oritur in montibus: huius radix in vino madefacta manducatur, & delingitur, vt Tragacantha ad tusses & arteriæ scabrities: Grana, quæ post excussum florem innascuntur, trita & cum cærato illita faciem erugant, & cutem extendunt. Plinius inquit Cacalia siue Leontice vocatur, semen Margaritis minutis simile, dependens inter folia; in montibus ferè.

CAP. XX.

PETASITES in Alpibus nascitur, locis riguis, copiosa in Valle Vmbrosa montis Hetruriæ, qui pratus magnus vocatur: Vere ante quam folia exeant, caulis assurgit, nudus, dodrantalis, plenus flore muscoso, subpurpureo, quo paulo post exarescente exeunt folia æstate ingentia, rotunda, effigie Tussilaginis, sed amplissima, vt excedant latitudine folia Personatę: pediculus baculi crassitudine, aliquando bicubitalis: radix crassa, & longa, vehementer odorata, & amara. Dioscorides inquit Petasites pediculus est, cubito maior, crassitudine pollicis, in quo pręgrāde folium Galeri modo amplum, ceu fungus insidet, quod cataplasmate imponitur phagedęnis & vlceribus malignis. recentiores vtuntur in febribus pestilentibus: nam radix in puluerem contrita ex vino bibita sudores promouet copiosos; sedat mulierum tormina & præfocationes: enecat lumbricos; prouocat vrinam, & menses; exsiccat vlcera præhumida; iuuat orthopnoicos. Hermolaus Vngulam Caballinam vocari tradit; radice brachiali, odorota: flore in spica purpureo: sed putat Arcion esse.

CAP. XXI.

TVSSILAGO, quæ vulgò Farfara vocatur, ab aliis Vngula Caballina, in vineis potissimum nascitur, locis riguis: folio rotundo, in ambitu modice circumroso, & ob id anguloso, candicante, subhirsuto: nullo caule: neque flore: tantum aduentante vere cauliculi exeunt, ante quam folia erumpant, nudi, dodrantales, sustinentes in cacumine florem luteum, in ambitu foliaceum, in medio lanugineum, qui paulo post vnà cum caule exarescens in pappum soluitur: folia autem non nisi aduentante æstate erumpunt, pereuntque frigoribus: radices sunt sarmentosæ, & candidæ, lori modo flexiles, quæ arefactę vsum fomitis præbent ad ignem ex attritu silicis excipiendum. Dioscorides grece Bechion vocat, idest Tussilaginem: eius folia inquit sunt Hederæ maiora, sex, aut septem ab radice, subalbida à terra, superne virentia, in plures angulos exeuntia: fert vere caulem dodrantalem, & florem luteum, qui cum caule cito perit; vnde quidam putarunt, herbam ex iis esse, quæ caule & flore carent: radix tenuis, inutilis: nascitur in amęnis & riguis. Plinius inquit tussim sedat Bechion, quæ & Tussilago dicitur: duo eius genera: sylvestris, vbi nascitur, subesse aquas credunt, & hoc habent signum Aquileges; folia sunt maiuscula, quam Hederæ, quinque, aut septem, subalbida à terra, superne pallida, sine caule, sine flore, sine semine: radice tenui. Quidam subiungit eamdem esse Bechion & alio nomine Chamæleucem putant. de Chameleuce autem alibi inquit: Chamęleuce apud nos Farranum, siue Farfugium vocant: nascitur secus fluuios: folio Populi, sed ampliore: radix eius imponitur carbonibus Cupressi, atque is nidor super infundibulum imbibitur in vetere tussi: Altera vero Tussilago inquit, à quibusdam Saluia appellatur, similis Verbasco. innuit autem Sclaream, de qua diximus loco proprio. colligere autem licet eamdem esse Tussilaginem & Chamęleucem; tum quoniam hę voces apud Dioscoridem eidem tribuuntur, tum facultates quoque, & vtendi modus idem, vt scilicet arida folia, vel radix carbonibus iniecta fumum transmittant per traiectorium in os, sic enim sanare tusses antiquas & orthopneam; abscessus rumpere in pectore: omnino contrariam facultatem virentibus foliis inesse; nam ob aqueam substantiam refrigerare; ideo admoueri ad inflāmationes, vt apud Dioscoridem & Galenum traditur. Idcirco mirari licet, qua ratione hodie Medici Farfaram elecmate vtuntur, ad crassa educenda ex pectore in coctis radicibus, quas Dioscorides inutiles tradidit: sed forte per Farfaram non hanc, sed aliam intelligunt: nam Manlius commentator Luminaris eos reprehēdit, qui pro Farfara, seu Vngula Caballina eam accipiunt,

quæ

quæ in vineis nascitur: sed cum consulat accipiendam esse Nimpheę speciem, luteo flore constantem, in errorem maiorem incidit: astringendo enim ea planta cohibet eductionem. Hermolaus per Vngulam Caballinam accepit eam, quam nos Petasitem putamus, cuius profecto radici insunt magnæ facultates, vt prædiximus: & valde consentaneum rationi videtur, vt apud Plautum huiusmodi folia intelligantur, cum inquit in Sabinis; dissipabo te, vt folia Farfari: itemque in Penulo: prosternebam inquit eos, vt folia Farfari, quasi ingentia quædam folia essent, in alto pediculo, ad prosternendum apta. hoc modo possumus apud Pliniũ Chameleucem siue Farfugium huic ascribere, vt differat à Tussilagine: aut radices Cacaliæ pro Farfara assumi possunt; nam ad linctus laudantur à Dioscoride. si vero hæc Vngula Caballina appellata est. dicemus apud Auicennam Nenufarum illud esse, cuius flos similis Eupatorio ab eodem traditur: Nenufarum enim vnum Aquaticum; vnum terrestre faciunt Arabum intepręte, Vngulam Caballinam vocantes.

CAP. XXII.

CHAMAEMELVM, vulgò autem Chamomilla, herba in aruis frequens nascitur: caule semicubitali, in ramos multos fisso: foliis scissis, capillamenti modo, vt Feniculi: insident ramulis capitula arida, ex squãmulis constantia, in quorum ambitu foliola candida circumuallant, frequentia, medio extuberante, veluti flocco, coloris lutei: qui flores sunt semina tegentes, numerosa: odoris suauis, sed medicati: floret inclinante vere, diutius, in multam æstatem. Dioscorides Anthemidem vocat, quod nomen & aliis quibusdam conuenit, vt inferius patebit: priuatim autem Leucanthemon appellari tradit à colore albo floris, & Chamęmilon ab odore Mali: describit autem in hunc modum, duas alias sub eadem descriptione complectens. genera eius inquit tria, flore tantum distantia; rami dodrantales, fruticosi, alas multas habentes, & paruos, tenues, ac multos ramulos: capitula rotunda: flores intus aurei coloris, exterius circumdant in orbem candidi, aut lutei, aut purpurei, veluti Rutæ foliola: oritur gracili solo, & iuxta vias: colligitur vere. Theophrastus Anthemon inquit: floret particulatim, incipiens non ab imo, vt in cæteris, sed à summo: flos candidus circumdat, medium viridis tenet (idest pallidus) & semini color idem: decidit id, vti & spinosorum, conceptaculo inani relicto: genera eius plura: quædam ab radice tantum foliata; Quædam in caule solum: sed has Theodorus Nigellam vertit. Plinius ex Dioscoride ferme ad verbum transcribit: addit eius florem inter coronamenta reponi: magnis laudibus celebrari ab Asclepiade. de luteis & purpureis patebit inferius in Chrisanthemo, & Eranthemo.

CAP. XXIII.

COTA vulgò in Hetruria vocatur, alij Cotulam fętidam appellant, herba est passim in ruderibus nascens, simillima Chamomillæ; crassioribus tum foliis, tum floribus, & graui odore: huius flos initio concauus est, acetabuli modo, postea in rotunditatem extuberat crassam, oculo similem, vnde quidam Oculum Vaccæ appellant. Dioscorides Buphthalmon, vt puto vocat, quasi oculum Bouis; inquit enim: caules fert tenues, mollesque; folia Fęniculi; florem luteum, Anthemide maiorem, oculi similitudine, vnde nomen traxit: circa oppida nascitur, & in campestribus. Quamquam autem Dioscorides luteum florem dixerit, nec meminerit alba folia, quę circumdant: ex Galeno tamen coniicere possumus alba esse circumdantia folia, non lutea: inquit enim Buphthalmos, sic appellata est à floribus, qui figura quidem Bouum oculis videantur similes, colore autem Anthemidis floribus simillimi sunt, sed multo illis tum maiores, tum acriores, & quæ sequuntur. Plinius inquit Buphthalmos similis Bouum oculis; folio Fæniculi: circa oppida nascens: fruticosa caulibus, qui & manduntur decocti. Quædam in syluis nascitur, altior, & rectior Cotula, sine odore; in quo genere in Gallia traditur radice feruentis gustus; ideo Pirethrum vocant.

CAP. XXIIII.

MATRICARIA vulgò dicitur, à quibusdam Amareggiola, siue herba amara, in hortis sponte nascens: caulibus prope cubitalibus, rectis, ramosis: folia fert laciniata, diuisura fere Tanaceti, breuiora, viridioraque: cacuminibus flores insident Chamęmeli: tota odore constat medicato, non tamen insuaui; sapore amaro, non tamen adeo, vt abdicetur à cibis; nam inter olera ex aceto parata recipitur: olfacta ex aceto reuocat mulieres, quæ ex vtero suffocantur. Dioscorides Parthenion vocat, quod inter alia nomina Amaracum appellari tradit; vnde forte hodie Amarago à quibusdam dicitur: Cautam quoque Hetruscis dici: sed hoc nomen in nostram Cotam & Cotulam transisse videtur. Folia inquit sunt Coriandri tenuia; flores candidi per margines, medio lutei odore subuiroso; sapore amaro. Plinius, quamuis hoc nomen Parthenij aliis quibusdam tribuat, de hac tamen loquens inquit: nascitur in hortorum sæpibus: flore albo; odore Mali; sapore amaro: ad insidentium decoctum in duritia vuluarum & inflammationibus, & quæ sequuntur. Alibi recenset inter olera.

QVAE-

CAP. XXV.

QVAEDAM in asperis nascitur: multis cauliculis, rectis: radiculis summa tellure serpentibus, Graminis modo, à quibus frequentes exeunt cauliculi, dodrantales, simplices: frequentibus foliolis, angustis, in tenuem cuspidem desinentibus, similitudine paruæ serræ, vtrinque dense, ac profunde denticulatis; in cacumine tenues ramulos fert, quibus insident flores Chamęmeli, tenuiores, odore exili. putatur à quibusdam Ptarmica.

CAP. XXVI.

PRIMVLAVERIS flos pratensis est, qui non dum exacta hyeme flores fert, solem spectantes, quos nectunt in coronas, quamquam sine odore: Folia ab radice tantum fert subrotunda: modice oblonga, humi strata, quæ recipiuntur inter olera: cauliculum nudum, in cuius cacumine flos insidet similis Chamęmelo numerosioribus foliolis circumdantibus, superne candidis, auersa parte subrubentibus; diutius floret, alium atque alium subinde cauliculum ferens. Quidam Medici Consolidam minorem vocant; quoniam vulneribus sit vtilis, potissimum in fractura capitis admota: succus etiam herbæ vtiliter à vulneratis bibitur: Quædam in hortis colitur hyeme tota florens, multiplici rubentium foliorum ordine. Has plantas apud Plinium Bellim & Bellium vocari plerique fatentur, optima ratione; inquit enim: Bellis in pratis nascitur: flore albo, aliquatenus rubente; ad omnes ceruicis dolores, tumoresque quacumque in parte illita cum Artemisia: & alibi luteus inquit & Bellio pastillicantibus quinquagenis quinis barbulis coronantur; pratenses hi flores, ac sine vsu, ideo & plerique sine nominibus; quin & his ipsis alij alia nomina imponunt. Quo loco luteum dixit florem, idest internum; barbulas autem appellauit circumdantia foliola. Alibi puto hanc eamdem intellexisse sub nomine Anthemi, cum inquit: primum Anthemum quoque calculos eiicit: paruis è radice foliis quinis; caulibus longis duobus; flore roseo: radices tritæ per se ceu Lauer crudum. Assumpta hæc sunt ex Theophrasto, qui Anthemon quoddam scripsit ab radice tātum foliatum; sed Theodorus inibi vertit Nigellam. Quid si hanc eamdem apud Dioscoridem dicamus inter genera Anthemidis, quam Cranthemon vocat, quasi florem veris; ad id enim alludit: & appellatio vulgaris apud nos: hanc dixit flore purpureo constare, efficacissimam ex omnibus generibus ad calculos, in totum maiorem: quæ nota, si de flore intelligatur, conuenit; maior enim est in totum,

non

non si de frutice, vt Plinius interpretatur; breuior enim hæc est. Quædam iuxta vias nascitur, quam recentiores Bellim maiorem vocant; caules rectos fert, dodrante altiores, foliosos: folia sunt Oleæ figura, serrata: flos in summo candidus, longe amplior Chamęmelo: æstate floret, vtuntur quidam floribus cum axungia ad capitis vlcera maligna, quam tineam vocant. non dubito hanc apud Theophrastum inter genera Anthemi censeri, quod foliaceum vocat. Theodorus Nigellam foliosam vertit. Alia ab eadem radice multos ædit cauliculos, dodrantales, veluti orbem describentes circa radicem: folia frequentia, cauliculos vestientia, similia Belli pratensis: flos quoque eidem similis candidus, singulis cauliculis insidens: sapor toti plantæ valde acris: & odor feriens: prouenit locis asperis in Ilua insula. His adiungatur, quæ Bellis montana vocatur, in asperis nascens: foliis ab radice Bellis pratensis, rotundioribus: cauliculo simplici, sæpe nudo, aliquando paucis foliolis: in cacumine capitulum rotundum, cęrulei coloris: herba amaro gustu prędita. huius generis in Ilua nascitur quædam fruticosa: ramulis lignosis: foliis modice angulosis, crassis, fragilibus: capitulis iisdem.

CAP. XXVII.

IAM albis floribus explicatis ad luteos accedamus, Chrisanthemum in ruderibus nascitur, similis Cotulæ tum foliis, tum caulibus, hirsutioribus tamen: flos secundum totum luteus est, ac sine odore: quidam pro Buphthalmo accipiunt. Dioscorides meminit bis Chrisanthemi: semel inter Anthemidis genera hanc, vt puto, intelligens; nã Anthemidi in totum similis, excepto coloris flore. Iterum lib. 4. seorsum de Chrisanthemo agit, quam herbam mox subiungam.

CAP. XXVIII.

ALTERVM Chrisanthemum ex Sicilia aduectum est, fruticosius: ramis multis in latera fusis, mollibus, ac læuibus: foliis subcandidis, læuibus, crassius diuisis quam Cotula; flores fert extuberantes, oculi modo, grandiores Cotula, aureo colore splendentes. similis apud nos oritur in aruis, gracili solo: paucioribus ramis: candidiore folio, in extremis tantum scisso: flos non adeo extuberat. Dioscorides de hoc agens inquit: herba est tenera, fruticosa, ferens caules læues, folia multipliciter scissa, flores luteos, multum splendentes, oculi modo in orbem coactos; vnde appellatio; nam & Buphthalmos appellata est: nascitur prope oppida: eius caules inter olera comeduntur. Ad Chrisanthemum reduci videtur etiam apud nos quædam in aruis, folia ferens

suu-

subhirsuta, in ambitu serrata, vt Bellis maior: caulem quoque rectum; flores aureos, specie Chrysanthemi.

CAP. XXIX.

CALENDVLA vulgò appellatur; quia singulis mensibus floret; in Hetruria Fiorrancio ob colorem aureum Mali Aurantij; colitur in hortis non solum pro olere; nam cruda venit in acetaria, sed etiam pro corollis ob floris elegantiam: subhirsuta est herba, ac ramosa, non excedens duos dodrantes: folia fert oblonga, duorum digitorum latitudine, sine pediculo adnexa; florem fert summis ramulis, extenuibus, ac numerosis foliolis constantem, colore aureo, splendido, media lanugine crocea, in capitulis Anthemidi similibus, sed amplioribus; odore non ingrato: semina inflexa, specie vermiculorum, varia figura in eodemmet capitulo: cortex enim externus aliis est in latera dilatatus, aliis angustus & asper. eius duo genera: sylvestris minor; flore magis pallido: hortensis plenior: flore latiore, & magis splendido; sapor dulcis vtrique, & suauis, cum quadam astrictione. recentiores Medici modice calidam statuunt & siccam: stomachum corroborare, excitare appetentiam ciborum: adseruari etiam ex aceto & sale flores conditos in hunc vsum: flores & folia exsiccata dari in vino cum spica ad mamillarum inflationes ob menstruorum retentionem: suffitu secundas ciere: succum foliorum auribus institutum vermes necare: ad dolorem dentium pluuis cum Bombice ad moueri præcipitur: cortices idest semina in puluerem redacta malignis pustulis cum cærato imponuntur: sunt qui vtantur in peste tum intra tum extra aqua ex floribus per sublimationem quæsita: celebratur ad omnia vitia oculorum tum calida, tum frigida, & ad claritatem visus faciendam. Putatur apud Plinium Caltha appellari, quam inquit proximam esse Violæ Calathianę concoloři amplitudine: vincit numero foliorum Marinam, Quinquefolia non excedentem: eadem odore superatur; est enim grauis Caltha. reperitur & apud Vergilium Calthæ mentio inter flores coronarios luteolam Caltham dicentem. sed hæc possunt etiam de Chrysanthemo intelligi; nam apud Dioscoridem Chalcas vocatur, &, vt alij legunt, Caltha.

CAP. XXX.

ASTERACTICVS in gracili solo & inculto nascitur; caule recto, ligneso, dodrantali, aliquando cubitali, & altiore, paucis ramis, rectis: folia insunt hirsuta, quasi Oleę, latiora, ac mollia: cacuminibus capitula fert, foliolis circundata, acutis, in stellæ modum:

florem

florem luteum, subconcauum circum radiantibus breuioribus, ac tenuioribus foliolis quam Chrysanthemi flores: capitula à latere subnascentia, subinde altius attolluntur, quod paucis peculiare est. Dioscorides inquit: cauliculus lignosus; florem purpureum, aut luteum sustinens cacumine, velut Anthemis: capitulum in ambitu diuisum, foliolis circundantibus, stellæ modo: quæ autem in caule folia sunt oblonga & hirsuta existunt. Additur in quibusdam codicibus: huius stellas noctu conlucere; adeo vt qui naturam stirpis ignorant, visum aliquod videre se putent: inueniri à pastoribus pecudum. Plinius Aster inquit, ab aliquibus Bubonium vocatur; quoniam inguinum præsentaneum remedium est: cauliculus foliis oblongis, duobus, aut tribus: in cacumine capitula, stellæ modo, radiata. In Alpibus quædam nascitur: simplici caule, dodrantali: foliis duris, non lanuginosis: in cacumine flos amplior, foliolis circumuallantibus, multo longioribus, modò luteis, modò cæruleis. Altera in ruderibus ramosa, altior: capitulis ac floribus minoribus, luteis: vtrequè læui tum caule, tum foliis constant, & carent foliolis stellatim circa florem dispositis.

CAP. XXXI.

PLVRES sunt Asteractico similes; sed earum capitula carent foliolis, stellatim positis, vt quę vulgò Incensaria vocatur: hęc in montosis nascitur, arido, & inculto solo, præcipue iuxta Scoparum frutices: folia fert ab radice, humi strata, lanuginosa, quasi Borraginis, minora, odoris grauis: caulem in æstate fert rectum, rotundum, cubitalem, paucis ramis, in quibus parua sunt folia, sine pediculo adnexa: capitula in cacuminibus flore luteo, vt Asteracticus: radices subsunt Elleboro nigro similes, odoratæ, quasi Thuris; vnde nomen Incensariæ. Laudant ad dissecandas destillationes pectoris, & Corizas & Paralisim; sunt, qui hanc pro Bacchari ostendant; alij Libanotidem sterilem esse apud Theophrastum, cui non abhorret radicis odor, sed de Libanotide alibi diligentius à nobis agitur. Plinius inter Conyzas quamdam scribit, cuius radix Thus redolet, ideo Libanotis vocatur: quæ profectò nota nec à Dioscoride, nec à Theophrasto generibus Conyzę tribuitur: Marem Conyzam eam esse vult Plinius.

CAP. XXXII.

ALTERA in eisdem locis nascitur: tenuiore folio; radice alba, nequaquam odorata: eadem in plana descendit, potissimum iuxta scrobes, aggeresque pingui solo, & humecto: frequentioribus

ribus ramis: foliisque magis lanuginosis, odore ingrato. Dioscorides hanc inter Conyzas mediam vocat, tertio loco descriptam: caule crassiore, ac molliore quam minor Conyza: foliis medię magnitudinis, inter minorem & maiorem, minime pinguem, multo grauioris odoris, & iniucundioris: minus efficacem, quæ prouenit locis humentibus. Plinius hanc videtur Cunilanigem appellasse, quæ inquit Conyza est: numeratur autem inter Cunilas tertio loco inquiẽs: tertium genus est eius, quę à Græcis Mascula, à nostris Cunilago vocatur, odoris fædi; radicis lignosæ; & folio aspero; manipulo eius abiecto omnes etiam in tota domo blactas conuenire ad eum tradunt: priuatim aduersus scorpiones ex posca pollere, tribus foliis ex oleo perunćto homine fugari serpentes.

CAP. XXXIII.

DORONICVM apud nos in Alpibus nascitur: foliis ab radice, longo pediculo insidentibus, latis, quasi Tussilaginis, rotundioribus, minoribus, hirsutis, & in ambitu læuiter serratis: caulem semicubitalem, rectum; in quo pauca folia, minora, quorum pediculis appendices quędam sunt foliaceæ: in cacumine flos amplior Asteractico: radiculas fert multas, oliuares, ac geniculatas, Graminis modo, sobolem procreantes; sapore dulci; odore quodam aromatico: vt multum referant illud Cyperi genus, quod vulgò Trasi vocant, quo adulterant Doronici radices; sed distant; quoniam hæ in gracilitatem recuruam desinunt, scorpionis caudę modo: ob quam similitudinem iudicatum est esse Aconitum Pardalianche, facto experimento; nam referunt veneni vim interficientem radicibus inesse. Dioscorides enim inquit de huiusmodi Aconito: folia fert tria aut quatuor, Cyclamini, aut Cucumeris specie, minora tamen, lęuiterque hirsuta: caulem palmi altitudine: radicem incuruam, scorpionum caudæ similem, explendescentem, Alabastri modo. Theophrastus Aconiti nomine aliam intelligit: hanc, quæ Pardalianches à Dioscoride dicitur, simpliciter Theliphonum vocat, & Scorpionem ob radicis similitudinem, ad motum Scorpionẽ occidere tradunt: & eum reuiuiscere posse, si Elleboro candido illinatur: enecat idem & Boues & oues, & iumenta, & ad summam omnes quadrupedes eadem die, si genitalibus imponatur radix vel folium: proficit autem potum contra Scorpionum ictus: habet folium Cyclamini: radicem, vt dictum est, similem Scorpioni: nascitur Graminis modo, & geniculis constat: loca amat vmbrosa: hæc Theophrastus. Plinius de eodem inquit: folia habet Cyclamini, aut Cucumeris, non plura quatuor, ab radice lęuiter hirsuta: radicem modicam, Cammaro similem marino; quare quidam Cammaron vocauere: radix incuruatur paulum, Scorpionũ

modo; quare & Scorpion aliqui appellauere, nec defuere, qui Myoctonon appellare mallent; quoniam procul & è longinquo mures odore necat. nascitur in nudis caulibus, quas Aconas vocant, & ideo Aconitum aliqui dixere, nullo iuxta ne puluere quidem nutriente: Hæc Plinius. eius reperiuntur quędam differentię, pro crassitie & longitudine radicum, & foliorum asperitate, ac læuitate, paucisque aliis. ad fertur & inter merces peregrinas ex Oriente radicula eadem, quam in antidotis expetunt. Apud Arabes tantum mētio fit Doronici: tradit enim Serapio radicem esse è Syria aduectam, intus albam, foris sufflauam, pollicari fere crassitudine, aliquantum duram, & ponderosam: ei vim tribuit calfaciendi siccandique in tertio ordine; laudat ad flatus digerendos, & ictus venenatos tum potu, tum extrinsecus impositam: ad cordis quoque palpitationem, & sincopem. Medici igitur Arabum authoritate freti, radiculam prædictam ad hos morbos iam permulta secula recipiūt, quod profectò mirandum esset, nempe delituisse tanto tempore vim deleteriā, quæ toto genere humanę naturę aduersatur in Aconito. Actuarius inter Græcos recentiores in confectione quadam ad cordis palpitationem recipit Carnabadium, idest Doronicum, vt ipse interpretatur: ex qua voce quidam putarunt apud Paulum Aeginetā esse Arnabonem inter odoramenta, Casiæ, & Carpesio similem; vnde Possidonius, vbi Cinnamomum deerat, eo vtendum censebat. At hæc Doronico nequaquam conueniunt, præterquam quod & Serapio seorsum de Arnabone scribit, ex Paulo transcribens, appellat autem sua lingua Zurumbet, quod aliud est à Zedoaria, quæ & simili voce appellatur. Sed quid sit Arnabo adhuc incertum est. sunt qui Doronicum Mamiras esse putent apud Paulum, de quo nos egimus in Cyperis. Quid si apud Plinium Helenium dicamus? de quo inquit: dictum est ab Helenę lachrymis, frequens in Helena insula: radix candida intus, & dulcis: pota in vino hilaritatem traditur facere non minus, quam Nepentes illud prędicatum ab Homero; tristitiam enim omnem aboleri; cutem mulierum in facie, reliquoque corpore nutrire incorruptam: vtentibus dare gratiam, veneremque conciliari: est autem succi prædulcis: prodest & orthopnoicis, radix eius in aqua ieiunis pota; bibitur & contra serpentium ictus ex vino. Mures quoque contrita diciturn ecare. eamdem videtur intellexisse Author libelli de Plantis, qui ascribitur Aristoteli: Belenion, idest Velenium appellans, quod delibutorium in Perside venenum erat, in Aegyptum & Palestinam translatum sine periculo mandi cępit. Quæ autem de hoc Helenio dicuntur, maxime conueniunt Doronico, si vera sunt experimenta, quæ traduntur, quod Canes interficiat. Alibi tamen Plinius Helenium inter suffrutices coronarios recenset, cum inquit: Frutex humi se spargens: dodrantalibus ramis: folio simili Serpillo. assumpta hæc

sunt

ſunt ex Theophraſto, qui Helenium inter ſuffrutices coronarios recenſuit, ſylueſtre, ſurculoſum, minutis foliis, totum odoratum, odore acri, lignoſum, in ſummo terræ adhæret radice multifida, & torrida. ſed hoc incompertum hactenus eſt. Aliud autem Helenium apud Dioſcoridem, de quo mox dicendum.

CAP. XXXIIII.

ENVLA apud nos in hortis tantum ſeritur radice, quæ craſſa, tuberoſa, inæqualiſque eſt, ſobolem multam procreans, ſapore acri, cum amaritudine quadam, odorata. Vere folia attollit, longitudine prope cubitali, figura anguſtioris Verbaſci, ſimiliter hirſuta, & candicantia. ęſtate aliquando caules fert ex medio foliorum, bicubitales; altioreſque: paucis ramis: in cacuminibus flores figura Aſteracti-ci, ſed longe grandiores. Dioſcorides Helenium vocat, & Enulam Campanam: folia fert inquit Verbaſci anguſtioris, aſperiora, & oblonga: caulem non fert quibuſdam in locis: radicem intus candidam, extra ſubruffam, odoratam, grandem, ſubacrem, cuius partes agnatæ molles ſeruntur, vt Lilia, & Arum. naſcitur in montanis opacis, & ſitientibus locis. Marcellus alia quædam addit ex antiquo codice: ſcilicet ferre caulem craſſum, hirſutum, cubitalem, & aliquando altiorem, anguloſumque: flores luteos, & in his ſemen Verbaſco ſimile, tactu pruritum excitans. Plinius Inulam vocat, recenſens inter ea, quæ ſeruntur in hortis cibi gratia: breuior Siſere eſt, ſed toroſior, amariorque: Inula per ſe ſtomacho inimiciſſima, eadem dulcibus mixtis ſaluberrima: pluribus modis auſteritate victa gratiam inuenit: illuſtrata maxime filiæ Auguſtæ quotidiano cibo: ſuperuacaneum eius ſemen, quoniam oculis ex radice exciſis, vt Harundo ſeritur. Aliud præterea eſt Helenium Ægyptiũ apud Dioſcoridem ex ſententia Crateuæ, de quo nos alibi diximus.

CAP. XXXV.

HELENIVM Indicum appellare poſſumus plantam illam maximam, nuper viſam in noſtro orbe, quæ à quibuſdam flos Solis vocatur; quia non ſolum effigiem ſolarem præſefert, ſed & cum eo modò in Oriente, modò in Occaſum conuertitur, ſemper inclinatus ad terram, quaſi prę reuerentia capite nutans. Haſtam ſimplicem & rectam fert, altiſſimam, ſæpe vltra dena cubita, ad quam altitudinem ſex menſibus ab ortu attollitur; Vere enim ſeritur ſemine, in Autumno perfecta eſt: folia fert lata, ex longo pediculo pendentia, effigie Doronici, ſed multo ampliora, ſimiliter aſpera: in cacumine vnicum florem, am-

plitudine ingentis patinæ, foliis aureis, quasi radiis solaribus coronatum, media planicie purpurascente: seminibus stipata, oblongis, cortice nigro, aut candido obductis, medulla dulci: caulis incisus lachrymam fundit perlucidam, flauam, odoratam, subacrem: radicibus nititur summa tellure sparsis: & pro caulis magnitudine breuibus: idcirco ventorum iniuriis exposita, nisi firmo alligetur adminiculo. sunt, qui caput in cibis assumant coctum. Quas facultates habeat à nemine hactenus traditum est. coniicere tamen licet vim calefaciendi inesse, cum tenui substantia: idcirco ad eadem pollere ad quæ Helenium: sed lachrymam longe efficaciorem esse; Allata est hæc planta ex India Occidentali.

CAP. XXXVI.

CINERARIA vulgò dicitur suffrutex in marittimis asperis, frequens, multis ab eadem radice ramis, cubitalibus, crassis, colore cinereo: in quibus folia, diuisura Absinthij latiora, crassiora, inferne candida, superne viridia: capitula fert Anthemidis; floribus ex toto aureis, sine odore. Dioscorides inter Artemisias primo loco describit inquiens: in marittimis, vtplurimum nascitur Absinthij modo, fruticosa; maioribus foliis, pinguioribusque: subiungit postea de eodem genere: cum duo Artemisiæ, quę Polyclonos, idest multicaulis cognominatur, genera sint, primum hoc habitius est, latiora habens tum folia, tum virgas: de altero tenuiori dictum est à nobis superius.

CAP. XXXVII.

HERBA Sancti Iacobi vulgò appellatur in agrorum marginibus, pingui solo, & humecto nascens, subito altior: caule subrubente, striato: foliis alioqui Cinerariæ, paucioribus scissuris, nigrioribus; floribus iisdem; tota æstate floret, & autumno. Quasdam habet differentias in foliis: huic enim folia figura Erucæ, laciniata sunt; alteri ad Raphani folia accedunt magis, sed minus hirsuta: sapor omnibus amarus, & subastringens: laudant recentiores ad vulnera etiam interna, & fistulas.

CAP. XXXVIII.

HERBA quædam in marittimis nascitur, præcipue arenosis locis: multis ab eadem radice ramis, rectis, ac simplicibus, fermè cubitalibus: frequentibus foliis, angustis, & oblongis, pulposisque:

ſiſque: quæ prope terram longiora ſunt, & in cacumine excauata; prope verticem autem breuiora redduntur, ac rotundiora, magiſque pulpoſa, effigie Semperuiui minimi, aut Lentis, ſapore ſalſo: flos cacumini inſidet Chryſanthemi modo luteus: ſemen in pappos euaneſcit. Altera in vliginoſis magis naſcitur maritimis, vbi ſalſa eſt aqua: dodrantali altitudine attollitur; ratioribus foliis, latioribuſque, minus pulpoſis, ſimiliter ſalſis: ramulos fert tenues; in cacuminibus flores inſident in medio lutei, in ambitu purpurei, colore Violę; ſemen ſimiliter in pappos euaneſcit. Dioſcorides vtramque Anthyllidem vocat; inquit enim: vna quidem Lenti ſimilis eſt foliis: caules fert dodrantis altitudine rectos, & folia mollia; radicem tenuem, paruam: naſcitur ſalſuginoſis locis, & apricis; guſtu ſalſo. Altera Chamępiti eſt ſimilis, tum foliis, tum caulibus, denſioribus tamen, breuioribus, & aſperioribus: florem autem fert purpureum, odore valde graui; radicem, vt Cicorij. Plinius inquit eſt herba Anthyllion, quam alij Anticellion vocāt duorum generum: foliis & ramis Lenticulæ ſimilis, palmi altitudine, ſabuloſis apricis naſcens, ſubſalſa guſtanti: altera Chamæpityos ſimilis, breuior & hirſutior, purpurei floris, odore grauis, in ſaxoſis naſcens. & alibi Anthyllion inquit eſt Lenti ſimillima, quæ in vino pota veſicas vitiis liberat, ſanguinem ſiſtit. Altera eſt Anthyllis Chamæpityos ſimilis; flore purpureo: odoris grauis, radice Intubi.

CAP. XXXIX.

QVAEDAM in montibus prouenit: multis ab eadem radice caulibus, rectis, foliolis, frequentibus, ceu Lini, aſperis, ac præduris: flores fert in cacuminibus, ſimiles Anthyllidi ſecundę, ſcilicet in medio luteos, in ambitu purpureos, qui & in pappos abeunt: hæc ad ſecundam Anthyllidem reduci poſſit, quam Plinius in ſaxoſis naſci tradit, Virgilius eamdem ſub nomine Amelli videtur deſcribere, cum inquit. Eſt flos in pratis, cui nomen Amello: Fecere agricolæ facilis quærentibus herba. Namque vno ingentem tollit de ceſpite ſyluam. Aureus ipſe ſed in foliis quæ plurima circum, funduntur Violæ, ſublucet purpura nigræ. Sæpe Deum nexis ornatæ Torquibus Aræ. Aſper in ore ſapor: tonſis in vallibus ipſum, paſtores & curua legunt prope flumina Melle. Aliam tamen inter Criſtas Amellum oſtendimus.

CAP. XL.

CONYZA maior in incultis naſcitur, arido ſolo, multis virgis, ſubruſſis fruticans, craſſitudine digitali, rectis, bicubitalibus: frequentibus foliis, Olea grandioribus, in ambitu ſerratis, ſubhirſutis,

ſutis, tactu glutinoſis, graui odore: flores fert inter folia luteos, ex folio lis conſtantes, quibus decidentibus lanugo relinquitur, ſeminibus adhærens: viuit radice pluribus annis. Minor annua eſt æſtate tantum proueniens in aruis gracili ſolo, vt aliquando arua impleat, quo tempore nulla fere alia herba viſitur: vno caule aſſurgit, recto, ſemicubitali, paucis ramis, rectis: folia fert multo anguſtiora prædicta, nec ſerrata, at hirſutiora, odore grato: flores ſimiles fert inter folia paulo tenuiores, nec adeo ſplendidos, qui tandem in pappos euaneſcunt: vtræque florent autumno. Dioſcorides inquit Conyzæ duo genera habentur: quæ parua vocatur, odore præſtantior eſt: maior vero frutice altior, & foliis latioribus, graui odore: vtriuſque folia Oleæ ſimilia, hirſuta, pinguia: in maiore caulis binum cubitorum altitudine attollitur; in minore pedem æquat: flos luteus, non ſplendidus, ſubamarus, qui in pappum abit: radices inutiles. addit præterea Dioſcorides tertiam Conyzam mediæ magnitudinis, quã nos ſuperius explicauimus. Apud Theophraſtũ Theodorus Pollicariam vertit: inquit maſcula eſt & fæmina, fęmina tenuiori veſtitur folio, & compreſſo, & in totum minor: mas amplior, craſſiori caule, ramoſior, & folium amplius, pinguiuſque, & flore ſplendidior. ambo fructifera, in totum ſerotina, germine & flore: nam circa Arcturum & poſt incipiunt. mari grauior odor, fęmine acutior; ideo contra beſtiarum morſus commodior. Plinius Conyzæ inquit, in coronamentis duo genera mas & fæmina, & reliqua ferme, vt Theophraſtus: addit tamen folia fęminę mellis odorem habẽt: maſculę radix à quibuſdam Libanotis dicitur, folium intricatum. Iterum de eiſdem agit inter Cunilas, Cunilaginem vocans, vnam fædi odoris, folio aſpero: quam mediam Conyzam eſſe exiſtimo, vt ſuo loco oſtenſum eſt: ſubiungit poſtea de duabus reliquis inquiens: é contrario, quę mollis vocatur, piloſioribus foliis, ac ramis, & aculeatis, trita mellis odorem habet, digitis tactu eius cohærentibus: Altera Thuris, quam Libanotidem appellamus: medetur vtraque contra ſerpentes ex vino vel aceto: pulices etiam contritæ cum aqua ſparſæ necant. ſed neſcio, qua ratione Plinius aculeatam dixerit eam, quæ mollis vocatur: & quod de maris radice ait Libanotidem vocari; quia Thuris odorem habeat, videtur noſtram Incenſariam intelligere: neutra enim Conyza ex ſupradictis eum odorem habet, nec à Dioſcoride; nec à Theophraſto id tribuitur. Medici recentiores Pulicariam vocant, afferentes maiorem & minorem; vtraque enim recipitur in vnguento Aragon vocato: dictæ autem ſunt Pulicariæ; quia Pulices necant. alia quoque Pulicaria à recentioribus vocatur, quæ Pſyllium dicitur apud antiquos, de qua alibi dictum eſt: Alia quoque Conyza habetur apud Hippocratem, ſędiſſimi odoris, de qua egimus in Ambroſia.

CAP. XLI.

VIRGA aurea vulgò vocatur ſuffrutex, in ſyluis naſcens, virgis cubitalibus, ſubrubentibus, foliis ferme Laurinis, læuibus, ſerratis: quæ proxima cacuminibus ſunt, minora redduntur, Oleæ magnitudine: flores inter folia frequentes, quaſi in ſpica, aureos, Conyzæ maiori ſimiles, qui ſimiliter abeunt in pappos. Alterum genus in al peſtribus naſcitur: ſingulari caule: floribus in vmbella diſpoſitis: cætera eadem ſunt. Arnaldus Villanouenſis hanc prædicat ad calculum frangendum, & vrinam impellendam, & ad vlcera Tibiarum ſananda: Quidam & ad vulnera interna exhibent, ac fiſtulas: colluunt & oris vlcera, & columellam decocto herbæ.

CAP. XLII.

SIMILLIMA Virgæ Aureę tum ſpecie tum facultate eſt, ſed magnitudine diſtans, quam nos herbam Doriam Vocamus; attulit enim eam cum claſſe ex Aphrica Clariſſimus in bello nauali Dux Andreas Doria Genuenſis, tamquam efficacem ad vulnera tum interna, tum externa: fruticat hæc multis ab eodem ceſpite caulibus, altitudine ternum & quaternum cubitorum, ſimplicibus; foliis frequentibus, dodrantali longitudine, læuiter circumſerratis, carnoſis: vmbellę cacuminibus inſident latæ, in quibus flores aurei, qui ſimiliter in pappos tranſeunt: radices in obliquum fert breues, à quibus multæ iunceæ deſcendunt, odore non inſuaui. Has plantas inter Panacis genera ob virium præſtãtiam apud antiquos cenſeo numeratas: nam herbæ Doriæ perbelle quadrat panax Chironium apud Theophraſtum, Chironia enim inquit, folium habet ſimile Lapatho; florem aureum; radicem longam; amat loca pinguia: vtuntur ea aduerſus Viperas, & Phalangia, & tineas veſtium, & cætera reptilia, data ex Vino & vncta oleo: Viperæ autem morſui aſpergitur ex acido vino, & potanti datur: valere aiunt & ad vlcera ex vino & oleo, & ad naſcęntia ex melle. cum autem in fine inquit: ſunt autem & alię quædam Panaces; vna folio tenui; altera non tenui; ſed vires hiſce ambabus eędem ad mulierum profluuia & vlcera tam vętera quam putria & paſcentia: conſentaneum eſt in his contineri Virgam Aurea m, quæ ſcilicet folio non tenui conſtat: nam quę folio tenui conſtat Chironia videtur appellata apud Dioſcoridem, folio ſcilicet Amaraci. Plinius de Chironio partim Dioſcoridem, partim Theophraſtum ſequitur: cũ enim inquit cõſtare folio Lapathi, maiori, hirſutiori; flore aureo: Theophraſtum ſequitur. cum vero inquit: radix parua, Dioſcoridem: cum

pręſ-

præterea addit inter genera Panacis Centaurium ab eodem Chirone inuentum, & Pharnaceon à Pharnace Rege, longioribus quam cætera foliis, & ſerratis: radice odorata, quæ ſicca vino dat gratiam: duo genera, vnum leuioris folij, alterum tenuioris: his verbis indicat herbam quidem Doriam longiſſimis foliis; Virgam autem Auream eam, quæ leuiori folio, cõſtat: alibi quoque cum ait, Cunilaginem appellari ipſam Panacem, indicat has intelligi: congeneres enim ſunt alteræ Cunilagini, ideſt Conyzæ.

CAP. XLIII.

FLOS Indię vulgò appellatur inter autumnales flores: colitur in fictilibus ob floris venuſtatem, planta attollitur ad altitudinem bicubitalem, amplioremque, ramoſa, foliis raris, in longo pediculo coniugatim diſpoſitis, oblongis, & circumcorroſis: in cacuminibus cauliculi nudi attolluntur, quibus inſidet flos, Roſę inſtar foliatus, colore croceo, amplus. Alter minor, ramoſior, ramis in latera tendentibus, flore paruæ roſæ, colore valde ſaturato, inter croceum & puniceum, media lanugine crocea: vtrique vaſculum oblõgum, ſtriatum, læue, quod in hoc genere peculiare eſt: cæteris enim ſquamoſum id eſt. ſemina continentur nigra, in tenuem longitudinem producta, breui lanugine cacuminibus adnexa: odor totius plantæ grauis, pręcipue floris: prouenit ſemine. Has duas plantas apud antiquos indicatas cenſeo, illam Othonnam, alteram Argemonem vocantes. De Othonna Dioſcorides, poſtquam diuerſas ſentẽtias tradidiſſet, aliis quidem putantibus eſſe maioris Chelidonij ſuccũ; aliis Glaucij; aliis florem Papaueris corniculati, Aliis Miſcellam triplicis ſucci, ſcilicet ex Anagallide cærulea, ex Hyoſcyamo & Papauere: tandẽ ex aliorum ſentẽtia ſuccum eſſe ait, herbę cuiuſdam Troglodyticæ, quę Othonna dicitur: naſci etiã in Arabia, quę ſecundũ Aegyptum eſt, ſimilem Erucæ, perforatis crebro foliis, tamquam ſi à tineis eſſent eroſa, ſcabris, minime copioſis: flore croceo, latifolio: quare à quibuſdam inter ſpecies Anemonæ collocata eſt: ſuccus eius oculorũ medicamentis excipitur, natura vbi purgare oportet, mordente, diſcutienteque, quicquid claritati eorum officiat, & quę ſequuntur. Plinius Othonne inquit: in Syria naſcitur ſimilis Erucę, & cętera, vt Dioſcorides. Hanc aſcribo ei, quę florem amplum fert. De Argemone autem inquit Dioſcorides: ſimilis eſt ſylueſtri Papaueri; foliis Anemonæ diuiſis: florem fert puniceum: caput autem Papaueris, qui Rheas cognominatur, ſed oblongius, & in ſuperioribus partibus latius: radicem rotundam: ſuccum reddit croceum, acrem: expurgat Argemas, & nubeculas, inflammationes curat foliis illitis. Scribit & in mentione Anemones,

nes, aliquos hanc non distinguere ab Anemone sylvestri, ob coloris similitudinem: at color puniceus inquit in Argemone minus profundus est: hęc quoque tardius floret, succumque reddit croceum, acrimonia insigni. Plinius Argemoniam vocat, folia habet inquit Anemonę æqualia, diuisa Apij modo: caput in cauliculo Papaueris sylvestris, item radicem: succum Croci colore, acrem, & acutum. cum autem subiungit nascitur & in aruis apud nos: nostri tria genera eius faciunt, & id demũ probant, cuius radix Thus redolet: in his verbis significat alteram prędictam peregrinam esse: quæ autem nascitur in aruis apud nos, hucusq; idem fere nomen retinet, scilicet quæ Agrimonia vocatur, accepta à multis pro Eupatorio: quæ autem Thus redolet, Gariophylata hodie vocatur. omnibus illud commune, quod folium longo pediculo constat, in quo coniugatim folia sunt disposita, rara quidem, ac tenuia in flore Indiæ; densiora & inęqualia in Agrimonia & Gariophylata, quodamodo diuisura, Apij seu potius Ranunculi in Gariophylata. Quæ autem describitur à Dioscoride, satis conuenit flori Indiæ minori; flos enim quamuis inferne croceus, superne tamen ad puniceum accedit elegantissimum: calyx est oblongus, & latior in postremo: folia vero Anemonæ diuisa significant foliola, quæ sunt foliorum partes, non totius folij formam, quę potius Erucæ est: at radix rotunda, vt Dioscorides scribit, Anemonæ potius conuenit; nam Plinius Papaueris radicem tribuit: Fibrosa enim est: succus vero croceus extrahitur, præsertim ex flore, qui & valde acris est. Vt autem plantę congeneres sunt Othonna & Argemone, sic & vires ferme eædem, vt patet.

Finis Libri Duodecimi.

ANDREAE CAESALPINI ARETINI

DE SVFFRVTICIBVS ET HERBIS. LIBER TERTIVSDECIMVS.

CAP. PRIMVM.

AM prosequamur Cicoracea, quæ propter aqueam humiditatem, frigido constant temperamento: plurima autem succo lacteo constant, qui adultis magis inest, quo tempore & amariora redduntur, & minus esui apta, cum caulescunt. Flos omnium numerosis foliolis constat, luteis, aut cæruleis; semina autem magna ex parte pappofa sunt.

CAP. II.

ENDIVIA vulgò appellatur olus: foliis ab radice latis, veluti Lactucæ in ambitu fimbriatis, sapore dulci, aqueo: sed si hyeme obruantur fimo, cãdorem simul & teneritudinẽ adipiscuntur, & gustui fiunt gratiora: caules vere fert bicubitales, ramosos, in quibus folia breuiora, dura, & subamara: flores in alis fert cęruleos: semina gerit alba, squamosis folliculis inclusa, qui nequaquam dehiscunt, etiam si in arescant: seritur in hortis. Cicorium Romanum cognominatur alia similis prædictę, sed longiore folio, angustiore, ac nigriore, demetitur in cibos aduentante æstate, ori gratissima ob dulcedinem, exigua quadam amaritudine temperatam, teneri etiã eiusdem asparagi incocti veniunt in cibos ex oleo & aceto: huius caulis assurgit æstate breuior Endiuia, ac floribus iisdem: seminibus nigris: seritur hæc quoque in hortis. Cicorium simpliciter vocatur, quod sponte nascitur in incultis, in pratis & secus vias: foliis stratis circa radicem, longis, & angustis, corrosis circa latera; angulosisque: sapore euidenter amaro, non tamen ingrato: toto anno venit in cibos, antequam caulescat, non enim caulescit primo anno, vt prædictę, sed secundo: caulis aduentante æstate exit ramis in latera fusis, cubitalibus, fere sine folio: floret particulatim tota æstate: flos cęruleus adhæret in alis: viuit radice caule arefacto. Huius differentię

rentię aliquę notantur, magnitudine & paruitate folij, aſperitate, ac lenitate: Quædam enim folio conſtat valde anguſto; quædam longiore, latioreque: & in vtroque genere quædam ſubhirſuto conſtat; quędam læui: prædulcior eſt, quæ læui conſtat, & latiore: omnes radice nituntur ſingulari, in altum dimiſſa, quæ & venit in cibos cocta. Dioſcorides omnes prędictas communi nomine Seridis intelligit, diſtinguens in ſylueſtrem & domeſticam: ſylueſtris inquit priuatim Pieris, ideſt amara, & Cicorium appellatur; eius quædam latiore conſtat folio, ſtomacho etiam gratior, quam domeſtica, ex quibus verbis ſignificat duo genera Cicorij noſtri, ſcilicet anguſtius & latius. Subiungit poſtea: huius quoque ideſt domeſticæ duplex genus: quędam enim eſt Lactucæ ſimilior, latifolia: quædam tenuifolia, & amareſcens: Quibus verbis manifeſte oſtendit noſtram Endiuiam, & Cicorium Romanum, ambas ſatiuas: omnes inquit aſtringunt, refrigerant, & ſtomacho gratæ ſunt: ſiſtunt & aluum coctæ cum aceto aſſumptæ, & maximę ſylueſtres, quæ ſtomacho vtiliores ſunt: nam aſſumptæ ventriculo imbecilli, & æſtuanti opem ferunt: & quę ſequuntur. Galenus extollit etiam ad Hepatis intemperiem calidam, non nocere etiam frigidis: nam robur addere ob aſtrictionem, anguſtos in eo meatus ab infarctu liberare ob amaritudinem: ſatiuum genus magis refrigerare, quia humidius: genus ſylueſtre ſiccius eſſe. Plinius Intubum vocat: vbi igitur inquit: Intubi hyemis impatientiores ſunt, quam Lactucę, vireſque præferentes, ſed caule non minus grati: ſeruntur verno plantæ eorum, vltimo vere transferuntur: intelligit ſatiuos, de quibus alibi inquit Serim vocari id quod ſatiuum eſt, quod eſt maius & venoſius: Seris & ipſa Lactucæ ſimillima duum generum eſt: ſylueſtris melior, nigra iſta & æſtiua: deterior hyberna & candidior: quibus verbis ſignificat Cicorium Romanum & Endiuiam à nobis vocatam, licet ſylueſtre dixerit id, quod in ſatiuo genere accedit magis ad ſylueſtre. vbi, autem ſcribit: eſt & erraticum Intubum, quod in Aegypto Cicorium vocant, & alibi: Erraticum apud nos quidam Ambugiam appellauere, in Aegypto Cicorium vocant, quod ſylueſtre ſit, refrigerat in cibo ſumptum, & illitum collectiones, ſuccuſque decocti ventrem ſoluit: Iecinori, & renibus, & ſtomacho prodeſt; & alia multa præſtat, ideo propter ſingularem ſalubritatem aliqui Chreſton appellant, alij Pancration: & ſylueſtre genus alij Hedypnoida vocant, latioris folij, ſtomachum diſſolutum aſtringit cocta, crudaque ſiſtit aluum, & quæ ſequuntur: ſignificat duo genera ſylueſtrium à Dioſcoride tradita, quæ à nobis ſimpliciter Cicorium vocantur. Theophraſtus Cicoream & Cicorium vocat; vnde genus Cicoraceum: Cicoracea omnia inquit folio annuo, & ab radice foliata conſiſtunt: germinant poſt Vergilias excepta Fraude; ineunte vere tam caulem, quam florem emittunt: ſed caulibus & radicibus

magnas differentias sortiuntur: quippe cum cæterorum caules simpliciores, minoresque assurgunt, Cicoreę magnus, multisque ramulis brachiatus, lentus item, & diuidi contumax est, qua de causa pro vinculo vtuntur eo; radice quoque germen laterale mittere potest, & alioquin radice prolixum est, ideoque emori cõtumax; decerptis enim quæ ad vsum cibarium capi solẽt, reliquum generationis rursus capessit principium: euenit autem vt pars alia eius atque alia floreat, idque assidue fiat vsque ad autumnum, quamquam durus caulis esse videatur: fert & siliquam, in qua semen circa postremas caulium partes: vtrinque foliata existit. Hæc profecto nostris Cicoriis conueniunt: cum postea subiungit Hypochoeris Theodorus Porcelliam vertit, lęuior & aspectu mitior, & dulcior est: significat genus satiuum, idest Endiuiam. Fraus autem, quæ græce Apate dicitur, fuerit Cicorium Romanum; sola enim hæc germinat ineunte æstate, non post Vergiliias. Quod autem Theophrastus aliquando numerauit Apatem inter eas, quæ ab radice tantum foliatę sunt, non Apate legendum est, sed Aphace; nam Plinius caulem foliatum tribuit Apatæ. Arabum interpręte satiuam Scariolam vertunt, sylueſtrem autem Taraxacon: sed per Taraxacon nullam ex his videntur accipere, sed genus aliud quoddam sylueſtrius, vt mox patebit.

CAP. III.

APHACA, cui innumera vulgò traduntur nomina, quæ lubens prætereo, passim iuxta semitas, & circa oppida nascitur: foliis Cicorij, latioribus, mollioribusque, ac frequentioribus scissuris: florem fert luteum, nudo & simplici cauliculo insidentem, qui cito in papposum caput transit calyce resupinato: eo exarescente alter cauliculus subnascitur, totoque anno floret: madet lacte: gustu non admodum amara, sed tamen insuauis, idcirco reiicitur à cibis: reperitur in hoc genere angustioris folij. Theophrastus inter Cicoracea Aphacam vocat ingustabilem, & amaram, quę festinanter floret; sed flos celeriter senescit, atque lanugine pappo dicta marcescit: tum alius iterum prouenit, atque iterum alius, idque tota hyeme, vereque toto vsque ad æstatem factitatur: flos Melini speciem gerit. Alia tamen est Aphaca inter legumina, vt suo loco patet. Plinius Aphacem vocat, Aequinoctio inquit nascens Aphace, subinde alio marcescente flore emittit alium, totaque hyeme, totoque vere vsque in ęstatem. Recentiores medici hanc Taraxacon vocant Auicenna & Serapione sic appellantibus Intubi speciem sylueſtrem: Videtur autem hęc fuisse Arabum sententia, vt apud Dioscoridem intelligerẽtur per duo satiua Endiuia & Cicorium: alterum enim lato folio constat; alterum angusto; sylueſtre autem vnum tantum tradi,

quod

quod latiori folio conſtet, quam ſatiuum : in hanc enim ſententiam Serapio accepit verba Dioſcoridis; ideoque ſylueſtre Taraxacon ab illis vocatum, iure huic plantæ aſcribetur : patet quoque ex Auicenna, qui eius lac cõmendat ad albugines abſtergendas: nam conſpicuum in hac planta eſt lac, in Cicorio autem non adeo : laudat præterea huius ſuccum ad hydropen; nam multum conferre aperiendo Hepatis obſtructionem.

CAP. IIII.

CONDRILLA in aſperis ſaxoſis naſcitur, Lactucę ſylueſtri maxime ſimilis : caulibus cubitalibus, in quibus folia lęuia, ac diuiſa in partes anguſtiſſimas multo lacte madida : flores fert in cacuminibus ramulorum, cæruleos, qui color in nullo alio genere ſylueſtrium adhuc viſus eſt. Apud Dioſcoridem Condrilla eſt primo loco deſcripta; inquit enim hoc quoque Cicoriam appellant & Serida, folia quidem, & caulem, & flores Cicorio ſimilia habẽs, vnde ipſum quidam Intubi ſylueſtris ſpeciem dixerunt, ſed in totum tenuius : circa ramulos autem ipſius reperitur gummi, ſimile Maſtichæ, magnitudine Fabæ. Theophraſtus Chandras inquit, Theodorus Chandraliam vertit, omnino inguſtabilis eſt, & in radice ſuccum lacteum, acrem, eumdemque copioſum habet. A quo Plinius accepit inquiens : Condrylla amara eſt, & acri in radice ſucco. Galenus ſimilem tradit Lactucę ſylueſtri magis amaram, ſucco lento, albo, vt Titimalorum ſuccus, non adeo acri : vtimur eo interdum ad pilos palpebrarum reglutinandos.

CAP. V.

CONDRILLA ſecunda in collibus naſcitur: foliis circa radicem ſtratis, hirſutis, quæ licet à lateribus veluti corroſa ſint, non tamen anguloſa redduntur, ſed ſubrotundis ſectionibus ſinuata : caulem fert nudum, ac ramoſum, ferme cubitalem, rectum : flores fert luteos in cacumine : radices tres, aut quatuor breui rotunditate faſtigiatas, ſubflauas : aliquando vnica eſt in profundum acta, vel bifurcata. Dioſcorides inquit : eſt aliud genus Condrillæ, folia ferens circumroſa, oblonga, in terram ſtrata : caulem ſucco plenum: radicem tenuem, mucronatam, læuem, rotundam, ſubflauam, ſuccoſam : naſcitur in terroſis, cultiſque locis. Plinius Condryllon, ſiue Condrylle inquit : folia habet Intubi, circumroſis ſimilia; caulem minus pedali, ſucco madentem, amaro : radice Fabæ ſimili, aliquando numeroſa : ſed quæ ſequuntur : habet proximam terræ Maſtichem tuberculo Fabæ, quę appoſita fæminarum menſes trahere dicitur, & reliqua, non huic, ſed primæ Condryllę tribuuntur à Dioſcoride.

CAP. VI.

AD Condrillas reduci poteſt quędam in collibus & vineis, & aliquando in ædificiis vetuſtis frequens: radice valde ſuccoſa, & acri: foliis ab radice Cicorij tenuioris, hirſutis: caule recto, cubitali, prope radicem aſpero, ſuperne læui: ramulos fert rectos; in quibus foliola tenuia, non inciſa, quaſi Poligoni: floſculos pallidos non in ſummo, ſed à lateribus, qui euaneſcunt in pappos: in huius ramis aliquando viſuntur tuberculi nigri, ex concreto lacte geniti.

CAP. VII.

ALIA quędam in ruderibus naſcitur, amariſſima: caule in multos ramulos aſſidue fiſſo: foliis tum ab radice, tum in ramulis parui Cicorij, breuioribus, ac frequentioribus ſciſſuris: floſculos exiguos in alis fert pallidos: & ſemina duriſſimis veluti verrucis incluſa, fabæ magnitudinem æquantibus. Hanc quoque ad Condrillas referri poſſe reor.

CAP. VIII.

AMARAGO in montibus naſcitur, ſimilis Aphacę, valde amara: foliis ab radice ſcabrioribus: vnico caule, ſimplici, cui in medio terna ſunt foliola, non ſciſſa, ſubrotunda: in cacumine autem flos ineſt grandis, pallidus, qui tandem abit in pappum. Altera in montibus quoque foliis ab radice ſimilibus, ſed caules multos fert, ſimplices, & nudos, cubitales; in cacumine florem luteum, ſimilem Aphacæ fert: oritur in ſyluis. Hæ videntur apud Theophraſtum Pieris appellari ab amaritudine: Theodorus Amaraginem vertit: de hac inquit: ſimili modo, vt Aphaca, Amarago ſe habet: nam & ipſa vere floret, & ferme per totam hyemem; & æſtate deſinit: guſtu autem amara eſt; vnde nomen aſſumpſit. Plinius inquit Amara & Aphace, & quæ Pieris cognominatur, & ipſa toto anno florens: nomen ei amaritudo impoſuit: & alibi inquit: Pieris ab inſigni amaritudine cognominatur: rotundo folio; tollit eximie verrucas. Dioſcorides tamen nomen Pieris aſſignat Condrillis.

QVAE-

CAP. IX.

QVAEDAM in hortis incultis ſponte naſcitur, & in agrorum limitibus, pingui ſolo: lato folio, vt Endiuiæ, magis laciniato in ambitu: caule vltra cubitalem altitudinem, ramoſo, ac folioſo; flore luteo in alis foliorum: dici poſſet hæc Endiuia ſylueſtris. Fit autem mentio ſylueſtris Endiuiæ apud Nicolaum Florentinum, qui eam recipit in Syruppo de Cicorea cum Rhabarbaro.

CAP. X.

RAGADIOLVS vulgò, Ragaggiolo in Hetruria vocatur, qui aſſumitur in cibis crudus, vt Cicorium: foliis conſtat tenuioris Cicorij, ſine lacte, & ſine amaritudine: floſculos fert luteos in alis foliorum, & ſemina longa, & adunca, repræſentantia auium pedes: ipſa herba dodrantalis, humi procumbens, ramoſa: floris foliola ex medio ſemine videntur erumpere; cum tamen ex ſummo oriantur; nam reliqua pars vagina potius eſt ſeminis: altera huic ſimilis eſt, cuius ſemina ſtellam repræſentant.

CAP. XI.

SONCHVS, quæ vulgò Cicerbita vocatur, & alicubi Creſpinulus in vineis frequens, & in aruis, locis cultis: foliis ab radice latioribus, ac breuioribus Cicorio, magis anguloſis, ac fere pungentibus, poſtrema parte latiore: ſæpe color ineſt ſubrubens: caulis attollitur cubitalis, & altior, concauus, aliquando arborea ſpecie, craſſus; in quo folia magis horrida, & ſucco lacteo turgentia: capitula fert ſummis caulibus multa, florem luteum ſuſtinentia, qui in pappos ſoluitur: folia tenella, quę ab radice ſunt, aſſumuntur in cibis cruda, ſapore dulce. Alia in ruderibus naſcitur: latiore folio, ac minus ſciſſo, aſperiore, & pungente: craſſiore caule, magiſque folioſo, ſylueſtrior ſupradicta; ideo non aſſumitur in cibos. Dioſcorides inquit Sonchi duo genera: vnum ſylueſtrius, magis aculeatum; alterum mollius, eſculentum; caulis anguloſus, aliquando ſubrubens: folia habet per interualla in ambitu diuiſa; eorum facultas refrigerandi, modice ſubaſtringens; vnde conferunt ſtomacho ęſtuanti, & inflammationibus, & quę ſequuntur: in fine autem addit alter Sonchus, qui, & mollis eſt, arborea ſpecie cõſtat, & lato folio: folia autem caulem cingunt: & huic quoque eadem præſtat, in quibus verbis poſtremis oſtenditur eſculenti Sonchi, ſeu mollis duo eſſe genera

nera, magnitudine distincta: quidam enim arboreus est: huiusmodi vlsus est aliquando baculi crassitudine tricubitalis, cum frequentius minimi digiti crassitudinem non æquet. Theophrastus Sonchum numerat inter spinosa foliata, in cuius caulibus cum ramulorum prouentu vnà flosculus quoque quidam emergit: peculiaris inter Acanacea; quia conceptus non spinosus. Plinius Sonchos inquit estur: albus, & niger est; Lactucæ similes ambo, nisi spinosi essent: caule cubitali, angulosо, intus cauo, sed qui fractus copioso lacte manet: albus, qui è lacte nitor vtilis Orthopnoicis, Lactucarum modo: Erasistratus calculos eo pelli per vrinam monstrat, & oris graueolentiam conmanducato corrigi, succus trium cyatorum mensura in vino albo & oleo calefactus adiuuat partus, ita vt à partu ambulent grauidæ: datur & in sorbitione: ipse caulis decoctus facit lactis abundantiam, nutricibus, coloremque meliorem infantium: vtilissimus iis, quę lac sibi coire sentiant: & alias multas vtilitates præstat: hæc omnia ex albo: Cleempotus nigro prohibet vesci, vt morbos faciente, de albo consentiens. puto autem nigrum intelligi syluestre genus. Quędam in collibus vmbrosis & syluis nascitur: crispiore folio, sed mollissimo, minime pungente, colore virentiore. Quædam in montibus caule bicubitali, crasso, concauo: foliis maioribus, diuisura Sonchi asperioribus. hæc ad syluestre genus reduci possunt.

CAP. XII.

HIERACIVM magnum in ædificiis potissimum nascitur: caule cubitali, hirsuto; in quo pauca folia Soncho similia, sed subhirsuta, ac virentia: summi ramuli capitula sustinent stantia, oblonga, flore luteo, qui euolat in pappos. Dioscorides inquit: caulem emittit asperum, subruffum, spinosum, aliquantisper cauum: folia ex interuallis rariuscule diuisa per ambitum ad Sonchi similitudinem: flores luteos in capitulis, oblongis: huic vires easdem tribuit, quas Sõcho.

CAP. XIII.

QVAEDAM in ruderibus nascitur: folio nigricante, in latitudinem magis, quam longitudinem extenso, prope pediculum diuiso: caule cubitali, in cacumine bracchiato: cacuminibus insident flosculi Lactucæ: tota multo lacte madet. Hanc Plinius inter Lactucas syluestres Hieraciam vocat: habet inquit rotunda folia, & breuia: sic vocant; quam accipitres scalpendo eam succoque oculos tingendo obscuritatem, cum sensere, discutiant.

CAP. XIIII.

QVI vulgò in Hetruria Terracrepolus vocatur, olus est sylueſtre: foliis paruis, Erucę anguſtifolię ſimilibus, mollibus, ſubcandidis, aliquando ſubrubentibus: cauliculos fert dodrantales, paucis ramis rectis pauciſq; foliis: in cacumine flos Hieracio magno ſimilis, qui euolat in pappos: herba expetitur in cibis cruda ex oleo & aceto; nã dulcis eſt, & ſubaſtringẽs, fragiliſque: oritur in collibus ſaxoſis, & in ędificiis: floret tota æſtate: hyeme nequaquam perit, nã regerminat à latere. Dioſcorides Hieracium paruum appellat: inquit enim folia hoc quoq; habet, ex interuallis diuiſa in ambitu: cauliculos autem fert molles, & virentes: in quibus flores lutei circulum deſcribentes: iiſdem viribus pollet cum altero Hieracio. Apud Plinium & Theophraſtum Crepis vocatur: numeratur enim cum Cicoraceis: caule foliato eſt Crepis & Apate; vnde hucuſq; nomine fere ſimili ſeruato, Terracrepolus vocatur.

CAP. XV.

QVAEDAM in aſperis, vbi lapillorum eſt maceries, exit folio oblongo, & anguſto, læui, & candido, vt Terracrepolus; at non ſciſſo, tantum anguloſo: cauliculi exeunt nudi, palmum alti: florem ſuſtinentes minorem: radiculæ huius, fili inſtar, in longitudinem productæ, quibus per interualla veluti nuclei, Fabæ magnitudine, candidi adnectuntur, teneri: guſtu prædulci. Matthęus Sylvaticus Scrofulariam vocat, & Caſtrangulam: herba inquit eſt, folia habens tenuia, & flexibilia, quæ cum flectuntur, vt frangatur, ſtrident: radices ſunt ei tenues, quibus adhærent radices rotundæ, ſicut Auellanę mundatæ, & albę, mittentes lac: quæ dicuntur ſcrofulis mederi: ſumuntur ex melle, vel cum farina Triticea in placentis, vt vinum vetus ſuperbibatur ieiuno ventriculo mane & veſperi: nam elicit ſudores, & ſtrumas in collo diſcutit.

CAP. XVI.

ALIA folio ab radice numeroſo conſtat, parum diuiſo, at lanuginoſo, candidioreque: cauliculos fert ſimplices, ac nudos florem luteum in cacumine ſuſtinentes, minorem Terracrepulo; oritur gracili ſolo, potiſſimum in vinearum ſuperciliis; guſtu iucundo, vt Terracrepolus, magis aſtringens: vocant quidam vulgo Gineſtrellam, quam in acetaria ruri quærunt.

CAP. XVII.

MINIMVM quoddam genus in montibus nascitur inter saxa: foliolis ab radice tantum, veluti Graminis, lęuibus: cauliculo nudo, ac simplici, florem sustinente, similem Scabiosæ, paruum: at semina intra lanugines continet. herba hęc apud Montacutenses inter acetaria comeditur; nam sapor inest dulcis, & subausterus.

CAP. XVIII.

PILOSELLA vulgò appellatur in collibus nascens, gracili solo: foliis Oleæ, inferne candidis, pilosis: cauliculos attollit, nudos, florem sustinentes Ginestrellæ similes: Alios vero cauliculos fert foliosos, humi serpentes, sine flore, lacteo succo madet, vt cætera huius generis: sapor inest astringens: laudatur ad vulnera glutinanda, siccata, & in puluerem cribrata: recentis succus cohibet horrores febris quartanæ: in eodem extinguunt calycem, vt duritiem incredibilem contrahat: radix mense Maij effossa, & siccata in puluerem propinatur, aut in cibo datur ad Ramicem.

CAP. XIX.

LACTVCA gratissimum olus est teneritudine, ac dulcedine cęteris prelatum: numerosis constat ab radice foliis, ac latis, se inuicem compactili serie amplectentibus: idcirco quę in meditullio clauduntur, albidiora sunt, ac teneriora; quia ab iniuriis externi aeris, & solis proteguntur: cum caulescit amara redditur, & lacte madet: caulis assurgit densis foliis rectus, & crassus, qui in cacumine finditur in ramos candidos, in quibus pauca sunt foliola, subrotunda, ac viridia: flosculos gerit in cacuminibus pallidos, qui in pappos transeunt: semina subsunt oblonga, & compressa, aliis candida, aliis nigra, differentia quoque & in foliis: quædam enim latiore folio constat; quædam longiore: quædam crispo: quędam plano: quędam in ambitu sinuato, ac valde crispo, quam priuatim Scarolam vocant: à cuius similitudine Lactucas & Scarolas vocant, Tunicarum plexus intricatos, ceruicem, & carpum ornantes: Alia Caputia cognominatur, cuius folia clauduntur ad capitis effigiem: differunt quoque colore, quædam enim alba, quæ frequentior est: Alia rubra, ac si vinum foliis esset aspersum: hoc latissimis foliis constat, ac patulis, dulcius cæteris, sed durius: idcirco recentia tantum folia secant; regerminat enim diutius,

ante

ante quam caulescat: Alia nigra, cuius folium angustius, ac productius, planum, colore viridi, qualis in Cicorio: non spingitur hæc in caput, nisi vinculo alligentur folia; sic enim candidissima intus redditur, ac fragili teneritudine cæteras vincit: reliqua folia Cicorij modo trita iucunda sunt: caulis huius tenuis; semina autem nigra & huic & rubræ: cæteris autem candida. Theophrastus de Lactuca inquit: prouenit à satu die quarto, vel quinto, recisa regerminat, cuius regerminati caules suauiores; nam dulciores, quamdiu teneri sunt: quidam hos magis lactuosos esse: primos autem magis amaros, & minus concoctos: radix breuis, maxime vnistirps; quia caret multiplici radice: sed tantum fibris cohæret; translata breuioris est radicis, quam sata; quia ex lateribus magis mittit: semen lanugine continetur. In genere lactucarum candida dulcior, atque tenerior, cuius tria genera reddunt, laticaule, rotundi caule, & Laconicum: huic folium Carduo simile: & recta, ampla, & caule minime bracchiata est. inter latas adeo quędam laticaules fiunt, vt pro valuis hortorum hisce nonnulli vtantur. Quæ vero lactis admodum copiosa, & folio pusillo, & caule candidiori consistit, sylueſtri similis est. Plinius Theophrastum secutus inquit: Lactucæ Græci tria genera fecere; vnum laticaulis, adeo vt hostiola olitoria ex his factitari prodiderint: folium his paulo maius herbaceo, & angustissimum, vt alibi consumpto alimento: alterum rotundi caulis: tertium sessile, quod Laconicum vocant. Alij inquit coloris & temporis satus genera discreuere: esse enim nigras, quarum semen mense Ianuario seratur: albas, quarum Martio: rubentes, quarum Aprili: ac omnium earum plantas post binos menses differri: diligentiores plura genera faciunt, purpureas, crispas, Cappadocas, Græcas; longiora his folia, caulesque lati: præterea longi & angusti, Intubis similes: pessimum autem genus, cum exprobratione amaritudinis appellauere Pierida: est etiam num alia distinctio Atręque Meconis vocatur, à copia lactis soporiferi; quamquam omnes somnum parere credantur. Apud antiquos Italiæ hoc solum genus earum fuit, & ideo Lactucæ nomen adeptæ; purpuream maximæ radicis Cęcilianam vocant: rotundam vero ac minimæ radicis Astylida, quidamque Eunuchion; quoniam hæc maxime refragetur Veneri. Est quidem natura omnibus refrigeratrix, & ideo æstate gratę: è stomacho fastidium auferunt, cibique appetentiam faciunt. Diuus certe Augustus Lactuca conseruatus in ægritudine fertur, prudentia Musæ Medici. sanguinem augere creduntur. Ecce cum maxime cępit irrepere satiuis admodum probata, quæ Cilicia vocetur, folio Cappadocię: nisi crispum, latiusque esset. At horum expositio cum nostris, partim clara est, partim curiosior videretur. Quod de laticaule scribitur, aliquando hortorum valuis eius caules vtiles esse ob amplam latitudinem, non videatur

mirum; vidimus enim inter Anchusas caulem aliquando in speciosam latitudinem creuisse; paucis foliis, vt pote nutrimento in caulem absumpto: multo autem magis id Lactucę contingat; habitior enim multo est eius caulis.

CAP. XX.

LACTVCA sylueſtris Scatiola vocatur à recentioribus Medicis, & Serralia; quia folij deorsum veluti serra est: prouenit in agrorum limitibus, pingui solo, & humecto, non in caput foliosum coagmentata, vt domestica, sed statim caulescens: caulis assurgit candidus, tenuis, bicubitalis, rectus, in quo folia per interualla scissa, vt Cicorium, dorso aculeato: paucos in cacumine ramulos fert, in quibus foliola non scissa, & flosculi domesticæ Lactucę, multo lacte madet, amaraque est. Theophrastus inquit, folio breuiore constat quam satiua, quod perfectum aculeatur: caule quoque simili: succum acrem, & medicatum habet: nascitur in aruis: colligitur succus per messem Tritici, & purgare aquam intercutem dicitur, & caliginem arcere ab oculis, & argemam auferre cum lacte mulieris. Dioscorides satiuæ inquit similis est, magis caulescens, ac foliis candidior, tenuior, & asperior, gustu amara, viribus quasi Papaueris. Galenus de hac inquit, vocari apud Gręcos Thridacinem; olus est inquit sylueſtre, quod in viis ipsis nascitur & locis fossarum eminentioribus, & præterea herbosis, aquosisve, ac plerisque incultis: exiguum autem est id olus instar Lactucæ hortensis, nunc nuper enatæ, amarorisque quidpiam præsefert, & multo adhuc magis, dum adolescit: vbi autem caulem iam produxerit, saporem amarum habet, vel manifestissimum: porro huic Lactucæ aliud pręterea olus est simile, quam Condrillam appellant. Plinius multas affert Lactucas sylueſtres: hanc de qua agimus Esopon apud Græcos inquit vocari: huius folia trita & cum polenta illita vlceribus medentur: hæc in aruis nascitur. Communia autem omnibus sponte nascentibus candor caulis, interdum cubitali longitudine, thyrso & foliis scabritia; succus omnibus candidus; viribus quoque Papaueris similis: carpitur per messes. inciso caule cōditur in fictili nouo, ad multa præclarus.

CAP. XXI.

QVAEDAM in Alpibus nascitur, cubitalis: tenuiori caule, similiter candido: foliis breuioribus, non scissis, sed modice angulosis, candicantibus, lęuibus, sæpe nullis ramis: flosculis Lactucæ: hæc quoque lacte madet: ideo montanam Lactucam vocare possumus.

CAP. XXII.

LACTARIOLA vulgò appellatur in ſyluis naſcens, folio breuiori, anguſtiorique quam Lactuca domeſtica, modice anguloſo, maculoſo, ſubhirſuto: caulis eſt rectus, cubito breuior: cacuminibus ramulorum flores ſuſtinet, luteos: copioſo lacte madet, amaraque eſt. Alia in aruis naſcitur grandior, & ramoſior: foliis & caulibus aſperioribus, quaſi Anchuſæ pungentibus, vulgò Sopraginem vocant, ſimiliter lacte madet, ſed ad pabulum iumentorum quæſita. Has Theophraſtus accepiſſe videtur, cum de Thrydacine, quæ eſt Lactuca ſylueſtris, inquit; caulis primo mitis, poſt ſpinulis horridus, & cuncta folia ſpinoſa redduntur: ſuccus aquoſus.

CAP. XXIII.

TRAGOPOGON, apud nos vulgò Saſſefrica vocatur, huius radices venduntur inter olera: nam coctæ eſitantur ex oleo & aceto: folia fert anguſta, in longam gracilitatem producta, ſubcandida: caulis ſimplex eſt, & rectus, aliquando agnatis paucis ſtolonibus: in cacumine calyx ineſt longus, qui florem ſuſtinet luteum, & amplum: ſemina feſtucis ſimilia, adnexa longis barbulis, lanuginoſis, conſtituentia magnum caput, rotundum calyce reſupinato, vt in Aphaca, ſeminis color candicat: radix vnica: in altum deſcendit, ſimilis Cicorio, longior: ſucco lacteo madet, guſtu prædulci: colitur in hortis, ſponte quoque naſcitur in aruis. Aliud genus ſylueſtre in montibus reperitur: flore purpureo: ſemine nigro. Dioſcorides inquit Tragopogon, ideſt barbula Hirci, ab aliis Come, breui caule conſtat; foliis Croci: radice longa, dulci; in caule magnus eſt calyx, & in cacumine ſemen nigrum, à quo nomen accepit: herba eſui apta. Theophraſtus inquit: ei quam Hirci barbulam vocant, radix longa, & dulcis: folia Croco ſimilia, niſi quod longiora: caulis breuis, ſuper quem calyx ampla, & barba de ſummo vertice cana pendens, prolixa; vnde nomen accepit. Plinius eadem habet: at Calycem nigrum tradit: naſci autem in aſperis ſine vſu: ex quibus ſignificatur genus ſylueſtre.

CAP. XXIIII.

QVAEDAM ex Sicilia ad nos allata eſt: hirſutiore folio: cauliculis nudis, florem luteum ſuſtinentibus, & ſemina candida, lanuginoſa: barbulis breuibus: radice longa, pallida, & ſucco pallido: traditur venenum eſſe, vt Aconitum.

SCOR-

CAP. XXV.

SCORZONERA nuper in Hiſpania inuenta eſt herba efficaciſſima ad ictus venenoſos animalis eiuſdem nominis; nam lingua Catalana Eſcorzo ſerpentis genus appellatur apud eos frequentiſſimum: herbæ efficaciam docuit Maurus quidam, qui primus in Catalonia curauit percuſſos ab immani fera: radice conſtat ſimili prędicto animali: tradit autem Scorzonis figuram Nicolaus Monardes Hiſpanus, palmi longitudine cum dimidio, in tenuem caudam deſinentis, verſus caput aſſidue craſſioris: capite craſſo, quadrato, ore grandi, lato rictu, lingua nigra, & acuta, pungente; tenuibus dentibus vt Viperæ: idcirco & dentibus ferit, & lingua pungit: color cutis cinereus ad nigrum tendens, maculoſus, fero aſpectu, torpido greſſu incedit, latitat continue inter plantas in ſegete & vineis: ictum infligit deteriorem Vipera eius regionis, & magis periculoſum, cum ingenti dolore, inflatione, & animi deliquio, vt breui ſequatur mors, niſi cito ſuccurratur ea herba: aliud enim nullum repertum eſt virus illud delere: herba eſt pulchri aſpectus altitudine cubiti, paucis adnatis ſtolonibus rectis: in totum Tragopogo ſimilis: foliis ab radice ſtratis, circa latera leuiter corroſis, & in extremo faſtigiatis, medio neruo ad ſummum vſque producto, colore ſubalbido: quæ autem in caule ſunt, anguſtiora redduntur Tragopogi modo, ſed breuiora: in cacuminibus ramulorum luteus flos inſidet, calyci incluſus, & ſemina pappum ferentia, vt Tragopogon, ſed minora omnia. radix in altum deſcendit, carnoſa, grauis, ex rotunditate in mucronem deſinens: cui aliquando appendices quædam adnexæ ſunt, tuberoſæ, fragiles, cortice tenui, ſubruſo, vergente ad nigrum, ſubaſpero, intus alba, fracta ſuccum lacteum reddit: ſapor ſubdulcis, eſui apta, tum radix tum folia, & cruda & cocta: ſeruatur radix condita cum ſaccaro, quæ gratiſſima eſt: oritur locis montoſis, præcipue humectis: temperamento conſtat calido, & humido in primo gradu: tanta eius vis aduerſus Scorzonem, vt ſi eius ſucco tangatur, torpeat confeſtim: ſi iniiciatur in os, pereat: manibus eo ſucco illitis contrectatur ſerpens prędictus ſine periculo; non enim mordet, atque adeo torpeſcit, vt ſemimortuus videatur: qui fuerit ictus, ſi comedat de eius radice, aut ſuccum foliorum bibat, confeſtim ſanatur, ſi inflatus tam fuerit, deſidet tumor: ſedantur dolores, & deliquia: ſi pręſumatur, ante quam momorderit, non ſuperueniunt praua ſymptomata: bibitur eius ſuccus clarificatus, vel per ſe vel cum aliis roborantibus cor, aut veneno reſiſtentibus, non ſolum ad Scorzonis ictum ſed & ad Viperæ, aliorumque ſerpentium: datur eius aqua diſtillata ad febres peſtilentes & malignas: prouocat enim

ſudo-

ſudorem mirifice, vbi natura hunc motum tentat; confert ad melancholias, triſtitias, & deliquia: admiſcetur quoque epithematibus cordi conferentibus: radices conditæ per multos dies aſſumptæ, & aqua prædicta obſtructiones Hepatis, & Lienis tollunt: meſtruas purgationes moliuntur. Hęc Monardes teſtatur. exiſtimant multi hanc apud Dioſcoridem Condrillam eſſe; ſed magis videtur ad Tragopogi genus reducenda.

CAP. XXVI.

IAM Acanaceum genus proſequamur; Acanacea autē vocat Theophraſtus, quorum conceptus, & id, cui flos inſidet, aut etiam fructus, ſpina vel ſpinaceum quidpiam eſt: eorumdem folia quoque, vt plurimum ſpinoſa ſunt, & quandoque caulis. conueniunt autem pleraque cum Cicoraceis, & Lactucis, quoniam lacte madent, at calidiora ſunt, magna ex parte odorata, amara, aut acria: quædam etiam & in cibos veniunt ob dulcedinem quandam. ſemina in capitibus ſpinoſis continent, vt plurimum intra lanuginem repoſita, præter pappoſam ſubſtantiam ſeminibus inſidentem: caput aliis reſupinatum eſt in ambitu ſemina continens, vt Labrum Veneris, Eringium; aliis concauum ex ſquamis quibuſdam ſpinoſis congeſtum, vt Cardui genera.

CAP. XXVII.

LABRVM Veneris læto ſolo naſcitur, in agrorum limitibus: foliis ab radice ſtratis, ternum digitorum latitudine oblongis, ſpinoſiſque per totum: caulem ęſtate fert rectum, lignoſum, ſpinis horridum, bicubitalem, altioremque, binis per interualla foliis, adeo caulem amplectentibus, vt in eorum ſinu aqua colligatur ex pluuia vel rore, quæ auiculis ſitientibus præſto ſit omni tempore: ex eodem ſinu binos aſſidue fert ramos rectos: in cacuminibus oblonga fert capita, ſpinulis aduncis armata: quibus arefactis lanifices vtuntur ad erigendos pannorum villos, quod Cardare vocant, & Cardos inſtrumenta prædicta; ſeritur alicubi ad eum vſum, non diſtans ab eo, quod ſponte naſcitur niſi magnitudine capitum: floſculi purpuraſcentes, aut candicantes particulatim exeūt ex loculis quibuſdam, circulum deſcribentes, modo vnum, modo plures in echinato capite: Virga paſtoris à quibuſdam ex recentioribus vocatur, cum tamen hoc nomen apud Serapionis interpręten Polygono tribuatur. Dioſcorides Dipſacum vocat inquiens: ex genere aculeatarum caulem habet altum, ſpinis horridum; foliis Lactucæ ſpinoſis, binis ſingula genicula amplectentibus, prælongis, armatis in dorſi medio, ſuperque tubercula ceu bullas ſpinoſas habentibus,

bus, cauo alarum sinu, in quo humor subsistit ex rore collectus, & pluuiis, de quo videtur herba nomen traxisse: in cacumine singulis ramis capitula sunt echinata spinis, longiuscula: hæc, postquam exaruere, albescunt, quibus dissectis in media medulla vermiculus inuenitur: radix sanat rimas sedis & fistulas, si decocta in vino tusaque ad crassitudinem ceræ admoueatur. Plinius eadem ferme habet. Recentiores aquam in Labro Veneris refertam laudant ad oculorum claritatem, & faciem emendendam; nam delere maculas flauas ex morbo obortas, si quis à balneo ea se lauerit: idcirco mulierculas pulchritudinis gratia ea vti: vnde forte Labrum Veneris appellata est ob aquam in eo labro contentam. Theophrastus spinam quādam Dipsadem, idest sitientem tradit, at non hanc significat, sed arboris genus in mari Rubro.

CAP. XXVIII.

ERYNGIVM frequens est, & in mōtibus, & in campestribus; amat tamen loca arida & saxosa: folia, quę ab radice exeunt, antequam caulis erumpat, in latitudinē desinunt sine scissura, mollia, odorata, gustui iucunda; caulis vere assurgit in ramos dilatatus, durus, in quo folia latiora & scissa veluti in ramos, & aculeata: in summis ramis capitula rotunda fert, foliolis in stellæ modum circūdata pungentibus: flos nullus conspicuus, capitulorum color primo viridis, deinde albescit: radix crassa, & longa, odorata, gustu non iniucunda, intus pulposa, & candida, exterius nigra; conditur cum saccaro in cibis; vulgò Iringum vocant. Alia in montibus tantum nascitur: simpliciori caule, cacuminibus cæruleis, pulchra aspectu: in admirabili Monte Auerno Apennini Spinam Sancti Francisci vocant, & tamquam Sacram ferunt in domos, qui ea loca visitant. Dioscorides Eryngium inquit, inter aculeatas est, cuius folia in principio sale condita, in cibos accipiuntur; lata autem sunt, & in extremo ambitu aspera, gustu aromatica: sed vbi adoleuerunt, circa caulem multis fastigiis aculeantur: in cacuminibus rotunda capitula, duris, & acutissimis spinis, figura stellę circundantur, quorum color viridis, aut albus; aliquando autem & cæruleus reperitur: radix oblonga lata, foris nigra, intus candida pollicis crassitudine, odorata; nascitur in asperis & campestribus. Plinius Eryngem & Eryngion vocat; clara inquit in primis est aculeatarum contra serpentes, & venenata omnia nascens: aduersus ictus morsusque radix eius bibitur drachmę pondere in vino aut ex aqua, si febris comitatur: illinitur plagis, peculiariter efficax contra Chersydros ac Ranas omnibus vero efficaciorem Heraclides Medicus arbitrabar contra toxica & Aconita in iure Anseris decoctū. Appollodorus aduersus toxica cum Rana decoquit; cæteri in aqua.

Ipsa

Ipsa dura, fruticosa: spinosis foliis: caule geniculato, cubitali, & maiore aliquando: alia albicans; alia nigra; radice odorata, & satiua quidem est: sed & sponte nascitur in asperis, & saxosis, & in lictoribus maris durior, nigriorque; folio Apij. Ex his candidam nostri Centumcapita vocant: omnes eiusdē effectus: caule, & radice receptis in cibos Grę corum vtroque modo, siue coquere libeat, siue cruda vesci: aliaque multa addit ex Dioscoride & magis: recentiores addunt facultatem seminis gignendi, calidi enim & humidi temperamenti esse in secundo gradu: radix melle condita, aut saccaro, & sępius sumpta virilem genituram adauget, bonumque generat sanguinem: distillatur quoque ex radicibus aqua, quæ pota ad duas vel tres vncias medetur stranguriæ, & auget genituram: ideo sunt, qui loco Secacul Arabum Eryngij radicem sumant. At Galenus herbæ temperamentum in caliditate quidem à medio parum recedere scribit, in siccitate autem non parum cū tenui substantia.

CAP. XXIX.

ERYNGIVM Marinum in arenosis tantum nascitur marittimis: radice cubitali, æquali, crassitudine, pollicari ab imo ad summū, fungosa, tenera, candida, & odorata: caulis crassus, ac lęuis, cinerei coloris: ramis ad latera sparsis prope terram: folia insunt lata, ac rotunda, robusta, paucis scissuris in ambitu, firmis aculeis horrida, candicantia: capitula rotunda Eryngio ęqualia, foliolis latis circumdata, colore vt plurimum cęruleo: semina farcta, & lata, in rotunditate depressa, ac duplicia. Dioscorides, vt puto, Crocodilium vocat, cuius statim meminit post Chamęleontem. inquit autem: simile est Chamęleonti nigro: nascitur autem in locis arenosis (sic enim legit Hermolaus ex Plinio verbum græcum Ἀμμώδεσιν, non ὑλῳμώδεσιν, id est syluosis, vt vulgati codices habent) radicem habens longam, lęuem, aliquantum latam, odore acri, vt Nasturtium: radix huius feruefacta in aqua & pota, sanguinem copiosum per nares pellit: datur eadem spleneticis efficaciter iuuans: semine vrinam ciet: rotundum idest, duplexque, vti scutum. conditio autem tum radicis, tum seminis, & locus natalis omni ex parte huic plantæ conueniunt. similitudo Chamæleontis nigri adhuc incerta est, cum omnino ea planta non agnoscatur. Plinius Dioscoridem sequutus inquit: Crocodilion Chamæleontis herbæ nigræ figuram habet: radice longa, æqualiter crassa, odoris asperi: nascitur in sabuletis: pota sanguinem per nares pellit, copiosum, crassumque, atque ita lienem consumere dicitur. Galenus Crocodiliadis radicem prope aquas nascentis laudat ad dolorem capitis: & Aetius radicem Crocodiliadis eius, quæ maxima est, commendat.

CAP. XXX.

QVAEDAM peregrina apud nos foliis Acanthi, minoribus, candidis, spinosis: caule recto, cubitali & altiore: ramis quoque rectis: in cacumine capita insunt spherica longè, grandiora Eryngio, composita ex floccis, in quibus flosculi candicantes, aut cærulei: semina grano Tritici similia, longiora, hirsuta: radices sparsas Acanthi modo. Dioscorides Agriacantham vocat, idest Acanthum syluestrem, inquit enim similis est Scolymo spinosa, breuior Acantho domestico, qui in hortis seritur: huius quoque radix eadem potest, quę Acanthi. Plinius duo inquit Acanthi genera: aculeatum & crispum, quod breuius, syluestre scilicet intelligens: alterum læue, & cætera, quod domesticum est, de quo nos alibi diximus.

CAP. XXXI.

QVAEDAM in maritimis nascitur locis arenosis, quam Crithmum syluestre vocant: foliis similiter quidem crassis, vt Crithmum, sed longioribus, & in angustiores partes diuisis, in robustos aculeos desinentibus: vmbellis quoque spinosis: flosculis candidis: seminibus farctis inter spinas: radicem alte descendentem, teneram, odoratam, & gustu iucundam: folia quoque recentia, antequam spinis horrescant, similiter condiuntur, vt Crithmum: peculiare huic, quod flosculi spinis insident specie vmbellæ, & candidi, sed sine semine, excepto eo, qui in medio corymbo est: est autem hoc semen solitarium, non geminum, vt in ferulaceis, grano Hordei simile, in aculeum desinens: corymbi alij colore candido: alij subrubente constant, aut violaceo, multis spinis, & firmis horridi, non caput constituentes, sed vmbellam: folia quoque aliquando subrubentia spectantur: Plinius hanc intellexit inter Eryngij genera, cum dixit: in littoribus maris durior, nigriorque nascitur: folio Apij.

CAP. XXXII.

QVAE seminis conceptum in cauo continent, eadem florem totum simul fundunt in summo capitis, aut foliaceum, aut lanugineum: horum quædam in alis foliorum floret, vt Scolymus; quędam in cacuminibus vt Cinara, & reliqua Carduorum genera.

Sco-

CAP. XXXIII.

SCOLYMVS prope vias, & in agrorum limitibus nascitur: foliis ab radice longis, & intersectis, lęuibus, & in ambitu spinosis, maculis candidis: caule cubitali, altiorique, adnatis stolonibus: in iis frequentia sunt folia, breuiora, non incisa, duriora, magisque pungentia: floret particulatim in alis foliorum tota æstate: flos luteus, foliaceus, vt Cicorij: seminis quoque conceptaculum tenue, ex squamis constat non pungentibus, occultatum tamen inter foliorum spinas: tota lacte madet, vt videatur Cicorium quoddam spinosum: sapor inest subamarus, admixta quadam dulcedine, & astrictione vt Cinaræ: ideo floris conceptus, quamquam exiguus, desquamatus, cibo idoneus est. Theophrastus pulcre hanc describit: inquit enim, Scolymus, Carduus vertitur à Theodoro, siue Limonia inter Acanacea, foliis constat aculeatis: pulchre, diuque floret: radicem habet vescendam, tum crudam, tum coctam; eamdemque optimam, cum florescit, quod peculiare illi est, & duroscens, radix lacteum succum emittit: floris quoque prouentus peculiaris videtur: etenim circa solstitium incipit: carnosam, ciboq; idoneam partem, crassescentem sortitur: ortus autem eius non spinosus, sed oblongus fieri assolet, quod proprium huic tantum inesse videmus in eorum genere, quæ foliis constant aculeatis: é diuerso quam Vernilagini: quæ posthæc sequuntur Vernilagini tribuenda sunt, non Scolymo, vt Plinius facit. Alibi idem Theophrastus de Scolymo inquit: serotina admodum tam germine, quam flore percipitur: floret cum solstitium agitur. Dioscorides videtur aliqua ex parte, ab hac descriptione discedere: inquit enim: folia gerit Chamęleontis & Spinę albæ similia, sed nigriora, & crassiora: caulem oblongum, foliis congestum, & in eo caput spinosum: radix autem subest nigra & crassa, in graueolentia alarum, & reliqui corporis radix illinitur, in vino decocta, si bibatur, tędia eadem emendat, vrinamque detrahit copiosam, & fętentem: ipsa herba in cibos recipitur cocta, vt Asparagus. in his Dioscorides dissentire videtur à Theophrasto, cum caput spinosum tradat: at quoniam oblongi cōceptus spinis carentes spinosis foliis includūtur, caput quoddam constituentes, ob id Dioscorides eo modo assignauit: folia autem quamquam non sint nigra, ei, quam descripsi, nigriora tamen sunt quam Spinæ albę. Plinius Theophrastum sequutus inquit: Scolymus floret sero & diu, Carduorum generis, ab iis distat, quod radix eius vescendo est decocta; mirumque, quod sine interuallo tota æstate aliud floret in eo genere, aliud concipit, aliud parturit: aculei arescente folio desinunt pungere: sed hæc postrema verba apud Theophrastum Vernilagini tri-

buuntur. Alibi idem Plinius Dioſcoridem ſequutus inquit: Scolymon quoque in cibo recipit oriens, & alio nomine Limonion appellat: frutex eſt numquam cubitali altior, criſtiſque foliorum, ac radice nigra, ſed dulci: Eratoſteni quoque laudata in pauperis cæna: Vrinam ciere precipue traditur: ſanare lichenas, & lepras ex aceto: Venerem ſtimulare in vino Heſiodo & Alcæo teſtibus, qui florente ea cicadas acerrimi cantus eſſe, & mulieres libidinis auidiſſimas, viroſque in coitum pigerrimos ſcripſere, velut prouidentia naturæ hoc adiumento tunc valentiſſimo: Item graueolentiam alarum emendat radicis emedullatæ vncia in vini Falerni heminis tribus decocta ad tertias, & à balneo ieiuno itemq; poſt cibum cyathis ſingula pota; nam vitium id ex alis per vrinam effluere teſte Xenocrate.

CAP. XXXIIII.

CARDVVS ſatiuus, in Hetruria vulgò Carcioffus vocatur; in hortis colitur cibi gratia: folia fert ab radice ampla, longitudine fere cubitali, ſciſſa, ſubhirſuta, cinerei coloris, nequaquam aculeata paucis exceptis: caulem ex medio foliorum erigit craſſum, & in cacumine caput figura Pineę Nucis, ex latis ſquamis coagmentatum: hoc antequam floreat, dum tenerum eſt, eſtur crudum cum ſale & pipere, vel coctum abiecta tamen duriori ſquamarum parte. Caput hoc aliquando occultatur inter folia media, non procul à radice, quod ſi non auferatur tenellum, attollitur in dies cum caule ſupra folia, ac floret: flos lanugineus eſt, colore purpureo: ſemina inter candidam lanuginem continet, oblonga, lęui cortice obtecta, candido, vel nigro: Fert & alia à latere capitula duo, aut tria, ſed minora, quam quod in medio continetur. Capitum ſquamæ figura folij Laurini, aut Myrthini in aculeum deſinũt; breuem, nunc robuſtum, nunc infirmum, nunc prope nullum: ſimiliter & folia, quę in caule aliquando aculeata, aliquando mitia ſunt: differunt & colore ſquamarum: nunc enim ſubrubentes, nunc virides ſpectantur: capitis quoque figura nunc oblonga, nunc rotunda: guſtui gratiſſima, ideo maxime expetuntur in extremis menſis, oris halitum commendãt; coctionem adiuuant, & Venerem concitant. Plinius Carduos maximi quæſtus eſſe teſtatur apud Cartaginem, Magnam, Cordubamque præcipue: nam ſeſtertia ſena millia ex iis aruis reddere: ideo portenta terrarum in ganeam verſa: ſeri duobus modis, autumno planta: & ſemine ante nonas Martias: plantaſque ex eo diſponi ante idus Nouembris, aut in locis frigidis circa Fauonium: ſtercorari etiam, lætiuſque prouenire: condiri quoque aceto, melle diluto, addita Laſeris radice, & Cumini, ne quis dies ſine Carduo ſit: non licere homini plebeo veſci: eoſque refugere

fugere quadrupedes conſcias. Apud Columellam Carduus ſatiuus Cinara vocatur: de Cinara apud Dioſcoridem mentio eſt tantum inter attributa: nam de Chamæleonte albo inquit ex medio, foliorum ſpinas erigere Echini Marini modo, aut Cinaræ: Galenus inter alimenta ex ſpinoſis quæſita inquit: æſtimari Cinaram pluris, quam conueniat: ab aliis Cynaram proferti; eſſe autem praui ſucci, & maxime cum pluſculum iam obduruerit: etenim tunc ſuccum bilioſum in ſe ipſa continet copioſiorem, totamq; ſubſtantiam habet duriorem; adeo vt ex ea quidem ſuccus melancholicus, ex ipſo autẽ ſucco tenuis, ac bilioſiſſimus gignatur: ſatius igitur fuerit ipſam elixam mandere ſic, vt ſi quis cum oleo garo & vino ipſam ſumat, Coriandrum iniiciat: ſin vero in patina paret, aut frigat in ſartagine, hæc ſemoueat. Multi enim eo modo ipſarum velut capita, quæ ſpondylos nominant, mandunt. Theophraſtus, vt puto, de his egit ſtatim poſt Scolymum, cum inquit: contrario modo ſe habere Scolymum, quam Chamæleontem (Theodorus Vernilaginem vertit) hic enim quamuis foliis conſtet non aculeatis, tamen Acani ſpeciem gerit, ſeneſcenſque flos in lanuginem pappum vocatam conuertitur: pergitque ad æſtatem vſque aliud parturiens, aliud floreſcens: ſeminis autem folium quale Laurinum, aut Myrthinum, aut cæterorum huiuſmodi, exiguum humorem ac mediocrem habet, & arefactum relaxatur, & non amplius pungit; ſed hæc verba tranſpoſita valde perturbatam faciunt in codice græco lectionem. Plinius hæc multis ablatis Scolymo aſcripſit: de hoc tamen Theophraſtum ſequutus dixit inter ſpinoſas: Chamæleon in foliis non habet aculeos. Alius tamen eſt Chamæleon albus, & niger, non ſolum apud Dioſcoridem, ſed & apud Theophraſtum, & Plinium, vt ſuo loco patebit. Inter genera Cardui ſatiui videtur & Ixine apud Theophraſtum, quam Theodorus modò Carduum pineam, modò ſpinam Ixinam conuertit: inter Acanacea ęſtate inquit germinat: haud multis in locis prouenire poteſt: ab radice foliigeta, de qua media ſeminalis Acanus, veluti malum extuberat, foliis nimirum occultatus: hic lachrymam iucundi ſaporis parte profert poſtrema, quam ſpinalem Maſtichen vocant. Alia autem eſt Ixia apud eumdem Theophraſtum, ideſt Chamæleon albus, quam Theodorus nequaquam diſtinxit ab Ixine, vtramque Carduum pineam vocans. Plinius de Ixine inquit, vbi corrupte legitur Helxine: viſu rara eſt, neque in omnibus terris eſt: radice folioſa, ex qua media veluti malum extuberat, contectum ſua fronde: huius cortex ſummus lachrymam continet, iucundi ſaporis Acanthicem Maſtichem appellatam: hoc igitur genus Cardui, vt ſæpe viſitur apud nos, caput gerit in mediis foliis occultatum: lachrymam autem quamdam omnia fere reſudant, cum inciſa ſunt; nigreſcentem, at valde modicam: ſed Ixine magis conſpicuam.

CAR-

CAP. XXXV.

CARDONES vocamus in hoc genere, quorum caules vel potius foliorum pediculi terra obruti hyeme in cibos veniunt, crudi, à cute emundati: candidi enim sunt, succosi, & gustui grati; aquosiores tamen quam capita; apponuntur nobilium mensis cum sale & pipere. Quamuis autem id ex omni genere Carduorum hortensium fieri soleat, vnum tamen proprium genus est, quod huius tantum gratia seritur, vt aduentante hyeme terra obruatur: huius folia diuisa magis sunt, ac spinosa: caulis altior: capita compressa, lata, ex angustioribus squamis coagmentata: hæc quoque veniunt in cibos, sed duriora sunt ac propemodum sylvestria, ideo non nisi cocta comeduntur, cum cætera genera desierunt, serotina enim magis sunt: vtuntur eius flore ad lactis coagulationem, quę facultas & cæteris Carduis inest. Theophrastus hos videtur intellexisse, cum inquit: quæ autem Cattus nuncupata est, in Sicilia tantum nascitur; Græciæ nusquam habetur sui generis planta: hæc enim statim ab radice caules repentes in terram mittit folio lato, atque spinoso: caules hos Cattos appellant: desquamati cibo idonei sunt, paulo amaricantes, & reseruare eos aqua salsa conditos consueuerunt: alium vero caulem erectum producit, quem Pternicem vocant; is quoque cibo aptus excrescit, sed reseruari non patitur: fructus in quo semen spinata specie est, verum exemptis lanuginosis seminibus is quoque vescendus relinquitur. & cerebro palmæ similis est, Scaliam eum appellant. Plinius eadem fere habet ad verbum.

CAP. XXXVI.

CARDVVS sylvestris in ruderibus nascitur: caule bicubitali, altiorique, ramoso, appendicibus foliorum hispido: folia insunt lata, non scissa, in ambitu frequentibus aculeis armata, candida lanugine hirsuta: cacuminibus capitula insunt, hispida, non squamosa, sed potius hirsuta: flos similis satiuo: vtuntur eo ad lactis coagulationem: ideo quidam vulgò Præsuram appellant. Alter in limitibus agrorum frequens: tenuiori caule, similiter hispido: foliis minoribus, subhirsutis: capitulis paruis, frequentibus, qui celeriter in pappum euanescunt. Plinius Carduorum sylvestrium genera duo tradit: vnum fruticosius à terra statim: alterum vnicaule, crassius: vtrique folia pauca, spinosa, muricatis cacuminibus: sed alter florem purpureum mittit inter medios aculeos, celeriter canescentem, & abeuntem cum aura, Scolymon Græci vocant. hic, ante quam floreat, contusus, & expressus illito

suc-

succo Alopecias replet, radix cuiusque ex aqua decocta potatoribus sitim facere narratur: stomachum corroborat, & vuluis (si credimus) etiam conferre aliquid traditur, vt mares gignantur: manducatus hic Carduus, odorem commendat oris: alibi idem Plinius, cum inquit: Carduus & folio, & caule spinosas lanugines habet: sylvestrem intellexit. Quamuis autem Scolymum appellari tradiderit; aliud tamen eo nomine intelligi ostendimus apud Theophrastum. Non ab re autem fuerit apud Theophrastum Polyacantham asserere, quam Theodorus aculeosam vertit inter Acanacea.

CAP. XXXVII.

ALIVD est genus Cardui sylvestris in ruderibus frequens: foliis Scolymo latioribus, similiter pungentibus, in ambitu fimbriatis, & maculis candidis, vnde Lac Diuæ Mariæ quidam appellant. caulem cubito altiorem fert, adnatis stolonibus: & in cacumine capita satiuo Carduo minora, compressa angustis squamis, in longas spinas ac robustas desinentibus, deorsum spectantes: florem purpureum: radicem crassam, sapore dulci: huius quoque caput comeditur à plebeis. Dioscorides Silybum vocat: spina inquit est lata: foliis Chamæleonti candidæ similibus: hęc recens nata coquitur, & cum oleo & sale manditur: succus è radice drachma potus ex aqua mulsa vomitiones cit. Plinius de Silybo inquit: Chamæleonti albo similis, ęque spinosa; ne in Silicia quidem, aut Siria, aut Phænice, vbi nascitur, coquere tanti est, ita operosa eius culina traditur: in medicina nullum vsum habet: ex quibus Plinius videtur nequaquam nouisse in Italia passim nascentem iuxta oppida. Theophrastus videtur hanc nomine Acani intellexisse; vnde reliqua Carduorum genera Acanacea dicta sunt, est enim notissima, ac frequentissima, ideo pauca de Acano scribit: solum enim tradit foliis constare aculeatis: & de Vernilagine dixit: Acani speciem gerere: vocat quoque Carduorum fructum Acanum, vt patet in Ixine. Plinius inquit: sunt qui Acanon Eringio ascribant, spinosam, breuemque, ac latam herbam, spinisque latioribus: hanc impositam sanguinem mire sistere.

CAP. XXXVIII.

CARLINA vulgò appellatur; quia Carolo Francorum regi ostensa est præstantissimum remedium ad pestem arcendam: oritur in Alpibus frequens in pratis Apennini Montis Catenaiæ prope Aretium: folia fert strata circa radicem, oblonga, quatuor digitorum latitudine, fastigiata in ambitu, aculeis armata, ac modice fimbriata: caput

put in medio foliorum gerit, nullo caule, adnexum radici, magnitudine Cardui domestici; at Silybi modo hispidum, & compressum spinis erectis, quæ tenues squamæ sunt, valde hispidæ, colore subruffo: hoc purgatum à squamis & lanugine semen continente conditur saccaro aut melle, gratissimum in cibis: crudum quoque comedunt, sed si copiosius assumatur, tormina gignit & vertigines: gustui cum dulcedine subacre est, & odoratum; dum purgatur à squamis, lachrymam reddit albam, aut modice flauescentem, glutinosam: radix alba est, singularis, odorata. Dioscorides Chamæleontem album vocat, quæ à quibusdam Ixia dicitur; quoniam quibusdam in locis viscum circa radices eius inuenitur, quo pro Mastiche vtuntur mulieres: folia habet Silybo, aut Scolymo similia, asperiora, acutiora, & nigro Chamæleonte validiora: caulem non promit, sed ex medio spinas Echini Marini, aut Cinaræ modo erigit: flores purpureos veluti papporum lanugines emittit: semen Cnico simile; radicem in lætis collibus crassam, in montosis vero graciliorem, in profundo albam, aliquatenus aromaticam, graui odore, dulcem. Theophrastus de albo Chamæleonte, quam Theodorus Vernilaginem vocat, inquit: radice distat à nigra: candida enim est, dulcis, crassa, & grauiter olens, vtilis traditur ad alui profluuia decocta: dissecta Rhaphani modo digeritur in taleolas, & iunco transfigitur: valet & ad interraneorum animalia lata acetabuli mensura in vino austero pota, sed præsumpta vua passa: occidit & canes & sues: Canes quidem subacta in farina hordeacea, cum aqua & oleo: sues autem cum Brassica. & si hominem ægrotãtem experiri volureis an viuere possit, lauandum ea radice triduo iubent: hoc enim si tolerauerit, moriturum nequaquam existimant: nascitur æque omnibus locis folio Scolymi, verum ampliore, & terræ proximo: capite magno Acano simili; vnde quidam Acanum eum vocarunt. Alibi Ixiam vocat, quę in Creta habere lachrymam dicitur, alia autem apud eundem est Ixine; nam in eodem capite vtriusque meminit, tamquam diuersarum. Alia quoque intelligitur apud eumdem nomine Chamæleontis seu Vernilaginis: folio scilicet non aculeato, vt in Carduo satiuo diximus. Plinius Chamæleonem inquit, aliqui Ixiam vocant: duo genera eius: Candidior asperiora folia habet: serpit in terra, Echini modo spinas erigens; radice dulci, odore grauissimo; quibusdam in locis viscum gignit album sub alis foliorum, maximè circa canis ortum, quo modo Thura nasci dicuntur; vnde & Ixia appellatur: hoc vt Mastiche vtuntur mulieres.

CAP. XXXIX.

ALTERVM genus nascitur in Alpibus Pistoriensibus, ac Lucensibus: hoc folia fert paulo angustiora, & dissecta ex interuallis, non strata in terram, mollioraque; at similiter aculeata: caulem dodrantalem, aliquando vnum, aliquando plures, qui in cacumine caput sustinent priori simile, sed paulo minus: hoc in cibis non expetitur, vt alterum: radicem fert crassiorem, nigricantem, valde odoratam, quasi exęsam à latere. hoc profectò in genere Chamæleonis est; paucis enim differt ab altero: sed dubium vtrum Chameleon niger apud Dioscoridem & Theophrastum dicendus est. Si Dioscoridem consulamus, alia videtur describi, saltem loco natali differens: inquit enim, hæc quoque Scolymo similis est foliis: minoribus tamen, ac tenuioribus iisque rubentibus: caulem fert crassitudine digiti, dodrantalem, subrubrum, in quo vmbella, & flores spinosi, tenues, Hyacintho æmuli, varij: radix crassa, nigra, densa, interdum corrosa; quæ dissecta flauescit; conmanducata mordet: nascitur in campestribus siccis, collibus, & marittimis: appellatur Chamęleon ob foliorum varietatem: mutant enim cum terra colores; nam reperiuntur, vel intense viridia, vel subalbida, aut cærulea, aut rubra, secundum locorum differentias. At supradictæ plantæ neque vmbella inest, neque ea floris constitutio, neque coloris varietas, neque locus natalis: solum radicis conditiones, ac foliorum similitudo, & caulis conuenire videntur. Sed Theophrasti descriptio; vnde multa mutuasse Dioscorides videtur, minus abhorret: inquit enim: Chamæleon hic quidem albus, hic verò niger est: differunt radice, qua vires possident: Nigro folium inest albo Chamęleoni simile, nam specie Scolymi, sed minus, & læuius: tota autem herba vmbraculi speciem repræsentat: radice crassa, & nigra extrinsecus, subfulua intrinsecus nititur: loca gelida, humidaque amat: (alij codices habent non ὑγρά, id est humida; sed ἀγρά: id est inculta) lepram & vitiliginem trita in aceto & ramentis illita expellit: nec non & canes occidere potest: vtilis annis quadraginta: hæc Theophrastus: Si igitur accipiamus totã herbam ab eadem radice plures caules ferentem, quibus singulis singula insunt capita, vt sępe visitur in nostra: profecto tota vmbraculi speciem repręsentabit, vt Theophrastus inquit: hoc modo nihil obstabit, quin planta prædicta Chamæleon niger sit apud Theophrastum. Plinius Dioscoridem magis sequitur; ex nigris inquit aliqui marem dixere, cui flos purpureus esset; & fæminam, cui violaceus: vno nascuntur caule, cubitali, crassitudine digitali: ferunt & hęc viscum, vlceribus vtilissimum: cum igitur plura nigri genera faciat; nostrum ex his vnum fuerit.

CAP. XL.

SPINA alba in montibus tantum nascitur: caule recto, vltra bicubitalem altitudinem; nam aliquando hominis staturam excedit: foliis longis, sed angustis, in ambitu scissis, referentibus Scolymi folia, quæ ab radice sunt, hirsutioribus, candidioribusque; hæc spinis armantur prælongis, candidisque: paucos fert ramos prope verticem, quibus singulis singula capitula insident hirsuta, sed mollissima, cinerei coloris, magnitudine capitis Carlinæ: flos purpureus: radix subest carnosa, & odorata. Dioscorides inquit: nascitur in montibus, syluosisque; folia habens Chamæleonti albo similia; verum angustiora, candidioraque, atque subhirsuta, spinis infesta: caulem bina cubita excedentem, crassitudine pollicis, vel ampliore, subalbidum, & concauum: caput spinosum cacumini insidet, Echino marino simile, minus, & oblongum: flores purpurei, in quibus semen Cnico simile, sed rotundius: radix bibitur ad sanguinis excreationem, stomachicos, & cęliacos: vrinam mouet, & quæ sequuntur. Arabes vocant Bedeguar, quo nomine hodie officinę vtuntur, quamuis herbam pauci nouerint. Alia in collibus nascitur & campestribus, sed incultis: folio simili, candidis maculis pulchre ornato, sed spinis exiguis: caule cubitali, amplioreque, solido: capitulis pluribus, tenuioribus, viridibus, magisque rigidis: flore simili: radix subest lignosa, sine odore: hanc plerique pro Spina alba ostendunt.

CAP. XLI.

SPINA Arabica in montibus nascitur, locis gracilibus: prope cubiti altitudinem; duobus aut tribus ramis, prelongis, infirmis: paucis foliis, figura Spinæ albę, sed multo minoribus, crispis, viridibus, modice pungentibus: capita fert cacuminibus singula, lata, & depressa, inuersis squamis tenuibus, flore purpureo: radix carnosa, aromatica, vt Spinæ albę. Dioscorides inquit: Spina Arabica similis naturę videtur Spinę albæ, radice valens, ad cohibendos fluores muliebres, & sanguinis eruptiones, & ad alia, vi astringendi similiter prædita: nascitur in asperis. Plinius inquit. Spinæ Arabicę laudes in odorum loco diximus, & ipsa spissa, & reliqua habet, vt Dioscorides.

CAP. XLII.

ACANTHION in sylueſtribus nascitur, & torrentium alueis: caule recto, fere cubitali: foliis Spinæ Arabicę, minus crispis: capitula fert oblonga, & tenuia: florem purpureum: lanugo

ab

ab iis capitibus prelonga, & copiosa redditur, vt Lini instar neri possit: Alia in agrorum limitibus passim nascitur, maior, & nigrior, in omnibus Spinę Albę campestri similis, sed colore viridi, nigricante: huius capitula non tantam lanuginem fundunt, vt prior. Dioscorides inquit: Acanthion folia fert Spinę Albæ, in cacumine autem spinosas eminentias, qua materia collecta, & in vnum coacta fiunt bombici similia: huius radix, & folia ad opistotonum bibuntur. At Plinius, quem sequuti sunt Dioscoridis interpretes, foliis tribuit, quod Dioscorides cacuminibus; inquit enim: Spinę Albæ similis est Spina illa, quam græci Acanthion vocant: minoribus multo foliis, aculeatis, per extremitates, & araneosa lanugine obductis, qua collecta etiam vestes quædam Bombicinis similes fiunt in Oriente. sed magis verisimile est lanuginem vestibus texendis vtilem ex papposis capitibus haberi, quam foliis.

CAP. XLIII.

CIRSIVM in agro Pisano prouenit, locis vliginosis, ad radicem montis Sancti Iuliani: reperitur & in montibus: ab eodem cespite radicum plures fert caules rectos, bicubitales, simplices: foliis palmi longitudine figura Buglossi, sine pediculo adnexis; adeo vt foliorum labiola per longitudinem caulis producta, caulem reddant angulosum, & propter foliorum ordinem triangulum: ipsa folia mollia sunt, nequaquam hirsuta in ambitu spinis mollibus: in cacumine tenuia capitula sustinentur, tamquam in vmbella flore purpurascente, qui in lanuginem soluitur. Alterum in syluis reperitur: foliis latioribus, breuioribusque, spinis similiter mollibus. Tertium in aruis passim reperitur, quod vulgò Stoppione vocatur: foliis modice angulosis, candidioribus, aculeis durioribus, ideo pungentibus: omnibus capitula insunt similia, & papposa. Dioscoridis descriptio primo generi maxime quadrat; inquit enim: caulis est tener, quasi duorum cubitorum, triangulus: foliolis infernis, Rosarum specie, in angulos exeuntibus per interualla, spinosos, molles (quibus verbis significat foliorum appendices angulos facere in caules per interualla) folia Bugloſſo similia, modice hirsuta, longiora, subcandida, in ambitu spinosa (hæc verba magis postremo generi conueniunt) cacumen in caule orbiculatum, hirsutum, & in eo capitula in summo purpurea, quę in lanugines euanescunt: huius radicem adalligatam loco dolores varicum sanare traditur; vnde Cirsij appellatio. Plinius eadem fere habet ad verbum, sed folia tradit minora Bugloſſo, legens in Dioscoride non μακρότερα: idest longiora; sed μικρότερα.

CAP. XLIIII.

CARTHAMVM syluestre vulgò appellatur, quod in incultis nascitur, iuxta vias: caule recto, duro, lanuginoso, fere cubitali: folia insunt frequentia, breuiora, & angustiora, quam Scolymi, hirsuta, subcandida, prædura, & valde spinosa: prope cacumina ramulos fert, sustinentes capitula, horrida, paruis foliis, pungentibus circundata, quæ si auferantur, dum tenella sunt, lineam sanguineam ducunt super cutem, si fricentur: flores fert luteos. Dioscorides inter Cnici genera videtur nouisse, vt patebit in Cnico. Apud Theophrastum Atractylis dicitur, Theodorus Fusum Agrestem vocat, inquiens: Cnico & Acarna candidior est: habetque peculiare, quod in foliis euenit, decerpta enim, carnique allata succum sanguineum effundunt, qua de causa Phonos, id est cruor à quibusdam Spina hæc nominata est: grauis etiam odore, cruoremque repręsentans; sero perficit fructum; autumno enim, vt fere vniuersum genus Acanaceorum. Plinius Theophrastum sequitur, idem inquit cum Acorna erat Atractylis quoque, nisi candidior esset, & nisi sanguineum succum funderet, qua de causa Phonos vocatur à quibusdam, & reliqua, vt Theophrastus. Alia tamen est Atractylis apud Dioscoridem, vt paulo post patebit.

CAP. XLV.

ACORNA in collibus asperis frequens, & campestribus, in totum minor Atractyli: caulibus rubentibus, lęuibus, capitulis in vmbella simili modo spinosis; flore aureo, patulo, in ambitu foliato, vt Asteracticus: nam in Atractyli clausus est: Theophrastus modò Acornam, modo Acarnam vocat: spinoso folio inter Acanacea, aspectu Cnico vrbano similis est, colore flauicans, succo pinguis. Plinius Acorna inquit colore tantum ruffo distinguitur, & pingui ore succo.

CAP. XLVI.

CNICVS satiuus, quod vulgò Crocum Saracenicum vocatur, seritur semine in hortis floris gratia, qui Croci vice recipitur in condimentis: caulem fert rectum, cubitalem, candidum; in quo folia non dissecta, nec spinosa, sed angulosa tantum, læuia, & dura: in cacuminibus ramulorum capitula foliis circundata: floribus croceis; ideo iis Crocum adulteratur: semen inter lanugines, crassum, candidum, oleosa intus pulpa, quod apud Medicos Carthamum vocatur in-

ter

ter medicamenta purgantia: eo semine aluntur Psittaci. Dioscorides Cnici meminit, non distinguens satiuum à sylueſtri, sed simpliciter Cnicum vocans, inquit: folia fert oblonga, incisa, aspera, spinosa: caules cubitales, in quibus caput, Oliuæ magnitudine; & flos Croco similis: semen candidum, & ruffum, oblongum, angulosum: huius flore vtuntur in obsoniis: seminis contusi cremor cum aqua mulsa, vel iure Gallinaceo aluum purgat, sed stomacho aduersatur: fiunt & ad hunc vsum placentulæ ante cęnam sumendæ, quæ recipiunt Cnici candidi sextarium, Amigdalarum tostarum, & delibratarum cyathos tres, Anisi sextarium, Afronitri dracmam vnam cum carnibus triginta Caricarum, & melle decocto quantum sufficit; fiunt coctaria nucis magnitudine, quorum duo vel tria sumpsisse satis est quatriduo. Seminis succus lac cogit, quod efficacius redditur ad aluum soluendam. ex his colligitur duo tradi Cnici genera: candidum scilicet & ruffum, semine differentia. videtur autem Dioscorides Cnicum ruffum vocare genus sylueſtre, quod & ex descriptione foliorum significatur: nam folia oblonga, incisa, aspera, & spinosa nequaquam conueniunt domestico. Theophrastus de Cnico inquit sparsim: fructum aculeatũ, ac veluti retorridum fert: florem vnà cum seminibus ipsis edit: foliis aculeatis inter Acanacea excipitur vna cum Struthio, & Soncho; quamuis enim natura spinosa sint; seminis tamen conceptum non spinosum habent: quæ condictio de vrbano intelligitur. subdit præterea: multis caulibus constat, & ramos fundit; sylueſtri vrbanoque discernitur: sylueſtris genera duo notantur: alterum vrbano admodum simile, recticaulius tamen: quamobrem ex eo mulierum priscarum nonnullæ colu vtebantur: fructum nigrum, maiusculum, amarumque parit. Sed genus hoc sylueſtris adhuc nobis incompertum est, nisi ea fuerit, quam paulo post idem Theophrastus Atractylidem vocat; nam & hodie Carthamũ sylueſtre vocatur à multis, & hanc Dioscorides intelligere videtur per Cnicum ruffum. Plinius celebrari apud Aegyptios scribit Cnicon, Italiæ ignotam, ipsis autem oleo non cibo gratam: hoc faciunt ex semine eius differentia prima sylueſtris & satiuæ: sylueſtrium duæ species: vna mitior est, simili caule, tamen rigido; itaque & colu antiquæ mulieres vtebantur, exilis, quam quidã Atractylida vocant: semen eius candidum, & grande, amarum. sed Plinius iis verbis potius domesticum demostrat quam sylueſtre; & quia mitior; & quia semen candidum. Mesues Carthamum vocat inter purgãtia, quo nomine hodie vtuntur: esse domesticum & sylueſtrem: assumi ad purgationes domesticum; eligi semen album, lene, crassum, & planum, cuius medulla vnctuosa, pinguis, & cortex tenuis: & melior flos est, qui est sicut pili Croci.

CAP. XLVII.

CARDVVS Sanctus, siue Carduus benedictus vulgò appellatus apud nos, non nisi sata prouenit: seritur aũt tantũ medicinæ gratia, ob virtutis pręstantiã: caules fert rubentes, hirsutos, ramosos, infirmos, & in terram procumbentes, ferme cubitales, in quibus folia, figura Senecionis, sed multo maiora, hirsuta, non tamen pungentia: cacuminibus fert capitula foliis inuoluta, in spinosam veluti barbam desinentia, longissimos scilicet aculeos, qui & à lateribus horridi sunt: ex medio spinarum exiguus flos erumpit, luteus, odorem Moschi referens: tota herba amara est vehemẽter, cum quadam astrictione, ideo obstructiones internorum tollit; & sanguinem fluentem ex naribus restringit succo indito: medetur stomacho debilitato, excitatque ciborum appetentiam, si folia recentia deuorentur: decocta cum lotio sani alicuius infantis, ac pota sanat hydropicos; pestem; omniaque apostemata rumpit; cancrum, & morbum comitialem pellit: puluis cum farina permixtus & ex aceto calido cataplasmate pustulas pestis sanat: carbunculos sanat, contusa & imposita. Aduersus omne venenum per os sumptum puluis, aut herba, aut succus, aut aqua distillata in potu datur, vt inde æger vestibus operiatur, & sudet spatio trium horarum, idem efficit vinum ex ea cõfectum in vindemia: pellit febres antiquas: aliaque multa de ea prędicantur à recentioribus. Describitur hæc à Theophrasto pro altero Cnico syluestre in hunc modum: alterum genus hirsutum est: caulesque Sonceos fert, vt quodammodo humi procumbant: nam propter mollitiem foliorum inclinantur ad arua: fructum habet amarum, barbę modo hirsutum: seminosa sunt omnia Cnici genera, sed syluestria paruis, & densioribus constant: peculiare huic pręceteris syluestribus: quod illa duriora, spinosioraque vrbanis proueniunt; hoc autem mollius, & lęuius constat. Plinius paucis his verbis describit: altera hirsutior: torosiore caule, & qui pene humi serpat: minuto semine. Dioscorides hanc Atractylidem vocat: inquit enim Atractylis, alij Cnicum syluestrem vocant, spina est similis Cnico; sed multo longiora folia ferens in summis ramulis, cæteris partibus plurimis, nudis, & asperis: vtuntur mulieres pro fuso; capitula in cacumine fert spinosa: florem luteum, alicubi purpureum: radicem tenuem, inutilem. huius folia, semen, comę trita cum pipere, atque vino contra Scorpionum venena prębent auxilium: ferturque ab iis percussos, quamdiu teneant eam herbam, non sentire cruciatum: simul cum deposita, reciprocare sensum doloris. Illud facit, vt putem Dioscoridis Atractylidem huic plantæ conuenire potius quam ei, quæ à Theophrasto Atractylis vocatur:

quo-

quoniam illa non longa fert in cacumine folia: non multæ eius partes nudę: non flos purpureus vmquam visus. Est autem Atractylis purpurea quędam in horto Pisano: caulibus humi sparsis: foliis paulo latioribus, subalbidis, nequaquam spinosis: capitula habet spherica, nuda, tenuissimis, ac pręlongis spinis vndique armata: florem purpureum: hæc quoque amara est. Sed merito quęri possit, quis vsus earum pro fuso. profecto caules infirmi, & curui pro colu assumi nequeunt, quem vsũ prętabat Cnicus sylvestris primus: at pro fuso cũ suo verticillo apte extremis harum ramulis filum intorquere, & colligere mulieres possunt.

CAP. XLVIII.

CACATREPPOLA vulgò appellatur, quasi Cacotribulus, idest infestus Tribulus, passim obuia est iuxta vias, & prope oppida, idque omni tempore: nam hyeme folia ab radice fert strata in terram, similia Papaueri erratico: ex medio foliorum spinosum quid erumpit, qui futurus est floris & seminis conceptus: sunt autem spinæ candidæ, prælongæ, ac robustæ in stellę modum, vnde quidam Stellariam vocant: caulis à latere spinosi conceptus erumpit subhirsutus, qui statim in ramos finditur, ad latera tendentes: foliis breuioribus, varie sectis, hirsutis: in singulis alis spinas easdem continet: æstate flores ex spinosis conceptibus promit, fere lanugineos, candidos, vel subruben tes, incipiens ab imo: gustu subamara est, & astringẽs: efficax ad tumores genuum dissoluendos cataplasmate. cum hæc planta notissima sit apud nos, putandum apud antiquos quoq; inter herbas notissimas, quæ nomine tantum indicatæ sunt, contineri: descriptio enim nulla reperitur, quæ manifeste hanc demonstret. existimo autem hanc Stœbem esse; nam quamuis apud Dioscoridem nulla eius notha colligi possit; apud Theophrastum tamen aliquæ habentur, quæ optimè hanc sententiam confirmare possint; nam de Stœbe, quam & Stibam alicubi vocat, & Phleum, inquit vno loco, vbi Stibam vocat: frutex est, folia ferens carnosa, vt pote quæ pulpa constent: alibi inquit Phleus, quam nonnulli Stœbem vocant, inter eas est, quæ iuxta aculeum folium gerunt, vt Ononis tribulus: iterum de Phleo inquit: spinosarum quoddam genus ex toto spinosum est; quoddam spinoso folio constat; tertiũ genus est aculeatarũ, quod iuxta aculeum foliũ gerit, vt Phleus, Tribulus, & Capparis; sed quod eo in loco subiungitur, Theodorus non bene omnibus his tribuit: peculiare scilicet habere, vt non solum caulem aculeatum, sed etiã folium habeant hispidum: nam inferius peculiare id soli Cappari inesse traditur: Phleum autem & Hippopheum foliis mitibus constare, idest sine aculeis: ibidem tribuit Phleo folium carnosum, multifidum: multasque

tasque radiculas non in profundum: germinat inquit cum Virgiliis, primoque aratro vna; nec folia dimittit; non enim annua, sed diuturnior est. hæc omnia pulchre conueniunt herbæ supradictæ. sed alia apud eundem Theophrastum Phleum neutro genere appellatur, in stagnis nascens, cuius fructus placentaceus in lacu Orchomenio proueniens, Anthella vocatur; alibi sterile, quæ fæmina est, foliis Harundineis, de qua alibi dictum est à nobis. Plinius Theophrastum sequutus male intellectũ inquit: quædam in folio, & in caule habet aculeum, vt Phleos, quod aliqui Stœbem appellauere: vnde error Theodori fluxit: Alibi Dioscoridem imitatus inquit: Stœbe, quam aliqui Phleon vocant, decocta in vino præcipue auribus purulentis medetur, item oculis ictu cruentatis; Hæmorrhoidæ quoque; & dissenteriæ infusa. Dioscorides inquit folia & semen astringunt; ideo dissentericis infundi decoctum, auribus purulentis; imponi oculis cruentatis: folia cohibere sanguinis eruptionem. longe autem diuersa est apud Galenum, quam incolæ inquit Colymbadem vocant, alij Stœbem, herba fruticosa, calida, & acris valde, parumper redolens, aptissima ad præseruandum vina: appellatur & Stœbe, quodcumque vasis interponitur opplendi gratia; ne inuicem collidantur, vt natura fecit in pulmonis fabrica: nam carne molli, instat Stœbes cuiusdam, eius vasa fulciri scribit Galenus.

CAP. XLIX.

ALTERA in eisdem locis nascitur latiore folio, ac minus diuiso, candidiorique, succo lacteo: capitula fert parua, non in alis, sed in summis ramulis, longis aculeis simili modo armata: florem luteum: radicem valde amaram. Dioscorides Leucacantham vocat, cui radix Cypero similis, valde amara, quæ commanducata dentium dolorem sedat, & quę sequuntur. Appellata hęc Leucacantha ob candidas capitulorum spinas. Theodorus apud Theophrastum Spinam candidam vocat. Plinius eadem, quæ Dioscorides habet: appellatur & Leucacanthos.

CAP. L.

ACANACEIS proxima sunt, quæ fructum simili modo ferunt, aculeis tamen omnino carent, vt Lappa maior, Carduncellus, Cyamus, & alia quędam: Lappa maior, ab aliis Personata vocatur, & à recentioribus Medicis Bardana: frequens est circa oppida, in pingui solo nascens: foliis ab radice maximis, in latitudine oblongis, figura Cucurbitæ, hirsutis, ingrato odore: caulem fert in ęstate tamosum, cubitalem, amplioremque, foliis longe minoribus; capitula specie spinosarum,

ſarum, hamulis horrida, quibus pertinaciter hærent veſtibus: flos lanugineus, purpureus inſidet. Dioſcorides Arcion, & Perſonatam vocat, cui folia tradit Cucurbitæ, maiora tamen, duriora, nigriora, & hirſuta: caulem ſubcandidum, ſæpe nullum: radicem magnam, intus albam, foris nigram, quæ drachmę vnius pondere pota cum nucleis Pineis, purulenta, & ſanguinem extuſſientibus auxiliatur: quod hodie quidam experimento efficaciſſimum remedium eſſe comprobarunt. Plinius bis eãdem videtur intelligere in eodem capite; modica nominis mutatione; nam vno loco inquit: quidam Arcion Perſonatam vocant, cuius folio nullum eſt latius, grandes Lappas ferentem: huius radicem decoctam ex aceto dant potu ad ſerpentium ictus: ex quibus notis manifeſte herba ſupradicta ſignificatur. Alio loco paulo poſt inquit, Perſolata, quam nemo ignorat, Græci vero Arcion vocant, folia habet maiora etiam Cucurbitis, & hirſutiora, nigrioraque, & craſſiora; radicem albam, & grandem: hęc ex vino bibitur denariorum duum pondere. Quę verba plurima deſumpta ſunt ex Dioſcoridis Arcio; hinc controuerſię inter recentiores, Quidam enim duo eſſe Arcij genera Perſonatam ſcilicet & Perſolatam: Quidam alteram Petaſitem eſſe, alteram Arcion: cum apud Plinium nomen Petaſites non reperiatur: atque horum alij primam mentionem ſcilicet Perſonatam, Lappas ferentem Petaſitem Dioſcoridis indicare, legentes apud Plinium non Arcion appellari, ſed Echion; quia morſibus Viperę conueniat: Perſolatam vero Arcion Gręcorum eſſe, ſignificarique eo nomine eam, quam nos pro Petaſite oſtendimus, appellatam, à quibuſdam Vngulam Caballinam, vt inquiunt. Alij è conuerſo. Galenus non Arcion vocat, ſed Arction, vt duo ſint Arctij genera: primum Verbaſco ſimile folio, vt Dioſcorides tradit: Alterum Cucurbitæ, quę Perſonata dicitur: quod rationi conſentit; vtræque enim plantæ in eo conueniunt, quod capitula gerunt in caule ramoſo, & hirſuto: folia ſubrotunda: ſed differunt magnitudine, & proprietate capitulorum, quam diximus, aliiſque paucis differentiis: ab vtriſque autem longe diuerſa eſt Petaſites, vt patet ex deſcriptione.

CAP. LI.

SENECIO paſſim in ruderibus præcipue circa macerias, in parietibus, & tectis naſcitur, herbula ſemicubitalis altitudinis, aut paulo maior, ramoſa, ac ſubhirſuta: foliis paruis, latitudine parui digiti, in ambitu diuiſis, Erucæ modo, aut Quercus: in cacuminibus floſculi lanuginei continentur, lutei, qui breui in pappos dehiſcunt: eius foliola recipiuntur in Acetaria: floret particulatim fere toto anno. Quędam in montibus naſcitur altior, & in omnibus maior; flore aureo.

Dioscorides Erigeron vocat; cauliculo cubitali, subrubro: foliolis crebris, per extremitates incisis, Erucę modo, sed multo minoribus: flores fert luteos, qui breui dissoluuntur, & abeunt in pappos; vnde nomen assumpsit; quia vere flores capillorum more canescunt: radix inutilis: nascitur in maceriis, & circa oppida. Theophrastus recenset inter olera diutius florentem: inter hyberna erumpentem post Aphacam. Plinius inquit Erigeron à Græcis, quæ à nostris vocatur Senecio, herba est Trixaginis specie, & mollitie; cauliculis subrubicundis: nascitur & in tegulis, & in muris; nomen hoc Græci dederunt; quia vere canescit: caput eius numerosa diuiditur lanugine, qualis est spinę, inter diuisuras exeunte: Quare eam Callimachus Acanthida appellat, alij Pappum: nec deinde Græcis de ea constat: alij Erucę foliis esse dixerunt, alij Roboris, sed minoribus multo: radice alij superuacua; alij neruis vtili; alij potu strangulante; è diuerso quidam Regio morbo cum vino dederunt, & contra omnia vesicæ vitia, item cordis & iecinoris; renibus extrahere harenam dixere, & quæ sequuntur. Dioscorides vim refrigerandi foliis, & floribus tribuit; ad testium & sedis inflammationes pollere; & ad omnia vulnera etiam neruorum: lanugo eius per se tantumdem prestat ex aceto inducta, sed recens temperata in potum strangulat: totus caulis decoctus in aqua bibitur cum passo ad stomachi dolores à flaua bile ortos. recentiores Medici Carduncellum vocant, recipientes in vnguento Martiano. Sed cum alio nomine Carduum benedictum appellari tradant, occasionem dubitandi præbuerunt: Alia enim hodie eo nomine intelligitur, quam scilicet Carduum Sanctum vocamus, vt suo loco patet. Forte Senecio appellata fuit à recentioribus Carduncellus; quia ea herba maxime oblectentur Cardueles auiculæ; vnde & herba Carderina vocatur: nam ad id alludit & appellatio antiqua apud Plinium: Acanthis enim appellata est, quo nomine Auiculæ quædam vocatur in spinis viuens. recipitur & apud Ioannem de Vigo in confectione olei Hypericonis Carduus Benedictus ad vulnera neruorum, ad quæ pollet Senecio, non Carduus Sanctus.

CAP. LII.

CYANVS, qui vulgò Fioralisus in Hetruria, sponte nascitur inter segetes, flos est eleganti colore cæruleo splendens; ideo recipitur inter coronarios, quamuis sine odore: cauliculum fert rectum, cubitalem, subcandidum, ramosum; in quo pauca folia oblonga, candicantia, & hirsuta, Leucoio similia, sed anduſtiora, & graciliora, aliquando angulosa, vt Cicorij: cacuminibus capitulum insidet parum furfuraceū, in rotunditate fastigiatum; vnde flos erūpit foliatus, foliolis

liolis cōcauis in extremo dissectis: reperitur & violaceus, aliquando candidus: semina intra lanugines continentur: tota æstate floret: extat & quidam flore grandi: pulchriores coluntur in hortis. Plinius Cyani floris meminit inter coronarios: floret post Rosam, & præcedit Amaranthum. Putat Hermolaus hoc Leucoion cæruleum esse apud Dioscoridem. Ex hoc genere videtur esse Struthium apud Theophrastum, quam Theodorus herbam Lanariam vocat: recenset enim inter Acanacea, sed excipitur à reliquis, vt Sonchus, & Cnicus satiuus, quod conceptum nequaquam spinosum ferat: floret æstate: flos inter coronarios, aspectu pulcher, sed caret odore: sed alia est apud eumdem Struthos, quę forte Struthium est Dioscoridis, vt alibi à nobis innuitur.

CAP. LIII.

CERRETTA, seu Serretta ab infectoribus lanarum appellatur, herba lanaria dici possit in syluis nascens: foliis latioribus Cyano, & propè pediculum magis incisis serræ modo ad Scabiosę similitudinem: flores fert purpurascentes: Altera maior: longiore folio, ac latiore: caulibus pluribus, crassioribus; flore grandiusculo, colore purpurascente.

CAP. LIIII.

QVAEDAM in incultis nascitur, & potissimum iuxta vepres, Cyano similis: foliis angustioribus, mollioribus, & frequētibus, nulla ex parte sectis: capitula fert tenuiora, magis fastigiata; vnde vix flos erūpit subrubens: fasciculos num cōponūt, & pro scopis vtuntur ad verrendum: exiguus quidam odor inest cacuminibus, sed præ siccitate vellicans; vnde sternutamenta mouet. Dioscorides Ptarmicam vocat, quam cum Struthio coniunxit ob affinitatem. eius descriptio in hunc modum habet. Fruticulus est; paruis frequentibus ramis, rotundis, Abrotono similibus, qui folio numeroso oblongo, & olaceo vestiuntur: in cacumine Antemidis modo capitulum inest rotundum, & paruum, olfactu acre, sternutamenta mouens: oritur in montosis, & saxosis locis.

CAP. LV.

PAPAVER spumeum in incultis nascitur, præcipuè marittimis: caule dodrantali, stolonibus pluribus, humi procumbentibus, candidis: folia fert, longe magis diuisa, quam Cyanus, similitu-

dine Papaueris Rheas, sed multo minora, candida,& hirsuta: capitula rotunda, squamis veluti paruis bullis extuberantibus, instar spumæ candida: florem purpurascentem: Aliud in saxosis: caule erecto, altiore, fermo cubitali: ramis ad latera sparsis: foliis tenuissime scissis, nec adeo candidis. appellauimus hanc Papauer Spumeum; quoniam aliqua ex parte Dioscoridis descriptio accommodari huic possit, præcipue si congener statuatur cum Struthio: sed quoniam alias plantas apud Dioscoridem, & pro Struthio & pro Papauere Spumeo ostendimus; ideo earum explicationem ex aliis locis colligere oportet.

CAP. LVI.

CENTAVREA maior in monte Gargano Apulię nascitur: eius radix in officinis pro Rhapontico venditur, exterius nigra, interius subrubens, crassa, & longa: folia ab radice fert erecta, similia Cerrettæ, sed multo maiora, sectionibus vtrinque digito latioribus instar folij Nucis: caules fert rectos, ab eadem radice plures paucis ramis, bicubitales, amplioresque, in quibus pauca folia: cacuminibus capitula Cyani grandiora, flore purpurascente: semen Cnico simile inter lanugines. Dioscorides Centaurium maius vocat, folia inquit ei sunt Nucis Iuglandis oblonga, & virentia, colore Brassicæ, in circuitu serrata: caulibus Rumicis, binum ternumque cubitorum ab radice multiplici sobole, fruticantibus; super hos capita, ceu Papaueris in longitudinem quamdam rotunda: flos in cæruleum inclinatus; & in eo semen Cnici, inclusum veluti in lanigeris floribus: radix vasta, solidaque, ac ponderosa, bicubitalis, succo madida, acris, cum quadam astrictione, nec citra dulcedinem rubescens: amat solum pingue, & apricum, syluas, & colles. cognominata est & Panacea; quia medetur omnium morbis: exhibente radicis dracmæ duæ cum vino, aut cum aqua, vbi febris fuerit: ad sanguinis sputum; ad tusses veteres; asthma; conuulsionem; ad tormina: vuluæ dolores; subdita menses extrahit, & partus: vulnera glutinat imposita: si carnes cum ea tusa coquantur, coalescunt: succo eius pro Lycio vtuntur. Plinius eadem fere habet ad verbum: de Centaurio minori alibi dictum est.

CAP. LVII.

QVAE Scabiosa vulgò appellatur, quamuis prędictis similis sit, tamen à genere Acanaceo in totum recedit: neque enim inter lanugines eius semen continetur, neq; clauditur in vasculo: neque cor infra habet, sed exterius, qua flos exoritur. eius plures

diffe-

differentiæ. Nam alię folio ſciſſo conſtant; aliæ integro. quæ ſciſſa ferunt folia in aruis potiſſimum ęſtate inter ſtipulas naſcuntur ex meſſe relictas; caule cubitali, aut ampliore: ramis ad latera ſparſis: paucis foliis, ſubhirſutis, vtrinque diuiſis, modò craſſius ad ſimilitudinem Cerrettæ, modò tenuius vt Papaueris Spumei: cacuminibus ramulorum capitulum inſidet, in latitudinem fuſum; floſculis ad cæruleum vergentibus: ſeminibus aceruatis, ſubhirſutis: radice ſingulari: tota planta admodum amara eſt, & ſubaſtringens: celebratur à recentioribus ad ſcabiem malignam, & lepram, tum potu ſucci eius, aut aquæ diſtillatæ, tum ablutione ex eius decocto, aut in vntione: necat lumbricos; diſcutit abſceſſus internos, præcipue toracis, & pulmonis; & interna vlcera ſiccat. dantur aquæ diſtillatę vnciæ tres ſingulis diebus ter vel quater ad toracis abſceſſus: tuſſim: peſtem: & venena: vlceribus quoque præhumidis opitulatur exterius illita. putatur hæc apud Aetium Pſora eſſe, cuius vſtæ fumo arborum erucę moriuntur.

CAP. LVIII.

QVODDAM ſcabioſę genus peregrinum apud nos breue: foliis non adeo ſciſſis: capitulis ſphericis, amplis: ſeminibus circundantibus, craſſis, quibus ſingulis ſtylus inſidet, ſtellam gerens, iucundo aſpectu.

CAP. LIX.

QVAE autem folio conſtant integro, plures adhuc differentias habent: nam quædam in ſyluis naſcitur, pręcipue locis humectis, folio Lapathi, aut potius Glaſti, virente, lęui: capitulis Scabioſę noſtratis; radicibus Ellebori modo fibroſis, media quadam craſſiori, & detruncata, quaſi corroſa; vnde morſus Diaboli vulgò appellatur, ab aliis Succiſa: hæc quoque valde amara eſt: folia recentia cathaplaſmate carbunculos, & prauas inflammationes concoquunt; ideo in peſte vtuntur: datur in potu radix, ad eadem, & ad omnia venena, cordis morſum, & vuluæ cruciatus: aqua diſtillata ex tota planta in potu diſſoluit grummos ſanguinis, & occultos abſceſſus prope cor. Alia quoque in ſyluis naſcitur Succiſę ſimilis: folio rotundiore, hirſuto, in ambitu magis ſerrato.

CAP. LX.

QVAEDAM peregrina apud nos fruticosa, specie arborea; ideo Scabiosa arborescens appellari potest: caule crasso, albicante; multis ramis, in latitudinem fusis: frequentibus: foliis mollissima lanugine candicantibus, latioribus, ac longioribus, quam Oleæ, nulla ex parte serratis: cacuminibus florem fert purpurascentem, latum: semina crassa, in membranosum calycem desinentia, quæ caput constituunt, veluti fauum, rotundum, & amplum: hæc perpetuo viret, amaraque est, vt reliqua Scabiosæ genera.

Finis Libri Tertiidecimi.

ANDREAE CAESALPINI ARETINI

DE SVFFRVTICIBVS ET HERBIS. LIBER QVARTVSDECIMVS.

CAP. PRIMVM.

QVAE florem ferunt pluribus ſeminibus communem nullo incluſis vaſculo, præter id, quod florem tegit, ex neceſſitate hunc habent inferius ſedentem, non in ſummo, vt quibus diſtributus eſt in ſingula: eorumdem ſemina animaduerſa ſunt cor in inferiore parte habere. Quędam autem ex his vrentem habent caliditatem, vt Chematis, Ranunculi genera, & Anemonę. Quædam frigida ſunt & valde aſtringentia, vt Pentaphyllon: Quibuſdam autem folliculus ſingulis ſeminibus datus eſt, vt Geraniis, Maluæ, Lino. Clematis, quę ſecundo loco ponitur à Dioſcoride, tribus plantis, quę apud nos ſunt, conuenire videtur inter ſuffrutices: quatum Vitalba vulgò appellata inter frutices numeranda eſſet, ſed ob generis affinitatem in hunc locum diſtulimus. Frutex arboreſcens eſt Vitis modo in ſe pibus, viticulas ferens longas, & lentas, albo cortice, & diſrupto: folia coniugatim fert per interualla multipartita, ramoſis pediculis clauiculorum vice ſe intorquentibus, Smilaci ſimilia, ſerrata, & ſubhirſuta: ſapore acri, & vrente: flores candidos in racemulis fert multis in medio ſtaminibus: ſemina capitulis circumpoſita, arida, ſine pericarpio, in prełongam plumam deſinentia, feruentis naturæ. Hanc Theophraſtus, vt puto, Athragenam vocat: Arbor inquit, ſimilis Viti, & Labruſcæ ſurgit, & modo earum ſcandere arbores ſolita eſt. Ex ea commodiſſimè ignaria capi exiſtimant, ſed conceptaculum ex hac: teretrum verò ex Lauro faciendum cenſent. Viticella autem appellata ſuffrutex eſt in incultis, & gracili ſolo, alioqui ſimilis Vitalbæ, ſed tenuior, ac breuior: foliis quoque tenuioribus, & in ſuis pediculis magis numeroſis, læuibus, nequaquam ſerratis, ſed acerrima facultate prædiris; vtuntur enim ad inuſtiones excitandas: flores hæc fert copioſiores, ſimiliter candidos; & ſemina prædictę ſimilia. Tertia Flammula ab effectu vocatur, vulgò quidam Flammulam Iouis: cóſtat viticulis rubentibus; & foliis omnino Vitalbæ ſimilibus:

bus: flores autem fert cæruleos, & ad purpuram inclinantes; latifolios. Radiculæ omnibus multæ sunt Asparagi similes. Apud Dioscoridem omnes hæ plantæ videntur sub vno nomine Clematidis secundo loco ab eodem descriptæ intelligi. Viticuloso inquit ramulo constat rubescente, lento, cui folium admodum acre, & exulcerans: repit per arbores, vt Smilax. Plinius quoque, quamuis alias Clematidas afferat ab his longè diuersas, de hac tamen, quæ à Dioscorides posita est, scribit: similem Smilaci, repentem per arbores, geniculatam & ipsam.

CAP. II.

RANVNCVLOS appellamus plantas, aut in aquis, aut prope aquas nascentes: radicibus albis, Ellebori modo, fibrosis; flore ex quinque foliolis constante, vt plurimum luteis, qui gustatus linguam exurit: capitulum ferunt vndique circundatum: semine depresso, viridi, &, cum siccatur, nigro: folia fere omnibus diuisa sunt paucis exceptis, Apij modo, at latiora, & in tres, vt plurimum partes varie scissa: inest & plerisque, antequam caulescant, macula quædam nigra. Quod frequentissimum circa piscinas nascitur, læui, ac molli folio constat, & caule, qui ferme cubitalis est: florem fert luteum: capitula tenuia, & oblonga, vel rotunda, exiguis seminibus: tenues fert radiculas, multas, & candidas: appellentur ij Ranunculi lęues. Duo alia genera lanuginosa sunt tum foliis, tum caulibus, quorum alterum radicem fert Verticilli modo rotundam, vnde aliæ descendunt, Ellebori modo, carnosę: folia magis diuisa, quam antedicta, aliquando coloris cinerei: quidam hoc genus priuatim Pedem Coruinum vocant: eius radices pro caustico medicamento vtuntur. Alterum adhuc lanuginosius est, & latiore folio constat, ac minus diuiso, quasi Maluæ; altiore caule, in quo pauca foliola: radices insunt fibrosæ. vtrique flores aurei, splendentes, & capitula rotunda insunt: oriuntur in incultis præcipue pratis. duæ etiam sunt hirsuto semine, & crasso; ipsę autem paruę, non excedentes dodrantalem altitudinem, læues, exiguo flore: oriuntur locis cultis, vt in aruis & hortis: harum altera folio constat subrotundo, parum scisso; cauliculis pluribus, palmi altitudine: altera vno caule constat, ramoso, dodrantali; foliis multifidis, Apij tenuioris modo. duæ in aquis proueniunt: cauliculis in superficie natantibus, geniculatis: ex singulis geniculis folia edunt, & cauliculum breuem super aquas, sustinentem florem album: & capitulum rotundum minuto semine: folia alteri parum scissa, & parua: alteri in capillaceam tenuitatem scissa, quasi fæniculi. vidi & quoddam vtrumque genus foliorum habere initio quidem integrum, procedẽte tempore capillaceum: frequentissima hęc sunt

in

in paludibus Pisanis, appellentur autem candidi Ranunculi; quia flore constant cãdido. Dioscorides Batrachion vocat; quidam inquit Apium syluestre vocant: eius plura sunt genera: vna autem omnium virtus acris, & valde exulcerans. eorum quoddam folia fert Coriandri, latiora, subalbida, & pinguia: florem luteum, aliquando purpureum: caulem non crassum, cubitalem: radicem paruam, candidam, amaram, fibras Ellebori modo habentem: nascitur in riguis (his Dioscorides indicat id, quod nos genus læue appellauimus; at qui in hoc genere florem purpureum ferat, non dum visum est) Alterum genus inquit lanuginosius est: longiori caule, pluribus foliorum diuisuris: hoc plurimum in Sardinia prouenit, acerrimum, quod & Apium syluestre vocant (videtur genus illud lanuginosũ significare, qui vulgò Pes Coruinus appellatur) Tertium inquit valde paruũ, graui odore: flore aureo (nos id genus semine crasso, & hirsuto descripsimus.) Quartum inquit simile huic flore lacteo (indicat id genus candidi, quod folia fert parum scissa, similia enim sunt tertio.) Plinius Ranũculi quatuor eadem genera tradit, quę Dioscorides fere ad verbum. Vnum inquit pinguioribus quam Coriandri foliis, & ad latitudinem Maluę accedentibus, colore liuido, caule albo, gracili, & radice alba: nascitur in limitibus humidis & opacis: sed hic Plinius colorem liuidum foliis tribuens, significat maculam nigricantem, quam tacuit Dioscorides. Alterum inquit foliosius, pluribus foliorum incisuris: Tertium minimum est odore graui, flore aureo: quartum simile huic flore lacteo. sed hic deprauati codices habent flore luteo. alibi eandem Polyanthemon vocat, quam quidam Batrachion appellant, caustica vi exulcerat cicatrices, & ad colorem reducit, eadem vitiligines concorporat. De eo, quod oritur in Sardinia, alibi Plinius inquit Apiastrum vocari ab Apio, in confessa dannatione venenatum in Sardinia, cum tamen Hyginus Apiastrum ab Ape vocet Mellissophyllon. Dioscorides libro sexto inter venena Sardoam herbam vocat Ranunculi genus, qua pota & commesta mens dimouetur, distenctiones neruorum & labiorum contractiones fiunt, vt præ rictu imaginem ridentium referat; vnde Sardonius risus in prouerbium cessit.

CAP. III.

PRAETER hęc genera alia permulta apud nos sunt: vnum in foueis aquosis nascitur, humi serpens, ex singulis geniculis radices fibrosas emittit, & longum pediculum attollit, ramosum, folia diuisa sustinentem, Apio palustri similia: ex singulis alis cauliculum attollit, longum, sustinentem aureum florem, sed infirmis viribus; non enim mordet, vt cæteri: Quidam hoc Chrysanthemum vocant Democrito

ascriptum; nam ab Aquilegis herbã hanc celebrari asserit; eò quod aquam subesse certum sit, vbi solet emicare, foliis Apij maioribus, flore splendente, auri colore.

CAP. IIII.

DVAE peregrinę apud nos: vna floribus multiplici foliorum textura constantibus; hæc quoque serpit foliis supradicto minoribus, Ranunculum duplicem appellemus. Altera flore grandi & simplici: foliis candidis, & lanuginosis, in partes angustas & oblongas diuisis. Duę præterea sunt: folio nulla ex parte scisso in sylue stribus paludibus: caule cubitali: floribus luteis: exiguis seminibus: alteri folia Plantaginis insunt angustiora: alteri Coronopi, longiora, ferme ad Tritici similitudinem: appellentur Ranunculi insecti.

CAP. V.

TRIA genera in montibus habentur: foliis Aconiti, sed floribus, & capitulis, & radicibus Ranunculi. Vnum folio cõstat rotũdo, & secto, vt Vulparia, lanuginoso: cauliculis simplicibus: flore luteo: seminibus cõgestis, Lentis modo. Alterum latiore folio cõstat, quasi Napelli, nec lanuginoso: floribus, & capitulis prædicti: Tertium folio minus scisso: caule ramoso: floribus candidis.

CAP. VI.

QVAEDAM in aruis nascitur inter segetes: caule dodrantali: foliis Anthemidis: floribus Ranũculi figura, paulo amplioribus, rubicundis, & splendentibus: capitula fert in longitudinem producta, ad similitudinem Anemonæ: seminibus angulosis, virentibus, duris: radix parua: tota planta odore graui constat. Quidam inter Anemonas pingunt: Alij Chamęmelum Eranthemon putant: ipse Ranũculis ascribendam censeo, forte quem Dioscorides purpureum vocauit.

CAP. VII.

QVAE vulgò in Hetruria Fauagello appellatur, à recentioribus autem Medicis Scrofularia minor, parua herba est, in aruis pingui solo nascens: foliis ab radice rotundis, & pulposis, vt fabæ, macula quadam nigra, vt Ranunculus: ex mediis foliis cauliculum fert breuem, ad terram inclinatum, in quo flos luteus similis Ranunculo,

an-

angustioribus, ac pluribus foliolis constans: pauca semina, angulosa, viridia: radiculæ congestæ, ad similitudinem granorum Tritici, quibusdam crassioribus, longioribusque, sapore dulci, & subsalso: floret ineunte vere, & non dum exacta hyeme: disperit aduentante æstate, viuens radicibus: folia hyeme veniunt in acetaria, sapore aquoso. Syluaticus Testiculum Sacerdotis vocat, laudatque radiculas cõmestas ad vitia hęmorrhoidarum: alij valere ad strumas in collo nascentes, quas scrofas vocant; vnde appellatio Scrofulariæ, radicum puluere cum melle delincto ieiunis: aquam distillatam & potu & fotu idem efficere. Plinius Strumeam à nostris herbariis vocari tradit; quoniam medetur strumis, & panis, per se in fumo suspensa; creduntque ea rursus sata rebellare, quę cutauerint vitia: quamquam hęc de Ranunculo videatur dicere. Dioscorides Chelidonium minus vocat herbam, figura quidem non differentem à supradicta, sed viribus longe efficaciorem; inquit enim herbula est pediculis ab radice pendens, sine caule: foliis Hederæ, rotundioribus, & minoribus, teneris, & subpinguibus: radices habet ex eodem callo, complures, pusillas, veluti grana Tritici congestas, quarum tres aut quatuor in longitudinem exeunt: in humidis & palustribus nascitur. vis et acris, summam cutem exulcerans, vt Anemonæ: pforas & scabros vngues eximit; succus radicibus expressus naribus inditur ad caput purgandum: idem præstat decoctum cũ melle gargarizatum; & vitia pectoris omnia discutit: At Scrofularia minor supradicta, & caulescit, & vim illam acrem non habet. Plinius Chelidoniam minorem tamquam Dioscoridi acceptam refert: foliis Hederæ, rotundioribus, minus candidis: at quæ subiungit de succo croceo, & semine Papaueris conueniunt maiori Chelidonio, non minori apud Dioscoridem. De Chelidonio maiori alibi dictum est, & de Scrofularia maiore, & simplici Scrofularia.

CAP. VIII.

TRINITAS à quibusdam vocatur, ab aliis herba Tora, in montibus nascens, & opacis: foliis ab radice multis, Hederæ similibus, sed tripartito aliqua ex parte diuisis, subrotundis: ex mediis foliis cauliculi nudi emicant in vere, plerumque ante foliorum exortum, tenues, vt Cyclamini, florem sustinentes cæruleum, aut subrubentem, aliquando candicantem, maculosumque, Ranunculo minorem: semina pauca, oblonga, in acutum desinentia: radices multæ sunt nigræ, Ellebori modo fibrosæ: perpetuo folio constat, sed breui tempore floret. Syluaticus duas esse herbas tradit, viribus contrarias; vnam quidem venenosam, quæ Tora vocatur; alteram vero resistentem veneno alterius, quæ appellatur Antora: vtrasque in eisdem locis nasci simul: fo-

liis quasi Violarum, rotundioribus, & modice incisis: floribus Cyclamini: qui Torę sunt valde violacei; Antoræ autem subrubei. Hermolaus Barbarus Triada, seu Trinitatem à quibusdam vocari scribit, & Tauram: folio triplici, aut vno potius rotundo, in terna disposito: radice Polypodis, hirsuta, capillamentis multiplici, vermis nigri effigie: flore cæruleo cum maculis quibusdam candidis, venenosam esse herbam, cui per antipathiam alia occurrit herba Antitaura, & Antitora cognomine; folio rotundo. Alij hodie Toram, & Antoram ostendunt inter Aconita. Alię porro sunt herbæ Trinitatis nomine apud recentiores, vt quæ inter Trifolia Lagopus à Dioscoride vocatur, vtilis ad dissenteriam, & quædam inter Violas triplici colore floris, à quibusdam Iacea appellata, laudata ad pectoris vitia, & vlcera: vnde occasio errandi venenosam hanc plantam pro iis assumentibus. Quamquam neque hæc ex toto venenosa; nam Antitora venenis resistit: & hodie in Alpibus vtuntur rustici ad hepatis obstructiones tollendas, & Ieteritiam puluerem foliorum assumentes, vnde Figatellam vocant.

CAP. IX.

ANEMONE in tractu marittimo nascitur, collibus asperis, & apricis, copiosa in Monte Sancti Iuliani prope Pisas: folia ab radice fert tria, aut quatuor, rotunda, incisaque, modò magis, modò minus, Geranio latiora, durioraque: ineunte vere cauliculos fert particulatim dodrantales, aliquando altiores, hirsutos, sine foliis, ternis tantum appendicibus, veluti foliolis circa medium: in cacumine flos oblongis foliolis constat, qui cũ panditur, stellam repręsentat, coloris nunc punicei, nunc purpurei elegantis: non panditur autem nisi à sole illustratus: nam eo recedente, aut nubilo clauditur, vt nisi insufflatur non dehiscat: vnde nomen traxisse videtur à vento: capitulum fert in longitudinem productum, in quo aceruantur semina angulosa, lanugine inuoluta: radix subest rotunda, O juæ amplitudine, gustu acerrimo, exurente: similis est & natura foliorum, & floris. Alterum genus peregrinum apud nos: foliis tenuius scissis, appendice, quę in caule est scissa: latiore flore, vt pote qui ex latis foliis constat, similitudine Papaueris Rheas, ad puniceum colorem vergens: capitula fert longiora, & semina similiter lanuginosa: radix magnitudine grandioris Oliuę, sed multis paruis agnascentibus veluti sobole: simili natura constat acri. Dioscorides duo genera Anemones esse scribit, syluestrem & domesticam: domesticæ iterum quandam tradit flore puniceo, aliam subalbido, aut lacteo, aut purpureo: folia Coriandri, tenuius scissa, humi incumbentia: cauliculos lanuginosos, tenues, quibus insident flores, vt Papaueris,

mediis

mediis capitulis nigris, aut cæruleis: radicem Oleę magnitudine, aut maiorem, veluti geniculis distinctam. Hęc descriptio aptissime conuenit nostrati Anemonæ: sed quæ florem album, aut lacteum ferat, in hoc genere repertum adhuc non est. Sed cur domestica appelletur non video; in incultis enim & asperis oritur apud nos: nisi ob floris pulchritudinem alicubi colatur. De syluestri autem inquit: in omnibus maior est domestica, & foliis latior, ac durior, capitulum oblongius habet, florem puniceum: radiculas tenues, ac plures: quædam etiam est, cui folio nigra, acrior: & paulo post de syluestri inquit: ob similitudinem quosdam in errore versari, non distinguentes hanc Anemonem ab Argemone & Papauere Erratico: quia flores simili colore constant scilicet puniceo; sed differunt; quia color puniceus in Anemone saturatior est; floret quoque citius: non succum fundit, vt illę, non calycem fert, sed veluti Asparagi cacumen: nascitur in aruis parte plurima. Hæc satis conueniunt alteri Anemonę, quam descripsi; flores enim omnino Papauer Erraticum æmulantur, sed color magis profundus. Quamquam hoc apud nos non nisi satum in hortis reperiatur. Apud Theophrastum Theodorus Fremium vertit: floret inquit vere inter ea, quæ natura herbacea, & annua sunt: hyberna erumpit post Aphacam, ab radice tantum foliata; floret non longe post germinationem. Plinius Anemonas quasdam coronarias tradit, vt florem syluestris Bulbi, & Argemonen: quasdam medicas: sunt, qui Phenion vocant: duo eius genera: syluestris prima, altera in cultis nascens: vtraque sabulosis: huiusque plures species; aut enim phęniceum florem habet, quæ & copiosissima est: aut purpureum; aut lacteum. Harum trium folia Apio similia, nec temere semipedalem altitudinem excedunt cacumine Asparagi: flos numquã se aperit nisi vento spirante; vnde & nomen accepit: syluestri amplitudo maior: latioribusque foliis: flore phęniceo. Hanc errore ducti Argemonem putãt multi; alij rursus Papauer, quod Rhęam appellauimus. sed distinctio magna, quod vtraque hæc postea florent: nec aut succum illarũ Anemonę reddunt, aut calyces habent, nec nisi Asparagi cacumen.

CAP. X.

ANEMONE montana in Apennino frequens in syluis, antequam ab radice folia erumpant, inclinante vere vnicum fert cauliculum, palmi altitudine, in cuius medio folium est vnicum, ramosum, diuisura Cicutæ, subhirsutum: flos in cacumine expansus in stelię modum, vt prima Anemone; colore candido, aut superne lacteo, interne cæruleo: reperitur & Ranunculo similior, colore luteo: capitulum rotundum: seminibus Ranunculi: Radix in obliquum tendens,

digiti

digiti longitudine; vnde inarescente caule, aliud erumpit folium, supradicto latius, sed sine fructu. Huius quoque acris natura est. An Dioscorides per candidam Anemonem & lacteam has intellexerit, ambiguum est, cum totius plantę vnicam descriptionem tradiderit, non plures. profectò Apij folium, quòd Plinius tribuit, his magis conuenit, quam superioribus.

CAP. XI.

PVLSATILLA à recentioribus vocatur in eisdem locis nascens, lanuginosior; latiore folio, ac tenuius scisso, quasi Cicutæ: flore latiore, purpureo; seminibus in caudam lanuginosam desinentibus in capitulo rotundo, vt candida Anemone: radice pedali, exesa, subdulci: cæteris acribus. laudant recentiores aduersus venena tum pota, tum per ictum illata, & ad pestilentiam.

CAP. XII.

GARIOFILATA vulgò appellatur in syluis nascens herba, foliis diuisis, vt Agrimonia, breuioribus, & in extremo latioribus: caules fert ramosos, ferme cubitales, duros: cacuminibus flores luteos, & capitula Ranunculi; seminibus oblongis, in tenuem hamulum desinentibus, quo vestibus hærent. Radices Ellebori nigri modo fibrosas, quibus odor Gariophylli, sapor astringens, & subacris. Alterum genus in montibus nascitur: breuiori caule, ac minus ramoso: rotundiore folio, frequentioribus appendicibus: flore grandi, purpureo, aliquando luteo. Albertus Magnus Gariofilatam à quibusdam Sanamundam appellari tradit, & Pedem Leporis; vnde quidam posteriores Lagopum Dioscoridis putarunt: calidam & siccam in secundo gradu statuit; fistulas sanare succo eius instillato, & per os sumpto: menstrua prouocare, si fomentũ adhibeatur ex ea decocta in aqua: vinum, quo decocta sit, assumi ad colicam, & ad robur ventriculo præstandum aduersus cruditates: vsus eius vehementer extenuat obesa: tollit fluxum capitis: in vsu magis sunt folia, quam radices: radices per se aceto irrigatæ vestibus inseruntur odoris gratia: aqua distillatur ex tota planta cum radicibus ad eosdem morbos: priuatim ad vulnera sananda tum potu singulis diebus mane & vesperi pōdere vnciarum quatuor, tum exterius si vulnera abluantur: tollit quoque nęuos & maculas ex natiuitate ortas, si sępius in infantia lauentur ex ea. Apud Plinium inter Argemonias videtur numerari: nostri enim inquit tria genera eius faciunt, & id demum probant, cuius radix Thus redoleat: aliam Lappam

pam lanariam appellant, vt explicauimus in Agrimonia: vtraque fructu vestibus hęret, & simili folio, ac flore constat. non abhorret & Gei appellatio apud eumdem Plinium, inquit enim: Geum radiculas tenues habet, nigras, beneolentes: medetur non modo pectoris doloribus, aut lateris, sed & cruditates discutit iucundo sapore.

CAP. XIII.

FILIPENDVLA vulgò dicitur herba in syluis, folia ferens prælonga, instar Millefolij, aut Tanaceti, frequentibus foliolis, coniugatim in longo pediculo dispositis, intermediis paruis appendicibus, vt in Agrimonia: caules rectos, dodrantales, aliquando cubitales fert, ramulis in cacumine rectis, quibus copiosi flores insident ex tenuibus foliolis constantes, candidi: capitula parua; seminibus Lenticulę modo compressis, vnico ordine in orbem dispositis: radiculas multas ac tenues in oliuarem nucleum desinentes, quasi globolis filo appensis, vnde appellatio: sapore amaro constat. incertum tamen est vtrum hanc, an aliam inter Apij genera à nobis descriptam recentiores intelligant, nomine Filipendulæ, cui vires, ad calculum frangendum, & vrinam impellendam tribuunt: describit enim Syluaticus foliis Petroselini, sed eleuatis, & non in terram expansis, in cuius radice sunt quasi nodi adhærentes: afferri ex vltramarinis: nasci & in Apulia locis montosis & calidis: colligi radicem in fine autumni: asseruari validam decem annis: profectò Manlius innuit eam, quam Petroselinum syluestre appellauimus: inquit enim apud nos etiam nascitur in pratis, cuius folia sunt similia Petroselino, sed plana, & non expansa: fert capitulum Aneti, flore albo: radicem Pęonię similem, sed minorem. Quicquid sit, huic quoque Filipendulæ easdem vires inesse & efficaciores ob amaritudinem putandum est: puluis radicis cum vino haustus dolores stomachi sanat, & iliacam ex frigida causa ex flatu; lapidem frangit, & vrinam impellit: idem pręstat extrinsecus fouendo, inclusus sacculo, & in vino & oleo feruefactus: in cibis confert epilepsię & asmathi. Aqua totius plantæ distillata medetur pesti, & venenis, & calculo renum & vesicæ.

CAP. XIIII.

OENANTHE in montibus nascitur, similis Filipendulæ: foliis latioribus, & crassius diuisis, instar Agrimoniæ, nigrioribus: radice crassa, inæquali, tuberosa, instar Scrofularię maioris, non in profundum, sed in latus tendente, à qua multæ radiculæ egrediuntur fibrosæ: caules fert, flores, & semina Filipendulæ. Dioscorides inquit

folia

folia habet Pastinacę: florem candidum: caulem crassum, palmi altitudine: semen Attiplicis: radicem magnam, in multa rotunda capitula extuberantem: nascitur in petris: huius semen, caulis, & folia cum mulso vino pota secundas eiiciunt: radix è vino vrinæ stillicidio conuenit. Theophrastus inter flores coronarios numerat Oenanthem, quam Theodorus aliquando Oenantham, aliquando Vitifloram vertit: semine inquit seritur: floret inter vernos post Bulbi florem: per annum durare potest, si cultus adhibeatur; nam addicta floribus est, & natura constat herbacea: si florem atteras, aufera sque, nec sinas sementescere, nec solum desit apricum, durare plurimum potest: flos constat specie racemi, candidusque est, Labruscę modo. Vbi autem libro sexto de causis Plantarum inter odores de Oenanthe inquit: siccatam plenius olere: intelligitur de flore Labruscę, quem Dioscorides libro quinto Oenanthem vocat, & Galenus laudat ad ventriculi robur prestandum. Plinius de Oenanthe herba eadem scribit, quæ Dioscorides: quamuis autem foliorum comparatio, & radicis descriptio huic plantæ magis conueniant, quam Filipendulæ, non tamen omnino abhorrent à Filipendula, vt merito ea Oenanthe minor dici possit, hæc vero maior.

CAP. XV.

PLANTAGO Aquatica vulgò appellatur in palustribus frequens: foliis, ab radice prelongis, erectis, tensis, ex latitudine in mucronem desinentibus, & neruis discurrētibus, vt in Plantagine vulgari: caulem inter folia attollit, nudum, cubito altiorem, erectum, à cuius medio ad cacumem vsque exeunt rami, per interualla terni, in alios ramulos diuisi, nullis foliis: in summis flosculos fert tenues, ex tribus foliolis constantes, candidos, parum subrubentes: semina in tenuibus capitulis similia Filipendulę, tenuiora: radices Ellebori modo fibrosas, candidas: gustu glutinoso constat, vt Plantago vulgaris. non multum abhorret ab hac Plantago maior Dioscoridis, quamuis alia vulgò ostendatur pro Plantagine maiore, vt loco proprio ostendimus. profectò caulis cubitalis, & subrubens, Plantagini aquaticæ inest; at vulgari Plantagini non vnicus caulis, sed cauliculi plures insunt, in terram inclinati, quod de minore tradit Dioscorides: locus præterea natalis huic magis conuenit: vulgaris enim Plantago vbique in pratis, & secus vias, & in hortis nascitur: maior autem non nisi in palustribus, & lacunis, seu foueis. Ex Plinio quoque certius idem colligere licet: inquit enim de maiore Plantagine foliis laterum modo inclusa, quæ; quia septena sunt, quidam eam Heptapleuron vocauere; caulis cubitalis, & Napi similis: nascitur in humidis; Atque similitudo Napi seu Sinapis cum caule vulgaris Plantaginis?

Quædam

Quædam in paruis lacunis Pisanis reperitur, palmum alta: foliolis secundum proportionem minoribus: seminibus maioribus, paucioribus.

CAP. XVI.

BARBA syluana à recentioribus Medicis vocatur inter Plantagines aquaticas: hæc non nisi in aquis nascitur, folia attollens super aquas, similia Plantagini aquaticæ, sed binæ appendices adiunctę sunt, deorsum spectantes, ac prelongę, instar barbę bifurcatę, vt totum folium in tres acutos angulos desinat, veluti sagitta, vnde quidam Sagittam vocant: folij pediculus longus est, crassus, & triangulus ab radice: caulis crassus, ac nudus, non altus, ternis per interualla ramulis, breuibus, ac simplicibus, in quibus flores Plantaginis aquaticę latiores: capitula crassa veluti fructus Arbuti, similiter aspera, viridia: seminibus exiguis, vndique circundantibus, vt in Ranunculo. In libello qui inscribitur de Dinamidiis inter spurios Galeni, scribitur de Barba syluana: eius radices in vino coctas ad conceptionem facere, si earum libra vna coquatur in vini optimi phialis nouem, donec dimidium absumatur, eique percolato addantur mellis phialæ duę, & pulueris Cimini vncia vna, ac simul parum ferueant: huius autem decocti bibat mulier in tempore menstrui per quinque dies, mane ieiuna singulas phialas: vesperi autem in decoctione eiusdem herbæ sedeat, diuque calefiat: dein cum viro coheat, statim enim concipiet: eamdem epilepticis auxilio esse similiter in vino decoctam & potam: Centineruiam quoq; appellari.

CAP. XVII.

BVTOMVS in aquis palustribus nascitur: foliis ab radice in multam longitudinem porrectis, vt Cyperi: dorso acuto: caule bicubitali, nudo, ac simplici, cui rotunditas, ac lęuor inoffensissimus inest: in cacumine vmbella, ac flores subrubentes, quales Mali Persici: semina inutilia, folliculis similia: radix partem quamdam teneram habet, & candidam, gustui non ingratam, figura pedis, à qua radiculæ fibrosę descendunt. Theophrastus inquit Butomus in omnibus fluminibus, ac stagnis nascitur: foliis angulosis, & canaliculatis, vt Harundinis: caulis peculiarem quamdam æqualitatem sortitus est: fructus niger, magnitudine fidę proximus: fęmina sterilis est ad nexus vtilis: mas inutilis, vtroque loco prouenit terra & aqua: pars tenera ab radicibus proxima est, quam pueri potissime mandunt.

CAP. XVIII.

FRAGARIA vulgò appellatur herba, in ſyluis naſcens, locis vmbroſis: folia fert terna in ſingulis pediculis, Rubo minora, venoſa, hirſuta, & in ambitu ſerrata: cauliculum fert vere, palmi altitudine, ramoſum, & hirſutum: floſculos Ranũculo minores, cãdidos: fructum Rubo ſimilem, ex minutioribus acinis conſtantem, rubentẽ in maturitate, atque odoratum, ſapore vinoſo, guſtui gratiſſimo, Fragà vulgò appellantur. differentię paucæ in figura & magnitudine: nam quędam rotunda ſunt, vt Arbuti fructus, quædam oblonga. Quoddam genus in Alpibus Bargeis viſum eſt bis in anno fructificans, vere ſcilicet & autumno, eius fructus modice compreſſus & ſtriatus eſt, ſapore Rubi Idęi: æſtate poſtquam fructum perfecerint, alios cauliculos ferunt, tenues, ac ſimplices, quorum cacumina ad terram inclinata radicant & folia producunt: quo modo veluti ſobole propagantur. expetuntur in cibis Fraga, quorum gratia & coluntur in hortis, refrigerant & humectãt, Picrocholis conueniunt & ſiticuloſis, ſed copioſiore cibo caput tentant & inebriant: eorum ſuccus incipientibus inflammationibus commodus, præcipue gutturis: vetuſtate vires acquirit, efficaces ad oculorum ſuffuſiones, & ad faciei vlcera: aqua ex fructibus maturis diſtillata bibitur ad ſanguinem contemperandum iis, qui ſcabie laborant & lepra: Ie cinori calfacto medetur: ad morbum Regium: renum calculos; menſtrua quoque prouocat: herba aſtringenti ſapore conſtat, & ſubamaro ad calculum vtiliſſima, & lienoſis, hepaticiſque. Plinius Fraga tantum meminit inter cibos in Italia: Meminerunt & Poetę Latini. Non autem idem eſt, quod apud Serapionem Fragre vocatur, fructus Ciceri ſimilis, extra rubens, interius niger, qui odore halitum oris commendat, temperamento calido. Apud Theophraſtum Chamębatos, ideſt HumiRubus vocatur. inquit enim Rubi genera maximo inter ſe diſcrimine diſtant; quod quædam erecta, excelſaque; quædam prope à terra protinuſque deorſum vergens, cumque ſe terrę coniunxerit, radicãs rurſus, quem HumiRubum quidam appellant. reliqua Rubi genera diximus inter frutices. Dioſcorides inter genera Pentaphylli intelligit, vt mox patebit.

CAP. XIX.

QVINQVEFOLIVM paſſim reperitur iuxta vias, & prope macerias: foliis in longo pediculo quinis, minoribus Fragaria: cauliculos fert humi repentes, geniculatos: ex ſingulis geniculis folium, & ramulum ſimplicem attollit: in cuius cacumine flos aurei

coloris,

coloris, Ranunculo maior continetur: capitulum exiguum, minutis seminibus absque pericarpio, protegitur acetabulo florem tegente: post quam semen perfecerit, radicat in singulis geniculis, vt Fragaria, non particulatim vt illa, sed simul in omnibus: radice singulari nititur, tenui, & subrubente, quæ gustu astringit. Dioscorides Pentaphyllon vocat: ramulos habet inquit festucarum similitudine tenues, dodrantales, in quibus semen: folia Menthæ similia quina singulis pediculis, raro plura, in ambitu serrata: florem pallidum, album, aureum: nascitur in riguis, & iuxta aquæductus: radice subrubra, oblonga, paulo crassiore quam Veratri nigri, quæ plurimis pollet remediis. ex his verbis videtur Dioscorides non vnicum genus Pentaphylli indicare, sed plura, florum colore differentia: Forte & numero foliorum, cum dicat, raro plura, quasi & pauciora reperiantur: hoc modo dicemus Fragariam inter Pentaphylla flore albo intelligi, & quæ septenis constant foliis; flore pallido, de quibus mox dicemus: nam, quæ descripta est, quinis foliis flore aureo constat. Hanc sententiam comprobat Plinius, cum inquit: Quinquefolium nulli ignotum est, cum etiam Fraga gignendo commēdetur: nam illud verbum etiam, significat non omne Quinquefolium Fragam gignere. Theophrastus Pentaphyllon, & Pentapetes appellari tradit: eius radix, cum effoditur, rubra est, inarescens vero nigrescit atque quadratur: habet folium Vitis, sed pusillum, & colore simile: & augetur, & desinit simul cum Vite: folia omnia quinque; vnde & nomen: caulis humi serpit tenuis, & crebris internodiis; eadem Plinius scribit.

CAP. XX.

QVOD septena in singulis pediculis folia gerit in hoc genere, Hermolaus Barbarus Heptaphyllon appellat: plures eius differentiæ: differunt à Quinquefolio, & Fragaria, non solum foliorum numero, qui inconstans in his est in eadem planta, modo ternis, modo quinis, modo senis, & vt plurimum septenis existentibus: sed etiam ramulorum rectitudine: non enim serpunt, licet aliquando procumbant in terram, neque radicant in geniculis. Vnum ex his caule recto constat, cubitali, paucis in cacumine ramis: folia longiora fert quam Quinquefolium: in summis ramis flores fert luteos, & capitula, vt Pentaphyllon; radicem quoque similem: oritur in asperis. Alterum in montibus humile, palmi altitudine: floribus candidis.

CAP. XXI.

TORMENTILLA vulgò appellatur multis ramulis fruticans ab eadem radice, tenuibus, dodrantali longitudine, ad latera fusis: folia fert sine pediculo, hęrentia cauliculis, minuta, & magis incisa, quam alterum Heptaphyllon: flosculos fert paruos, pallidos: radicem pollicis crassitudine, breuem, intortam, tuberosam, rubram, valde astringentem: oritur in montibus: quidam Bistortam appellant; quia radix bis intorquetur vt ea, quæ priuatim Bistorta dicitur. Altera illi similis tantum distat foliorum candore in aduersa parte. Recentiores Tormentillæ radicem prędicant efficacissimam ad pestem, & venena; repugnat enim putredini malignæ, temperamento frigido & sicco, & robur addit astrictione: expellit quoque per sudorem, ob tenuem quādam substantiam admixtam. exhibent pulueris eius drachmam vnam, cum aqua acetosę, aut cum vino, si febris non vrgeat. paratur & aqua distillata ex tota planta cum radice collecta post diem decimam quintam Augusti, & ante diem octauam Septembris: sed ob succi paucitatem macerandа prius per noctem in vino concisa, & contusa, deinde lęui igne distillanda: propinatur & decocta in vino. sunt qui puluerem radicis cum Theriaca æqua portione misceant, diluantque cum aquæ eiusdem vnciis tribus addita aceti sexquiuncia: hūc potum calidum exhibent correptis à peste statim post venæ sectionem, vt sudore aborto liberentur: repetunt potionem postera die. Eadem radix pollet ad dissenteriam, & ad omnem fluxum, & sanguinem profluentem ex vulneribus, aut naribus: iuuat & in disuria: custodit conceptum, si mulier decoctam in vino bibat, & inferiori vētri illinatur. mędetur & omnibus febribus diuturnis robur ad dēdo omnibus visceribus; tādem facultates, quas Dioscorides Pēraphyllo tribuit, recentiores de Tormentilla prædicant, ac multo efficaciores.

CAP. XXII.

SANICVLA vulgò appellatur herba in Alpibus, frequens in syluis: foliis quinquepartito diuisis, latioribus quam Quinquefolij. & in extremo laciniatis, vt in Vite, lęuibus, ac splendentibus: caulem fert rectum, cubitalem, paruis in cacumine ramulis, veluti vmbellam constituentibus: flosculos candicantes, aut rubentes: capitula hirsuta, exigua: radices fibrosas: sapor toti herbæ astringens, & subamarus. recentiores temperamentum eius statuunt calidum & siccum in secundo ordine: laudant ad vulnera in potu inter præcipuas herbas vulnerarias, vt Symphitum: nam conglutinat & sanguinem concretum dissoluit: ab in-

inflammatione defendit: exhibetur herbæ puluis, aut decoctio, aut aqua distillata, aut succus: habet quoque vim leniter purgandi: abstergit enim ventriculum & intestina à viscosis humoribus, si cũ melle & Glycyrizę succo in vino exhibeatur eius puluis, aut sola decoctio in mulsa: tumores externos reprimit imposita tum in homine, tum in iumentis.

CAP. XXIII.

POTENTILLA à recentioribus vocatur herba, frequens in Germania circa semitas, & loca aquosa, potissimum iuxta flumina: foliis ab radice in terra stratis, figura Agrimoniæ, minus hirsutis, candidioribus; foliorum sectionibus tenuioribus maxime Quinquefolium referentibus: cauliculos nudos spargit, in terram repentes: qui more Fragarię radicant in summo, defixi in terram, ac folia gerunt: quo modo propagatur: alium cauliculum inter folia attollit simplicem, qui in summo florem sustinet Quinquefolij, & fructum similem grandiusculum: radix Quinquefolio similis, exterius ruffa, interius alba: tota planta astringit: glutinat vulnera: & vlcera exedentia compescit: oculorum fluxionibus, & puncturis prodest: sistit fluxus sanguinis, & alui profluuia: datur & ad distillationes, coxendicis, & articulorum.

CAP. XXIIII.

ALCHIMILLA vulgò appellatur, & Pes Leonis, herbula in pratis Alpium frequens; foliis rotundis, figura Maluæ, minoribus, hirsutis, & circumserratis, angulis exeuntibus, effigie Leonini pedis: cauliculos spargit tenues, dodrantales, ramosos, paucis foliis: in cacuminibus flosculos exiles, numerosos, herbaceos: radicem subrubram, digiti crassitudine, villosam, gustu acerbo. Alterum genus breuius: foliis minoribus in quinque foliola partitis, figura Oleæ, colore argenteo in inferna parte, superne viridi: Stellaria à quibusdam vocatur ab Stellæ figuram, quam folia referunt: in cæteris similis Alchimillę, & sapore simili, ac viribus. Laudant Alchimillam ad glutinanda vulnera, tum externa, tum interna, decocto eius poto, & ablutis vlceribus: idem præstat aqua eius stillatitia: nam calorem extinguit, & ab inflammatione defendit, & sanguinem sistit: sanat & puerorum ramices: sistit alba mulierum profluuia: facitque ad conceptionem, superfluas humiditates siccando: mammas duriores reddit: si ea foueantur: succus eius potus comitialibus subuenit. Dioscorides Leontopodium vocat, id est Pedem Leonis: inquit enim: herbula est duorum digitorum, foliola habens angusta, robusta, digitorum quatuor aut trium longitudine, hirsu-

ta, versus radicem lanosiora, & subcandida: in cacuminibus caulium capitula veluti attrita, in quibus flores lutei: fructus autem eius incomprehensibilis est ob lanuginem circumdantem: radix parua subest: tradunt hanc vtilem esse ad amatoria: discutit tubercula. hæc descriptio pulchre quadrat Stellariæ: sed longitudo quatuor digitorum, aut trium non videtur posse ascribi foliis, cum herbula tradatur duorum digitorũ longitudine; sed potius è conuerso legendum, vt transposita sint ea verba: in cęteris nihil est, quod repugnet: foliola scilicet angusta, interne lanuginosiora, & candida: capitula in tenuissimas partes attrita, vt semen vix conspici possit inter lanuginosam substantiam: de flore quidam legunt Melanon, id est nigrum, non Melinon, idest luteum. est autem eius flos ex luteo in herbaceum tendens. Plinius de Leontopodio inquit: eius radix aluum sistit, purgatque bilem ex aqua mulsa addito pondere denariorum duum: nascitur in campestri, & gracili solo: semen eius potum Lymphatica somnia facere dicitur.

CAP. XXV.

PEs Columbinus vulgò appellatus, & quę illi affinia sunt inter Gerania numerantur: hæc parum à Maluis recedunt; nam semina quidem in circuitu iuxta medium modiolum ferunt, vt Maluæ, sed nequaquam farcta, pauciora numero, ad summum sex, subrotunda: modiolus præterea medius in longitudinem porrectus est instar rostri aut acus: vnde à Gruino rostro nomen sumpserunt, Dehiscunt seminum alueoli ab inferiori parte abscedentes, & ad rostri verticem contracti, interim eiaculato semine: omnia sapore acerbo cõstant, præcipue radix. harum duæ passim in ruderibus nascuntur: tenuibus cauliculis, infirmis, dodrantalibus: foliis rotundis, longe minoribus Malua, frequentibus scissuris, modò breuioribus, modò profundioribus: flosculos ferunt subrubentes, paruos, capitula parua, breui rostro; radix tenuis, subrubra. Tertia ramos multos fert prope cubitales, humi iacentes, hirsutiores: folia candicantia, nequaquam scissa, Altheæ similia, minora: rostrum longiorem, tenuioremque. Dioscorides has omnes videtur intelligere sub nomine Geranij secũdo loco descripti his verbis. Geranium alterum caulibus minutis constat, pilosis, sexquipedalibus: foliis Maluæ, in summis alis capitula gruum sursum spectantia insunt cum suis rostris, aut veluti canini dentes: nullius in medicina vsus. Canini autem dentes vt breuiores, conueniunt prioribus descriptis; Gruum autem rostra tertiæ. de priori Geranio tamquam longe diuerso alibi à nobis agitur. Plinius ex Gręcorum sententia describit: foliis paulo candidioribus quam Maluæ: cauliculis tenuioribus, pilosis-

que,

que, ramosam, & interuallis binum palmorum, & in his foliis: inter quę in cacuminibus capitula sunt Gruum. hæc descriptio tertiæ superius à me descriptæ magis congruit.

CAP. XXVI.

DVAE aliæ Pedis Columbini nomine à recentioribus intelliguntur in syluis nascentes, rostris longis, & crassis: floribus amplioribus, quasi Leucoij, subrubentibus: folia alteri in tres angulos desinunt, Hederæ figura, latioraq; sunt: alteri rotunda, & diuisa in multas partes: radix vtrique digiti crassitudine breuis, & hirsuta, colore rubro, acerbi saporis: vtuntur ad interna vulnera.

CAP. XXVII.

BALSAMINA in hoc genere vulgò appellatur; quia Balsami loco vulneribus glutinandis sit efficax, quam nos æquiuocationis tollendæ gratia Geranium Balsaminum vocamus: in syluis nascitur maior, quam Pes columbinus: foliis latioribus, rotundis, & multipartito diuisis: floribus ex purpureo ad cæruleum vergentibus: rostris prælongis; radice quoque simili.

CAP. XXVIII.

RVBERTIANA vulgò appellatur herba tota rubra: cauliculis infirmis, incuruis, geniculis crassis; foliis veluti in ramos digestis, diuisura Apij: radix tenuis, ac veluti capillaris: flosculos ferr puniceos, & capitula parua, breuibus rostris: præcipua in sistendo sanguine: oritur in maceriis prope aquęductus, reperitur & huic similis breuior, ac minus rubens, foliis viridibus. Dioscorides inter Siderites tertio loco describit his verbis. Sideritim aliam esse tradunt, quam Crateuas Heracleam vocat, in maceriis & vineis nascentem: foliis ab vna radice multis, Coriandro similibus; circa cauliculos dodrantales, læues, teneros, subcandidos, atque subrubicundos: flore puniceo, gustanti amaro, & lento: huius ea vis est, vt vulneri imposita quamuis recenti sanguinem supprimat.

CAP. XXIX.

ACVS muscata vulgò appellatur herba, in incultis nascens: ramis humi stratis folia insunt in vno pediculo multa, vtroque latere disposita, Pimpinellę modo tenuiter scissa, hirsuta, Moscum odo

ratum

ratum redolentia: flosculos fert candicantes, in longo pediculo multos, & capitula cum rostris longissimis instar pectinis, quo lanæ extricantur. Plinius Veneris Pectinem appellari tradit à similitudine pectinum, cuius radix cum Malua tusa omnia corpori infixa extrahit.

CAP. XXX.

MALVA passim in ruderibus nascitur, læto solo, plures ab eadem radice caules fundens, non in rectum, sed ad latera, rotundos, crassos, ramosos: foliis ex longo pediculo rotundis, volę manus latitudine, in ambitu modice sinuatis, quinquepartito, mollibus subnigris: flores in alis foliorum fert, calathi figura, foliatos, subrubentes, aut candidos: fructum ex septem aut octo seminibus constantem, loculis inuicem commissis iuxta medium modiolum, vt eo abscedente relinquatur figura globoli in medio perforati: abscedunt & loculi ab se inuicem, cum perfecte sicci sunt; in quibus semina singula deprella continentur, colore nigro, aut cinereo: radix in multam longitudinem descendit, non sine ramis, substantia neruosa, quæ & neri possit, ac texi ad lintea, quas Rensas vocant in Brittania: est quoque apta ad dentifricia, si cum sale & à lumine coquatur in vino, sicceturque. Flores saccaro conditi ad renũ & vesicę erosiones optimi sunt. Alterum genus in hortis seritur, vulgò Maluone: caule simplici, & recto, altissimo instar hastę, foliis hirsutioribus, amplioribusque: flores fert amplitudine Rosę, numerosis foliis constantes, rubentes, vel purpuræ saturatæ colore, vel candidos, in odoros: huius caulis, quamuis fere arboreus, annuus tamen est, vere exoriens ex semine: fructus quoque maior digestus in multo plures loculos, quam Malua vulgaris. Dioscorides Maluam satiuam recenset inter olera, Malachen vocans, longe aptiorem esui quam sylueſtrem: sed neutram describit, tamquam notissimam. Ex Theophrasto colligimus id, quod apud nos seritur, satiuum genus fuisse apud antiquos: inquit enim: Malua cultu arborescit mensibus sex aut septem, hastæ crassitudine & longitudine grandescens, vt vsum baculi præstet, longiori tempore magis increscit. alibi de Malua inquit: annuo caule constat, inter olera, non nisi cocta mãditur. de sylueſtri inquit à Medicis Althæam vocari: Theodorus Hibiscum vocat, de qua nos paulo mox dicemus. sed apud Plinium non vnum satiui genus, sed duo esse traduntur, totidemque sylueſtris: amplitudine folij discernuntur: maiorem Græci Malopem vocant in satiuis: alteram ab emolliendo ventre dictam putant Malachen. è sylueſtribus, cui grande folium, & radices albę, Althęa vocatur ab excellentia effectus, à quibusdam Aristalthæa: reliquum genus sylueſtris non describit. Ex his colligere licet nostram vulgarem Maluam, quamuis non

colatur

colatur apud nos, in genere tamen domesticæ apud antiquos extitisse: vtebantur enim in cibis sanitatis gratia, vbi aluus valde sicca esset ex multo oleo parata, & hodie quidam tenella eius germina asparagorum more parant cibum nõ ingratum: flores quoque eius inter acetaria assumunt. Alterum vero genus, quod spectaculi potius gratia seritur in hortis, Malopen esse apud Plinium, quam videtur intelligere, cum alibi de Malua loquens inquit: in Arabia tradunt authores Maluas septimo mense arborescere, baculorum vsum præbere ex templo. assumpta enim hęc sunt ex Theoprhasto, de ea, quæ cultu arborescit.

CAP. XXXI.

SYLVESTRES Maluas multas habemus; quarum vna in pratis & palustribus nascitur, Vismaluam appellant, quasi Maluam viscidam: Quinque aut sex ab eadem radice caules rectos attollit, simplices, bicubitales; foliis candidis, molli lanugine obsitis, oblongioribus Malua, ac minus sinuatis: flores fert circa summas virgas, ex candido modice subrubentes: fructum Maluæ: radices crassas, in longos ramos diductas, candidas, quæ in aqua decoctæ viscosum mucchum reddunt, medicis valde vtilem. Dioscorides Althæam vocari tradit; quia plurimis pollet remediis: Aliis Hibiscum in sylvestrium Maluarum genere, cui folia inquit vt Cyclamino rotunda, lanugine canescunt: flore roseo: bicubitali caule: radice lenta intus alba, qua addensari aquam constat, si trita addatur sub diuo. Theophrastus de Hibisci radice idem testatur. constat inquit folio Maluę, maiori tamen, pilosiorique: caulibus mollibus; flore Mellino; fructu Maluæ; radice fibrosa, alba: caulis gustu Maluæ constat. vsus ad rupta, & tusses in vino dulci, & ad vlcera in oleo. At color floris melinus, idest flauus, adhuc non visus est, nisi aliã accipiamus, quam circumferunt pro Altæa Theophrasti, flore quidem luteo; at neque fructus Maluæ, neque plures caules fert, neque ea vis radici inest, vt sua muccosa substantia aquam congelet. Reperitur & altera caule altiori, fere ad Malopem accedens: folio Altheę candicante: flore roseo, speciosa.

CAP. XXXII.

QVAEDAM arborescens; non enim annuo caule constat, vt cętere, sed multis annis viuit: caudice crassitudine brachij ramoso, altitudine quatuor cubitorum: foliis Maluæ, magis lanuginosis, grandioribus: flore, & fructu eodem. Galenus Anadendromalachen vocat, in genere Maluarum efficacissimã in digerendo:

appellatur etiam inquit Althęa. Plinius inquit: sed & arbor est Malua in Mauritania Lixi oppidi æstuario, vbi Hęsperidum horti fuisse produntur: ipsa altitudinis pedes viginti, crassitudinis, quam circumplecti nemo possit.

CAP. XXXIII.

ALCEA in limitibus agrorum nascitur: caulibus subasperis, ex rubro nigricantibus, ramosisque: folia fert angustiora, quam Althęa, & minus candicantia quasi tripartito diuisa, media parte producta in acutum: flos longo pediculo insidet, paulo latior Malua: semen paruum, Maluæ simile. Dioscorides inquit: Alcea sylueſtrium Maluarum generi ascribitur: folia habet diuisa, Verbenacæ modo: caules tres, aut quatuor, cortice Cannabino vestitos: florem Rosę similem, paruum: radices albas, latas, quinque, aut sex, vt plurimum cubitales. Plinius fere eadem ad verbum scribit: nascitur inquit, pingui solo, nec sicco.

CAP. XXXIIII.

ALCEA altera virgas fert simplices, non rectas, vt Althea; sed in latera tendentes, vt Malua, cortice aspero: foliis quinquepartito diuisis, ac serratis, quasi Cannabis: flores fert, & semen Maluæ, longioribus pediculis: radicem longam, ramosamque. Quamuis huic plantæ satis conueniat Alceæ descriptio apud Dioscoridem & Plinium, magis tamen videtur conuenire Cannabis sylueſtris, vt ex descriptione patet apud Dioscoridem: inquit enim Cannabis sylueſtris virgas fert Altheæ similes, nigriores, asperiores, ac minores, altitudine cubitali, foliis similibus satiuæ, asperioribus, ac nigrioribus: flores fert subrubentes, Lychnidi similes: semen autem, & radicem Altheæ. Plinius inquit: Cannabis in syluis primum nata est, nigriore folio, & asperiore (quod videtur desumptum à Dioscoride) impromiscue tamen de viribus eius loquens, cum inquit, tanta vis eius est, vt aquæ infusa congelare eam dicatur, intelligit sylueſtrem, vt pote facie, ac viribus Altheæ similem. Alibi cum differentias Cannabis recenset inquit: Rosea agri Sabini arborum altitudinem æquat: significat quamdam Malope similem, sed foliis amplius scissis. extat quędam parua in syluis; foliis Geranij, modo scissis; flosculis & seminibus Maluæ, quæ ad Cannabim sylueſtrem reduci potest.

CAP. XXXV.

LINVM seritur in aruis, herba ab eadem radice multos cauliculos rotundos ferens, vix cubitum æquantes: frequentibus foliolis, angustis, & oblongis: cacuminibus ramuli breues funduntur, quibus summis flores sustinentur calathi effigie, foliati, colore cæruleo, & vascula membranacea rotunda Ciceris magnitudine: in quibus semina decem continentur loculis in circuitu propriis distincta, depressa, in angulum acutum desinentia exteriùs, qua conspectat, superficie valde læui, mellei coloris: hæc madefacta humore muccosum fundunt, quam Muscilaginem vocant: ex eisdem exprimitur oleum in pleuritide optimum, si sumatur in potu: surculi exsiccati cortice fibroso, ac valde robusto integuntur, qui maceratus & contusus pectitur, netur, texiturque ad lintea. Quoddam sylueſtre breuius: flosculis luteis: capitulo exiguo. Dioscorides de Lini semine agit, vt pote vtili in medicinis. Plinius ipsum Linum interea, quę ad hominum vsum nascuntur, tamquam admirabile extollit: cum ex eo vela excogitata sint, nauibus onustis tam celeri cursu vehendis, vt videatur nobis stantibus vi herbæ non solum Aegyptus Italię admoueri, sed & orbis terrarum vltro, citroque portari. Nascitur id ex paruo semine, & gracili caule, non alte à terra attollitur; seritur sabulosis locis maximè vnoque sulco: nec magis festinat aliud, vere satum æstate vellitur, neque id viribus suis nectitur, sed passum tusumque & in mollitiem lanę coactum: prętat fili neruositate, tenuitate, candore, & cui lanugo nulla. differentię autem huiusmodi apud Plinium abunde leguntur cum regionibus, in quibus nascitur, & industria.

CAP. XXXVI.

DRAGONE vulgò dicitur ab aliquibus Targone, suffrutex qui in hortis seritur pro olere: seritur autem ramis; quoniam semen infęcundum est. Fama est ortum primo ex Lini semine in Cepa incluso, aut Rhaphanis, aut Scylla; ideo saporem non absimilem Cępe inesse, & Lini folia: caules fert rotũdos, altitudine duorum dodrantum, ramosos, in quibus folia sunt Lino maiora, carnosioraque, sapore acri; ideo placent tenella germina cruda, pręcipue cum Lactuca æsitata ex oleo & aceto: flosculos fert inter folia paruos, similes Artemisiæ vulgari. Forte apud Auicennam fuerit Tarcon; vnde vulgare nomen deflexum videtur, de quo inquit notum esse: quidam dixerunt Pyrethrum radicem esse Altarcon montani: calidum & siccum in secundo, licet sit in eo virtus quædã obstupefaciens: desiccat humiditates cum quadam refrigeratione; masticatur & tenetur in ore ad vlcera oris: gutturis dolorem excitat: difficilis concoctionis: aufert desiderium Venetis.

FINIS LIBRI QVARTIDECIMI.

ANDREAE CAESALPINI ARETINI

DE SVFFRVTICIBVS ET HERBIS. LIBER QVINTVSDECIMVS.

CAP. PRIMVM.

HACTENVS explicata sunt, quæ plura semina, aut nuda, aut propriis folliculis inclusa ferunt: deinceps explicentur, quæ in singulis folliculis, ac pluribus plura ferunt semina, idque aut coniunctis receptaculis, vt Xylon, Bamia, quę affines sunt Maluę. Oxys, quæ affinis est Geraniis. Cisti genera & Rutæ, Papaueris, Aristolochiæ & alia nonnulla: disiunctis autem receptaculis, vt Ellebori genera, & Aconiti, & Semperuiui, & alia quædam omnibus verò flos in sede fructus exoritur: seminum quoque cor inferius in adnexu est: Omnia propè in extremo aut caliditatis, aut frigiditatis constituta sunt, ideo medicamentosa, & fermè deleteria esse animaduersum est incipiamus autem ab iis, quæ in coniunctis receptaculis plura ferunt semina.

CAP. II.

OXYS ab acido sapore dicta, vulgò autem Alleluia, herbula est palmum alta, folia ferens terna in singulis pediculis, longis, extremo sinuata, figura cordis, sapore acido: flosculos fert luteos: siliquas sursum spectantes, figura rostri Geraniorũ, crassiusculas, ex quinque loculis cõstitutas: peculiare his: nam cum ad maturitatem peruenerunt, vel lęui tactu semina expuunt é lateribus in longinquum, siliqua integra permanente, & osculis quam primum conniuentibus, vt non pateat exitus, quod fit dehiscente quodã cortice, cartilagineo, candido, qui latet in siliqua: ipsa semina flaua sunt, & aspera. Plinius inquit: Oxys folia terna habet: datur ad stomachum dissolutum: edunt, & qui Entorocelas habent.

Gos-

CAP. III.

GOSSIPIVM, vulgò autem Bambagia, lanugo est candidissima, ac tenuissima, texendis mollissimis linteis commoda: reperitur in fructu Nucis paruæ magnitudine, semina infarciens rotunda, vt Orobi. eius planta cubito altior; caule simili Maluæ: folia fert angulosa, Vitis modo minora: flores luteos, in medio purpurascentes, figura floris Maluæ: fructum barbulis quibusdam florem tegentibus inclusum, qui in quatuor partes dehiscens ostendit lanuginem prędictam: perficitur autumno. Plinius inter genera Lini recenset: superior inquit pars Aegypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui Gossipium vocant, plures Xylon, & ideo inde facta Xylina. paruulus est, similemque barbatæ Nucis: defert fructum, cuius ex interiore bombyce lanugo netur: nec vlla sunt eis in candore, mollitiaque præferenda: vestes inde sacerdotibus Aegypti gratissimę. Serapio Cotonem, & Bombacem vocat: tradunt inquit ex arboribus haberi similibus Antiperficis, quarum vita perdurat annis viginti. melius tamen ex eo est nouum, & quod habetur ex planta eodem anno sata. quamuis autem author hic arborem tradat esse, non tamen putandum aliud genus Bombacis ostendere, quam id, quod superius descripsi, cum testetur eodem anno, quo sata est, Bombacem ferre, ac magis pręferendam: sed apud nos aduentante hyeme pereunt ex toto eius plantæ ob frigoris impatientiam. Forte apud Plinium eædem sunt arbores, quas Gossampinos vocari tradit, fertiliores etiam, in Tylo minore: Iuba circa fruticem lanugines esse tradit, linteaque fieri indicis pręstantiora. laudant Arabes foliorum succum ad alui profluuium in pueris: semen ad tussim ad genituram augendam: oleum ex seminibus extractum lentigines & faciei pustulas aridas, lanuginem ad calorem fouendum in vestimentis. hodie sunt, qui lanugine semiusta sanguinem supprimunt super imposita.

CAP. IIII.

NVPER ex Alexandria semen allatum est, simile semini Gossipij, sed lanugine nulla obuoluente, quo ad Venerem impellendam vti tradunt; Bamiam Alexandrinam vocant: eo sato prouenit planta Gossipio similis caule foliis, & flore: fructu longiore, effigie parui Citreoli, in acutum fastigiato, colore viridi, subaspero, circa ramos erectos frequenti: intra fructum semina subrotunda, subnigra, quasi Vicię, subaspera, pluribus loculis digesta, sępientibus, candidis mēbranis: seritur aduētante æstate: perficitur in autumno: primis frigoribus perit.

ARI-

CAP. V.

ARISTOLOCHIAE duo genera apud nos reperiuntur: vna in syluis nascēs, pluribus ab eadem radice cauliculis, simplicibus, infirmis, dodrantalibus, aut paulo longioribus; in quibus folia fere sine pediculo herentia, alternatim, rotunda; florem in alis foliorum fert longum, figura auriculę brutorum, colore purpureo, & quasi nigro: fructum pendulum, figura parui Fici, rotundum, cutaneo cortice viridi; intus semina farcta triangulis laterculis similia, fungoso cortice obducta continentur sex ordinibus, membranis tenuibus, intercedentibus: radix subest rotunda, Mali amplitudine, tuberosa, exterius nigra, interius buxei coloris, amara, odore medicato. Altera læto solo nascitur in campestribus: Pisis frequens in ruderibus: altiore caule, prope cubitali, crassiorique: folia oblongo pediculo adnexa, maiora, & oblongiora: flores fert ex viridi pallescentes: fructum oblongiorem, crassioremque: radices tenues, Iunci crassitudine, flauas, & odoratas, in quibus aliqua differentia notata est: nam quædam vnica radice constat, exili; quædam plures spargit; quædam pollicis crassitudine habet tuberosam, inæqualemque, quatuor digitorū longitudine. Dioscorides Aristolochiā appellatā esse tradit; quia puerperis opitulari creditur. tria eius genera tradit: primum rotundæ, quæ fæmina vocatur: foliis Hederaceis cum acrimonia odoratis, subrotundis, mollibus: multis ab vna radice germinibus, sed palmites longi: flores albi, pilei similitudine: quod autem in ipsis rubrum est, graue olent. hæc descriptio videtur indicare duo genera rotundæ esse: vnum flore albo, odoratum; alterum rubro, graueolens. profectò apud nos nec flore albo constat, nec odorata est: sed graueolens, ac flore subnigro; sed forte transposita sunt verba, vt album non flori coniungendum sit, sed palmitibus, vt hoc modo legatur: palmites longi, albi: flores veluti pilei incluso intus rubro, quod graueolet. intelligit autem per palmites longos, & albos, qui intra terram conduntur ad radicem vsque: nam in profundum latitat radix, à qua palmites exeunt, qui extra terram nequaqnam longi sunt. Alterum genus idem Dioscorides longam Aristolochiam, & masculam vocat, & digitalem: folia habet inquit longiora, quam rotunda; ramulos tenaces, dodrantales: florem purpureum, graueolentem, qui cū defloruerit, redditur Piro similis: Radix rotundę quidem in orbem conglobata, Rapo similis; longæ autem digiti crassitudine, dodrantis longitudine, ac maiore: vtræque colore intus magna ex parte Buxeo constant; sapore amaro, & graueolentes. hęc descriptio, nequaquam nostris conuenit omni ex parte, vt patet. de tertia inquit: est & tertia longa, quę Clematitis vocatur: ramulos habet tenues,

nues, foliis refertos ſubrotũdis, Semperuiui minoris ſimilitudine: flores ſimiles Rutæ: radices longiores, tenues, cortice craſſo, & odorato, priuatim ad vnguentorum ſpiſſamenta vtili. Hæc quoque deſcriptio nulli ex noſtris quadrat, niſi lectio corrigatur. Quidam verbum Aizoon id eſt Semperuiuum, Aſaron legunt: ſed quod nam ſit paruum Aſarum, incertum eſt: forte & verbum paruum tranſpoſitum eſt: vt legendum ſit: foliis refertos, ſubrotundis, Aſari ſimilitudine paruis: at huius modi folia potius noſtræ rotundę conueniunt. pręterea relinquitur dubitatio de flore Rutæ: nam in noſtra præter colorem luteum, nulla eſt Rutæ ſimilitudo. dicẽdum eſt igitur noſtras Ariſtolochias aliqua ex parte diuerſas eſſe ab iis, quæ deſcribuntur à Dioſcoride. Plinius quartum genus addit, quam Piſtolochiam vocat: inquit igitur inter nobiliſſimas Ariſtolochię nomen dediſſe grauidæ videntur, quoniam eſſet ἀρίστη λεχούσαις: noſtri Malum terræ vocant, & quatuor genera eius ſeruant: vnum tuberibus radicum: rotundis foliis inter Maluam & Hederam, nigrioribus, pinguioribuſque: alterum Maſculæ radice longa, quatuor digitorum longitudine, baculi craſſitudine: tertium longiſſimæ tenuitatis, vitis nouellæ, cui ſit præcipua vis, quæ Clematis vocatur, ab aliis Cretica: omnes colore Buxeo; caulibus paruis; flore purpureo: ferunt bacculas paruas, velut Capparis: valent radice tãtum. eſt & quę Piſtolochia vocatur quarti generis tenuior, quam proxime dicta: denſis radicis capillamentis, lunci plenioris craſſitudine; hanc quidam Polyrrhiſon cognominant: odor omnium medicatus: ſed oblonga radice, tenuiorique, gratiori; carnoſi enim eſt corticis, vnguentis quoque Nardinis conueniens: naſcuntur pinguibus locis, & campeſtribus: effodere eas meſſibus tempeſtiuum, ita deſquamato terreno ſeruantur. maxime tamen laudatur Pontica, & in quocumque genere ponderoſiſſima, quæque medicinis aptior: rotunda contra ſerpentes: oblonga in ſumma gloria eſt etiam modo à conceptu admota vuluis in carne bubula mares figurat: vt traditur. Piſcatores Campanię radicem eam, quę rotunda eſt, venenum terrę vocant, coramque nobis contuſam immixta calce in mari ſparſere, aduolant piſces cupiditate mira, ſtatimque exanimati fluitant. Quę Polyrrhizos cognominatur conuulſis, contuſis ex alto præcipitatis; radice pota ex aqua vtiliſſima eſſe traditur. ſemine pleuriticos, & neruos confirmare, excalfacere. eadem Satyrion eſt. hactenus Plinius. ex his colligo noſtram Ariſtolochiam ſecundo loco deſcriptam, cui multæ ſunt radiculæ, Piſtolochiæ magis conuenire, quam aliis vllis.

CAPPA-

CAP. VI.

CAPPARIS Italica ſeritur in ędificiis; non enim prouenit niſi in ſaxo: virgas multas fert ex quodam capite lignoſo, ſimplices, cubitales, & ampliores, lignoſas, fragiles, cortice rubro, ac lęui; in quibus folia ex interuallis, ſpherica, craſſa, & fragilia, flores ex alis foliorum exeunt, qui antequam dehiſcant, magnitudine lupinorum colliguntur & aceto conditi in cibis expetuntnr cum oleo: cum dehiſcunt, flos explicantur ex rubro candicans, foliatus, ſtaminibus in medio longis: fructus longo pediculo pendet, tenuior, & oblongior Ariſtolochia: radix craſſi corticis, modice flaueſcens, graueolens. Aliud genus ſpinoſis ramis conſtat, peregrinum: feruntur & ex Alexandria Aegypti flores, ſale conditi, grandiores noſtrate. Dioſcorides deſcribit illud genus quod aculeis conſtat his verbis. Capparis aculeatus frutex eſt, qui in terra ſtratus, magis in orbem euagatur: ſpinas vt Rubus habet in hami modum aduncas: folia Mali cotoneæ, rotunda: fructum Oleę ſimilem, qui cum dehiſcens panditur, florem candidum promit, quo excuſſo quoddam glandis oblongæ figura inuenitur, quod apertum grana acinis Punicorum ſimilia oſtendit parua, rubicunda: radices lignoſas ſpargit, grandes, numeroſaſque. tenui plerumque ſolo, aſperiſque locis in inſulis & iuxta rudera naſcitur: caulis & fructus cibi gratia condiuntur. Theophraſtus inquit: culturam nullam patitur, natura ſylueſtris; ideo ſuauior vrbana, ramis aculeigera: folium quoque hiſpidum fert. Plinius in Aegypto inquit: Capparis firmioris ligni frutex, ſeminiſque & cibi vulgati, caule quoque vnà plerumque decerpto. cauenda eius genera peregrina; ſiquidem Arabicum peſtilens; Aphricum gingiuis inimicum; Marmaricum vuluis, & omnium inflationibus: Apulum vomitus facit, ſtomachum, & aluum mouet: quidam eum Cynosbaton vocant; alij Opheoſtaphylen. ſeritur ſiccis maxime, area in defoſſu cauata, ripiſque vndique circũſtructis lapide, alias euagatur per agros, & cogit ſolum ſterileſcere: floret æſtate: viret vſque ad Vergiliarum occaſum, ſabuloſis familiariſſimum.

CAP. VII.

NYPHAEA in aquis ſtagnantibus naſcitur, vulgò Nenufarum vocant: radice fungoſa, & magna, craſſitudine brachij, longitudine aliquando trium cubitorum, frequentibus acetabulis vndique excauata, vnde abſceſſerunt folia: folia fert pediculo longiſſimo, ęquante gurgitis altitudinem, ab eadem radice multa, ampla, ſpheri-

ca,

ca, ad pediculum sinuata, figura Equini vestigij; vnde quidam Vngulam Caballinam vocant confundentes cum Tussilagine: caules fert nudos, & simplices inter folia, in cacumine sustinentes florem, Rosa ampliorem, qui dehiscit aduentante sole, iterum clauditur eo recedente, aut nubilo: differentia; nam quædam candidum fert, amplioremque staminibus in medio croceis, cui radix nigra: Altera florem ex toto luteum gerit, ac paulo minorem, radicem vero albam. Fructus vtrique calyci Papaueris similis, multis intus conceptaculis. Dioscorides inquit. Nymphęa nascitur in paludibus, & stagnantibus aquis: foliis Fabæ Aegyptiæ, minoribus, & longioribus, aliis in summa aqua, aliis demersis, pluribus ab eadem radice procedentibus: flore Lilio simili albo, & in medio crocos habente: cum defloruerit, extuberat, vt rotundum Malum, aut Papaueris caput: nigro semine, denso, & lato, lenti gustus: caulis est lęuis, niger, minime crassus, Aegyptiæ Fabæ proximus: radix nigra, scabra, clauæ similis, quæ autumno secatur. Nymphęę nomen sibi vindicasse videtur; quoniam aquosa amet. Est & altera, cuius flos Blephara dicitur: foliis antedictæ: radice alba, scabra: flore luteo, nitente, Rosę simili. Theophrastus de Nymphęa inquit: radicem dulcem habet: nasci in lacustribus solet: Beoti Madoniam vocant: fructumque mandunt: gerit folia super aquam ampla, quæ imposita plagis trita sanguinem sistere tra duntur: vtilis & ad intestinorum difficultates epota. Plinius inquit: Nymphęa nata traditur à Nympha Zelotypia, erga Herculem mortua, quare Heraclion vocant aliqui, alij Rhopalon, à radice clauę simili: ideoque eos, qui libant eam duodecim diebus, coitu genituraque priuari: nascitur in aquosis: foliis magnis in summa aqua, & aliis ex radice prodeuntibus: flore Lilio simili, & cum defloruerit, capiti Papaueris: in caule secatur in autumno: radix nigra in sole siccatur: aduersatur aluinis. Est & alia Nymphęa in Thessalia amne Peneo: radice alba: capite luteo, Rosæ magnitudine. Hęc Plinius. Quædam parua Nymphęa in aquis breuioribus nascitur: folio Asari: flosculo candicante, sub purpureo, qui ex tribus foliolis constat, simillimus Plantaginis aquaticæ: capitulum fert, vt Papauer Erraticum septis sex distinctum.

CAP. VIII.

LOTVS Aegyptia ex hoc genere videtur esse, quamuis apud nos visa nequaquam sit: describit pulcherrime Theophrastus in hũc modum: qui Lotus vocatur, planis parte maxima prouenit, cum rura inundantur: huic natura caulis, similis Fabæ Aegyptiæ, & fructus eodem modo, verum minores, gracilioresque: nascitur fructus in capite, modo, quo in Faba: flos candidus Liliis foliorum angustia pro

ximus: multi, ac densi promiscui exeunt, sole occidente se comprimunt; caputque integunt: ad ortum aperiuntur, & super aquam assurgunt, id que facit, dum caput perficiatur, floresque defluant: capitis magnitudo, quanta Papaueris maximi, & percingitur incisuris, non alio modo, quam Papauer: nisi quod in his fructus frequentior habetur, qui Milio non absimilis est. in Eufrate caput floresque mergi referunt, atque descendere vsque in medias noctes, tantumque abire in altum, vt ne dimissa quidem manu capere liceat: diluculo deinde redire, & ad diem magis sole Oriente iam extra vndas emergere, floremque patefacere, quo patefacto amplius insurgere, vt plane ab aqua absit alte. Aegypti capita ipsa aceruis putrefaciunt, cumque tegumenta putruerint, in flumine lauando separant, fructum & siccantes pinsentesque panem faciunt, eoque cibo vtuntur. radix Loti Corsium appellata, rotunda est; Cotonei Mali amplitudine, cortice nigro, quali nux Castanea tegitur: corpus internum candidum: elixum assumque in speciem albuminis vertitur, gratum cibis: manditur etiam crudũ, sed gratius decoctum, seu aqua, seu pruna. Dioscorides eamdem historiam fere ad verbum, sed breuius perstringit: at nullas facultates affert, præterquam vsum in cibis, vt Theophrastus. Athenęus Lotum hunc non videtur distinxisse à Faba Aegyptia, cum inquit: nascitur in ciboriis flos, qui coronis est aptus: hunc Aegyptij Lotum solent nominare, at mei Maris dominãtes Nautæ Melilotum, à quo coronæ Meliloticæ, odoriferæ admodum, & æstatis tempore refrigerantes, quasi Melilotus sit Loti Aegyptiæ flos: Aliud tamen est Melilotum apud Dioscoridem & Plinium, de quo alibi sermo est.

CAP. IX.

PAPAVER herba est, semine tantum singulis annis proueniens: caule recto, bicubitali, ramis quoque rectis: folia insunt subcandida, læuia, palmari longitudine, varie scissa, & inęqualiter: florẽ gerit cacuminibus, calyce cutaneo inclusum, antequam dehiscat, inclinatum ad terram: erigitur postea dehiscens in quaterna folia, lata, & rotunda, amplitudine magnæ Rosę, nunc candida, nunc purpurea, nunc rosea, nunc fimbriata, crispæ modo, nunc multiplici numero densa, at sine odore: caput præterea gerit amplitudine Mali rotundum, nunc oblongius, nunc depressius: operculo quodam stellatim superposito: intus conceptacula decem & vsque ad quindecim, cartilagineis septis distincta, numeroso semine, ac minutissimo, septis insidente his quidem candido, his autem nigro: candidum gustui gratum in magno capite, & oblongo prouenit, & flore candido, quod innoxie sumitur ad somnũ conciliandum: reliqua ingratiora sunt, & efficaciora: succus emanat

lacteus

lacteus inciso caule & capitulis, copiosior & efficacior in nigris, qui concrescens nigrescit appellaturque Opium, præcipuum medicamentum ad soporem inducendum & obstupefaciendum, sumptum erui magnitudine: si amplius deuoretur lęthargicos affectus inducit, & mortem. At mirum Turcas hodie frequenti vsu assumere Opij drachmam vnam, & amplius innoxie, nec tamen soporem inferre, sed animi alacritatem & ferociam, ideo pugnaturi præsumunt: nam eo veluti inebriantur. Seritur apud nos candidum: nigri generis sponte oritur quoddam capite paruo in ruderibus: ex Hispania semina diuersa nigri allata sunt, quæ pulchritudinis gratia in hortis seruntur: Opium tamen apud nos nequaquam colligitur, sed aliunde allatum venditur inter merces exteras. Dioscorides Papauer satiuum vocat id, cui capitulum est longum, & semen candidum, quod in panes densatur in vsu sanorum: eo etiam ex melle pro Sesama vtuntur. Syluestre autem inquit caput habet depressum, & semen nigrum: eius scapo succus lacteus emanat. Tertium genus syluestrius, & ad medicinas valentius longius prędictis, habens calycem oblongum: probatur succus, qui densus, & grauis est odore, mox soporem faciens, amarus, qui facile aqua diluitur, albescens cum leuore, non asper nec grummosus, non cerę modo coheat, in sole diffundatur, lucernis accēsus puram flammam reddat, extinctus odoris vim conseruet: adulterari enim variis mixturis solet. colligitur sincerus incisis capitibus summa cute tantum ex obliquo, lachryma collecta digeritur in pastillos: deterius efficiunt capitibus, ac foliis contusis, expressisque, & in orbiculos digestis, quod Meconium vocatur. Theophrastus de hoc Papauere loquens inquit: succus inest lacteus: è capite lacti succatio fieri solet, quod huic soli est peculiare. Plinius tum nigrum, tum candidum inter satiua numerat; candidum cuius semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos edebatur; nigrum cuius scapo inciso lacteus succus excipitur, cum deflorescit, hora diei sereni, hoc est cum Ros in eo exaruerit: incidi iubent sub capite & calyce, nec in alio genere ipsum inciditur caput: succus Papaueris largus densatur, & in pastillos tritus in vmbra siccatur, non vi soporifera modo, verum si copiosior hauriatur etiam mortifera per somnum, Opion vocant. subiungit præterea notas, & adulteria ex Dioscoride.

CAP. X.

PAPAVER Erraticum, quod vulgò Rosolaccium vocant, in aruis nascitur: folio nigriore, quam Papaueris, subhirsuto, diuisuris, profundioribus, segmentis variis: caule tenue, cubitali: floribus puniceis, magnitudine Papaueris: capitulum fert Fabę magnitudine,

oblongum: ſemen ſubnigrum. huius floribus in farinam redactis vtuntur ad dolores lateris in potu: ſudorem enim promouet, & dolores ſedat: incoctis quoque in oleo latera pleuriticorum fouent: Alterum capitulo conſtat aſpero, oblongiore: flore minori: foliis tenuius inciſis. Dioſcorides Rhœas Papauer vocat: nomen accepit à flore, qui protinus deciduus eſt: naſcitur in aruis vere cũ Hordeo, quo tẽpore & decerpitur: folia ei inciſa, Origano ſimilia, aut Erucæ, aut Cicorio, aut Thymo: maiora & aſpera: caulis lunceus, rectus, aſper, cubitalis: flos puniceus, aliquando & albus, ſimilis Anemonæ ſylueſtri: capitulum oblongum, minus tamen Anemonæ; ſemen fuluum: radix oblonga, ſubalbida, craſſitudine parui digiti, amara. Theophraſtus inter genera Papaueris ſylueſtris deſcribit his verbis. Rhœas vocatum non abſimile eſt Intubo Erratico; quamobrem in vſum venit cibarium: naſcitur in aruis potiſſimum inter Hordea: florem rubrum fert: caput vnguis pollicaris magnitudine auget: legitur ante Hordei meſſem, atque viridis etiam purgat inferius; alia vero genera ſylueſtris tum apud Theophraſtum, tum apud Dioſcoridem alibi explicantur à nobis. Aequiuoce enim Papauera dicuntur, vt quod Corniculatum vocatur, & alterum Spumeum. Plinius hoc quoque inter ſatiua Papauera tertium numerat, quamquam alibi medium genus eſſe velit inter ſatiua & ſylueſtria, vt pote quod niſi in aruis eſſet, ſponte naſceretur: Rhœam vocant Græci, id noſtri Erraticum, ſponte quidem, ſed in aruis cum Hordeo maxime naſcitur, Erucę ſimile; cubitali altitudine; flore ruſſo, & protinus deciduo; vnde & nomen à Græcis accepit.

CAP. XI.

NIGELLA vulgò dicta naſcitur in aruis: cauliculis tenuibus duorum dodrantum longitudine: folia fert ab radice, Ammi ſimilia ſcilicet digiti longitudine, vtroque latere ſciſſa, tenuius quam Senecio: in caule autem fęniculo ſimilia, ſed multo breuiora, cacuminibus ramulorum florem gerit cærulei coloris, ex foliis quinque conſtantem: capitulum folliculari ſpecie, rotundum in quinque cornicula deſinentem, magnitudine Nucis, intra quod ſemina ſeptis quinque membranaceis incluſa continentur, atri coloris, anguloſa, & aſpera, ſapore iucundo, odorata: radix ſubeſt parua, colore flauo. Alicubi ſeritur, odoratius: tenuiori folliculo, foliis minus inciſis. Extat & flore candido ex numeroſis foliolis conſtante: ſemine multum odorato. Dioſcorides Melanthion & Gith vocat, exilibus ſurculis fruticans, excedens ſæpe binos dodrantes: foliis paruis veluti Senecionis, ſed multo tenuioribus: capitulum cacumine gerit paruum, vt Papaueris, oblongum, in-

ter-

tereurſantibus intus membranis; quibus ſemen includitur nigrum, acre, odoratum, quod panibus inſpergitur. Plinius optimum eſſe quam excitatiſſimi odoris, & quam nigerrimum tradit. Apud Theophraſtum non reperio, quamuis Theodorus Nigellam vocet, quod Theophraſtus Anthemon appellat. Eſt & ſemen longe odoratius, Nigellę ſimile, colore flauo, quam Nigellam Citrinam vocant: affertur ex Orientalibus inter genera Cardamomi, de qua diximus in Cardamomo.

CAP. XII.

HARMEL Conſtantinopolitanum ſuffrutex eſt Rutæ ſimilis, tenuior, duorum dodrantum altitudine; multis ramis, in quibus folia varia; nam quædam ſectionibus Rutæ ſimilibus, ac ſi militer craſſis conſtant, anguſtioribus tamen, & longioribus: alia tenuius ſciſſa ſunt inſtar Nigellæ: flores in ſummis ramulis candidi ex quinque foliis conſtantes in modum ſtellæ: capitula autem oblonga, Rutæ ſimilia, ex tribus partibus conſtantia: intus autem ſemina farcta, figura triangula, candicantia, ſeptis diſtincta ſex: ſapor totius plantæ ſubaſtringens, & nauſeoſus, odore ingrato. Huic ſatis conuenit deſcriptio Rutæ ſylueſtris apud Dioſcoridem, quæ Harmala dicitur; quamuis alia etiam aſſumatur eo nomine, vt dictum eſt in Ruta ſylueſtri.

CAP. XIII.

HERBA Paris vulgò appellatur, herba in Alpibus locis vmbroſis naſcens: vnico ab radice caule, ſimplici, dodrantali, aut paulo ampliori: quaternis tantum in medio caule foliis, figura Plantaginis, veluti crucem efformantibus: quaternis aliis in cacumine exiguis, in quorum medio fructus eſt niger, acino vuę ſimilis, ſine flore, ſed foliola prędicta vicem floris gerunt: intra fructum ſemina continentur rotunda, in quatuor conceptaculis: radix ſubeſt longa, & tenuis, in capillares particulas diſſecta, flaueſcens. Ferunt ſemen drachmæ pondere hauſtum contra veneficia pugnare: quoſdam, qui ſemiſtulti euaſerunt, vel ob veneficia, vel ob longos morbos, viginti diebus hoc ſolo remedio ſanatos.

CAP. XIIII.

RVTA ſponte quidem oritur locis aſperis, & in ſaxo; ſeritur quoque in hortis ramo; caulem fert lignoſum, ſcabrum: ramos multos virentes, ac læues, in quibus folia ramoſa, diſſecta in foliola

angu-

angusta,& oblonga carnosa ex viridi quasi cętulea: flores in summis ramulis pallescentes,breuibus foliolis constantes: capitula rotunda, aspera, dura, in quatuor angulos desinentia: intus semina continentur quaternis conceptaculis: tota odorata est cum grauitate, & vehementia, amaraque. Dioscorides Gręce Peganon vocat: satiuam esse & sylueſtrē: satiuam, quæ sub Ficu arbore nascitur, magis in cibos admitti: sylueſtrem & montanam similem esse satiuæ, acriorem hortensi, & in cibis damnatam. Aliud præterea genus sylueſtris tradit, quæ Harmala vocatur, & Besasa, de qua nos alibi diximus. Theophrastus de Ruta inquit: caudice vno instar arboris spectatur: perpetue viret: cacuminibus perdurat amissis reliquis: prouenit germine: semine tarde nascitur, ideo surculo serere eam solent: aspernatur fimum: est etiam sylueſtris. Plinius inquit in pręcipuis medicaminibus Ruta est: latiora satiuæ folia, rami fruticosiores: sylueſtris horrida ad effectum est,& ad omnia acrior.

CAP. XV.

CISTVS in collibus incultis nascitur, valde gracili solo, veluti frutex lignosus; ramulis prope cubitalibus,ruffis; foliis rotundis, vt Marrubij, minoribus, nigrioribusque, simili modo crispis, hirsutisque, gustu acerbo: flores in summis ramulis fert candidos, simillimos paruis Rosis Moscatulis, sed sine odore: capitula carthilaginea, Cicere maiora, intra quæ semina farcta continentur, qninque receptaculis distincta. vere, dum floret,alicubi Hypocistidem gignit pręsertim, si pluuię pręcesserint in collibus Pisanis & in Ilua plurima nascitur. exeunt à radice Cisti germina quædam tenella, quatuor digitorum longitudine,assidue prope verticem crassiora,veluti in rotundum caput extuberantia,supra terram colore flauo,aut croceo: in eo vascula sunt rotunda, figura parui Mali Punici, continentia intus muccosam substantiam perlucidam, sapore valde acerbo. Alterum genus Cisti in arenosis maritimis nascitur; folio maiusculo, & candidiore: flores puniceos fert, latiores: fructum similem, sed conceptaculis quatuor distinctum, sub hac numquam Hypocistidem repertam scimus. Dioscorides illam quidem fæminam, hanc vero marem vocat; vtramque his verbis describit. Cistus ramosus frutex est,sed non altus,foliosus,saxosis locis nascens: foliis rotundis,acerbis,hirsutis: flos masculo vt Mali Punicę; fæminæ albet. & paulo inferius: Hypocistis inquit iuxta Cisti radices nascitur, & quæ sequuntur. Plinius Græci inquit vicino vocabulo cum Cisso idest Hedera Ciston vocant, fruticem maiorem Thymo; foliis Ocymi: duo eius genera: flos masculo rosaceus,fæminæ albet: sub his maxime nascitur Hypocistos.

LA-

CAP. XVI.

LADANVM vulgò appellatur frutex, odoramentum, quoddam ferens eodem nomine, altior Cisto; frequens in collibus maritimis, & asperis; foliis angustis, & longis, acuminatis, tactu glutinosis odoratisque: flores fert copiosos, Cisto fæminæ similes, paulo minores: capitula quoque seminis similia, tenuiora; extat quædam latiore folio prope ad Laurum accedens: ex neutro tamen, quod sciam, apud nos Ladanum colligunt, sed hoc ex Oriente aduehitur, substantia in pastillos coacta, odoratos, & nigros, quibus vnguentarij vtuntur. Dioscorides ad Cisti genera reducit Ledon à nonnullis appellatum, qui frutex est simili modo nascens; longioribus foliis, & nigrioribus, quæ verno tempore quiddam contrahunt pingue: foliorum vis astringens, ac eosdem, quos Cistus effectus præbens: fit ex eo, quod Ladanum dicitur, pinguitudine foliorum caprarum villis adhærente, dum depascuntur: inde enim depectunt, & in offas cogunt, & ita recondunt. Alij attractis funiculis insidentem fruticibus lentorem abstergunt, conglomerantque in Ladanum. Maxime probatur odoratum, subuiride, facile mollescens, pingue, quod harenas non collegit, nec squalore obsitum est, resinosum, quale in Cypro gignitur: Arabicum vero & Lybicum vilius. Plinius variam Ladani historiam tradit: nam in Arabia apud Nabatæos capras odoratorum fruticum auidas, succum ex illis distillantem barbarum villo abstergere; hunc glomerari in puluerem, & incoqui sole; & ideo in Ladano caprarum pilos esse, quod genus Strobon vocant. verum autem Ladanum in Cypri Insula esse simili modo Oesipum, hircorum barbis, genibusque villosis inhærens, sed hederæ flore deroso, pastibus matutinis, cum est rorulenta Cypros: deinde nebula sole discussa in puluerem madentibus villis adhærescere, atque ita in Ladanum depecti. sunt, qui herbam in Cypro, ex qua id fiat, Ladam appellent: etenim illi Ladanum vocant huius pingue insidens. itaque attractis funiculis herbam eam conuolui, atque ita offas fieri. ergo in vtraque gente bina genera terrenũ & factitium: id quod terrenum est, friabile: factitium lentum quo loco Hederæ florem dixit pro Cisto, Cissou legens.

CAP. XVII.

QVAEDAM in Alpibus nascitur, locis saxosis, & asperis; folio breuiore, & læuiore quam Ladanum, ad Buxi folium accedente: odore Ladani, superne virenti, inferne subcandido, aut puluere quodam ferrugineo adhærente: frutex ramosus, ramis humi procum-

cumbentibus, multis, ſemicubitalibus : fructus in ſummis ramis multi, Myrthi magnitudine oblõgi, eodem puluere ferrugineo obſiti, diſtincti ſectis quinque: flores ſpecioſos ſimiles Rhododendro; ideo quidam Rhododendron Alpinam vocant. Quoddam genus herbaceum & puſillum in Alpibus naſcitur, locis humectis Belli pratenſis ſimilis : foliis ab radice rotundioribus ; cauliculis ſimplicibus, quatuor digitorum altitudine : cacuminibus florem album fert, ex quinque foliis conſtantem ; vaſculum rotundum, ſemina continens, quatuor conceptaculis diſtincta.

CAP. XVIII.

FERENTIVM multa ac diſiuncta plurium ſeminum receptacula ſub vno flore, pleraque valde medicamentoſa ſunt vel frigida vehementer, vt Semperuiui genera ; vel calida. vt etiam venena exiſtant, vt Aconiti genera, Veratrum. inter hæc duæ cum Maluis conuenire videntur; Vna, quam quidam Altheam Theophraſti vocãt, alij Abutylum Auicennę : Altera, quæ eſt Hypecoum Dioſcoridis. Quæ igitur Althea Theophraſti cenſetur ; caule conſtat Maluaceo, recto, ramis ad latera tendentibus : paucis foliis, longo pediculo pendentibus, rotundis, & in acutum deſinentibus, ſerratis, hirſutis, ſubcandidis, Althea latioribus : floſculos fert in alis luteos, & veluti caput ex numeroſis ſiliquis conſtans, ordine digeſtis in ambitum, vt Malua. in quibus ſemina nigra continentur ſubrotunda : peregrina eſt apud nos. De Althea ſuperius diximus. incertius adhuc aſſerere poſſumus Abutilon eſſe Auicennæ inquit enim eſt planta ſimilis Cucurbitę, quę vulnera recentia ſtatim conglutinat.

CAP. XIX.

HYPECOVM in aruis naſcitur: cauliculis dodrantalibus; foliis Cannabis ſylueſtris, quam Alceam vocant, multo minoribus : florem fert pallidum, latiorem quam Malua : capitulum veſica incluſum, Alicacabi modo, quod quinque ſiliquis conſtat, nigris, & hirſutis, in quibus ſemina nigra continentur ſimilia ſupradictæ. Dioſcorides admodum breuiter deſcribit inquiens : naſcitur in ſegetibus, aruiſque : foliis Rutę ; exilibus ramis : natura eadem, quæ ſucco Papaueris. Plinius Hypicoon vocat, nec alias nothas addit præter traditas à Dioſcoride.

CAP. XX.

SEMPERVIVI genera, & quæ illis affinia sunt: foliis constant valde crassis, & pulposis, glutinoso succo: ideo difficulter exsiccãtur, viuuntque diutius auulsa, vt germinent quoque, & floreant: fructus ferunt digestos in paruas siliquas in orbem, in quibus puluisculus potius quam semen continetur: proueniunt non in terrenis, sed quasi in nudo saxo, vt tectis & parietibus. Tria ad summum Semperuiui genera habentur ex magnitudine & paruitate distincta. Maius serpit iunceis radiculis, à quibus per interualla exoriuntur orbes quidam, constantes ex foliolis, linguarum modo productis, & in acutum desinentibue: fibrosis radiculis lapidi affixis: ex medio orbe caulis æstate assurgit crassus, rectus, simplex, foliolis tenuioribus circundantibus: in cacumine ramulos spargit veluti digitos, in quibus flores sunt ordine dispositi, figura Chamęmeli, colore purpurascente. Alterum genus maioris ex Sicilia allatum est, arborea specie: caule lignoso, baculi crassitudine, non recto, sed incuruo, & ramoso, intus rubro, vinosi odoris: assurgit in cubitalem altitudinem; foliis altero longioribus: flosculos fert iuxta folia luteos minutos: seritur ramo, sed impatiens algoris: nam hyeme aspera amittit folia: aliquando perit ex toto. Dioscorides Gręce Aizoon vocat: describit autem his verbis: Semperuiuum magnum ideo nominatur; quoniam perpetuo folia virent: cuius caules cubiti altitudinem implent, interdum excedunt, pingues, crassitudine pollicari virentes, Characie Tithimali modo insecti; folia pinguia, carnosa, longitudine pollicari, in cacumine linguæ similia: alia in terram conuexa, alia in capite stantia inuicem; ita vt ambitu effigiem imitentur oculi: nascitur in montibus, & testaceis: supra domicilia etiam seritur. Hęc descriptio in postremis verbis manifeste indicat vulgare Semperuiuum, primo loco à me descriptum: sed altitudo caulis vltra cubitum; & folia longitudine pollicis magis arborescenti conueniunt. Theophrastus inquit semper durare valet Aizoon humidum, & viride; quia folia pulpa constant carnosa, quę læuia, & oblonga insunt, planis parietibus nascitur, nec non & in tegulis, cum terræ velut confluuium quoddam harenaceum factũ est. Plinius de Aizoo maiore: In fictilibus vasculis seritur, quod aliqui Buphthalmon vocant, & aliis multis nominibus. Itali sedum magnum aut oculum, aut Digitellum, aliqui Semperuiuum; quia vireat semper imitatione nominis Aizoi apud Gręcos: cubiti altitudinem excedit, crassitudine plusquam pollicari: folium in cacumine linguę simile, carnosum, pingue, largo succo, latitudine pollicari: alia in terram conuexa, alia stantia, ita vt ambitu effigiem imitentur oculi.

CAP. XXI.

SEMPERVIVVM minus, quæ vulgò Vermicularia, vt Crassula minor appellatur, in parietibus nascitur, cauliculis dodrantalibus, rectis, in quibus foliola sunt tereti figura, instar Vermiculorum, in neutrũ desinẽtia: in cacumine veluti vmbellã gerit, floribus luteis, Hyperico similibus. Dioscorides inquit in petris parietinis, & maceriis, & scrobibus opacis nascitur: caulibus ab vna radice multis tenuibus, crebro foliatis, exilibus; foliis rotundis, pinguibus, mucronatis; fert autem ex medio foliorum caulem prope dodrantalem, gerentem vmbellam, & florem tenuem, & herbaceum: vbi verbum χλωρόν pro pallido videtur accipiendum esse. Plinius iisdem fere verbis describit: fruticosum à radice, & sursum vsque ad cacumen: foliis angustis, mucronatis, succosis, palmo alto caule: radix inutilis.

CAP. XXII.

SEMPERVIVVM tertium minimum est, longitudine digitorum quatuor: cauliculis tenuissimis, infirmis; ideo ex subgrundiis, & ex parietibus pendent: foliis magnitudine grani Tritici, cinerei coloris: flores candicantes, aut lutei, pusilli, sapor aquosus, similis antedictis: Quoddam tamen ex iis, quæ florem luteum gerunt, gustatum paulo post fauces exurit: fructum stellatum ferunt. Dioscorides pro tertio Semperuiuo illud intelligit, cui vis est excalfaciens, acris, & exulcerans: hanc aliqui, inquit, Andrachnem syluestrem vocant, aliqui Telephium, Romani Illecebram, pusillis, crassioribus qui foliis, hirsutis, Portulacæ proximis; nascitur in saxis. Plinius est inquit Semperuiuo minori similis, quam Græci Andrachnem Agriam vocant, Itali Illecebram: pusillis, latioribus foliis; breuiori cacumine; nascitur in petris, & colligitur cibi causa: cui facultas eadẽ, quę cæteris refrigerãdi, & astringẽdi.

CAP. XXIII.

CEPAEA in collibus vmbrosis nascitur, similis Vermiculariis, foliis tantum latioribus, sed Portulaca angustioribus coloris cinerei, aut subrubentis: flosculos fert ex purpureo candicantes, vel luteos. Altera in montibus; foliis breuibus, vnguis pollicis latitudine, densis, vt in Semperuiuo maiore. Dioscorides inquit Cepęa Portulacæ similis est, sed nigriora habet folia, & radicem tenuem. Plinius Cepæa inquit similis Portulacæ, nigriore radice, sed inutili, nascens in littoribus harenosis, gustu amara.

CAP. XXIIII.

DVAE ſunt in parietibus opacis naſcentes, vix excedentes quatuor digitos: foliis latitudinem vnguis, modice anguloſis: quæ alteri quidem prope radicem denſa ſunt, vt in Semperuiuo; alteri autem rara, quæ & ramoſior eſt: floſculi candicantes: radix tenuis: fructus ſtellatus, vt in Semperuiuo tertio: Quidam Vmbilici ſpeciem putãt. Has apud antiquos ab vngue cognominatas cenſeo; quia folia vnguium ſimilitudinem gerunt, & medentur vnguium morbis, quas Paronychias vocant: Dioſcorides herbam Paronychiam appellat: exiguus eſt frutex, in petris naſcens, Peplo ſimilis, minor longitudine, maioribus foliis: illita paronychiis, atque Fauis remedio eſt.

CAP. XXV.

VMBILICVS Veneris in parietibus naſcitur, pediculis ab eadem radice multis, folium ſuſtinentibus, rotundum, & læuiter concauum, acetabuli figura; ex medio foliorum cauliculus exit palmum altus, tenuis, rectus, & ſimplex; in quo floſculi ſubcandidi, veluti in ſpica; fructus exigui, oblongi, deorſum inflexi: radix ſubeſt rotunda, & candida, Fabæ aut oliuæ magnitudine carnoſa. Extat & grandior: folio latiore, circumlęuiter corroſo: altiore caule; in quo foliola ſunt Paronychiæ ſimilia: hyeme viuunt: æſtate exareſcunt, viuentibus radicibus. Cotyledon apud Græcos vocatur, de qua Dioſcorides inquit: folio conſtat in acetabuli formam tornato, ineuidenter concauo: breui in medio cauliculo, in quo ſemen ineſt: radice oliuæ modo rotunda: Plinius inquit Cotyledon paruula herba: cauliculo tenero, puſillo: pingui folio, & concauo, vt coxendices, naſcitur in marittimis, petroſiſque, viridis: radice oliuæ modo rotunda.

CAP. XXVI.

CRASSVLA maior à recentioribus appellatur, ab aliis vulgò Fabaria, in parietibus ſeritur, radice vel ſurculo infixo: caules ab eadem radice plures fert, craſſos, & pulpoſos, veluti Portulacę; & in eis folia effigie coclearis, mediocriter in longitudine excauata, & in ambitu parum corroſa, valde craſſa, & frequentia, ambitum deſcribentia ampliorem, quàm Semperuiuum maius: ſed quo magis caules attolluntur, folia inferna decidunt, & alia oriuntur minora: caule in gracilitatem attenuato ad cubitalem prope altitudinem: in cacumine vm-

bellam fert flosculis ex viridi candicantibus,& capitula Hypericoſimilia, ſed ex pluribus ſiliquulis congeſta, vt in Semperuiuo: radices fert duas,aut tres,rotundas,Oliua longe craſſiores,in radiculam tenuem deſinentes: floret autumno; vtuntur huius foliis ad Furunculos concoquendos integris ſuperpoſitis, ſolum detractu cuticula, vt ſuo humore glutinoſo hęreant. Alia in montibus oritur, locis vmbroſis: foliis minoribus, rarioribuſque: floribus purpuraſcentibus. his videtur conuenire deſcriptio alterius Cotyledonis apud Dioſcoridem, licet aliquæ notę diſſonare videantur. deſcribitur autem his verbis. eſt & alterum genus Vmbilici Veneris, quod Cymbalion aliqui vocant: pinguioribus foliis, latioribus, ligularum modo. denſis circa radicem, medium oculi ambitum deſcribentibus, vt in maiore Semperuiuo, aſtringentis guſtus: cauliculo tenui; in quo flores,& ſemina Hyperici: radice maiuſcula; facit eadem, quæ Semperuiuum. Quod in hac deſcriptione diſſentire videtur à planta propoſita, eſt caulis tenuitas, & flos Hyperici: nam reliqua ſatis cõſentiunt,præcipue nomen Cymbalion: excauatum enim eſt folium in longitudine,vt videatur Cymba, quod eſt nauiculę genus, non in rotunditate, vt in altero Vmbilico, ſed tenuem eius caulem dictum puto comparatione cum Semperuiuo maiore, cui ſimilem dixit foliorum ambitu: at differt caulis tenuitate: flores autem luteos, quales Hyperici, non dum vidi, licet ſint, qui teſtentur ſe luteis floribus vidiſſe. Plinius de altero Cotyledone inquit: eſt autem genus eiuſdem ſordidis foliis,latioribus,denſioribuſque circa radicem, velut oculum cingentibus, aſperrimi guſtus: longiore caule, ſed pergracili, tot autem noui hucuſque Semperuiui generibus affinia.

CAP. XXVII.

ELLEBORVM album in Alpibus naſcitur,præcipue in fenariis cãpis,ceſpes ex pluribus caulibus rectis conſtans, ſimplicibus, cubitalibus: caulis Harundinis modo folia conueſtiunt, ſimillima Gentianæ,aut Plantagini, ſubhirſuta,& inferne candicantia, ſecundum neruos replicata: floſculi circa ſummos caules racematim cohærent herbacei: fructus parui ex tribus, aut quatuor ſiliquis conſtantes: radices multæ ex vno capite veluti bulbo deſcendunt fibroſę, pallidę: floret æſtate. Alterum genus foliis conſtat latioribus, lęuioribus ac magis virentibus: flores fert purpureos ſummo caule in ramos digeſto. Dioſcorides inquit: Elleborum album à Latinis Veratrum album vocari: folia fert Plantaginis, aut Betæ ſylueſtris, breuiora, nigriora, & colore rubentia: caulem cauum, palmi altitudine, tunicis conuolutum, quas abdicat, cum areſcere incipit: radicibus nititur multis, tenuibus,ab oblongo &

exiguo

exiguo capite Cęparum modo exeuntibus: nascitur in montibus & asperis: radices messibus colligendæ: eligi oportere candidum, friabile, carnosum, modice extentũ, nec tamen lunci modo mucronatum, nec quod frangendo puluerem emittit, & tenuem habet medullam, gustu non admodum feruens, neque salituam subinde ciens: huiusmodi autem strangulat, vomitione educit varios humores.

CAP. XXVIII.

ELLEBORVM nigrum vulgare in collibus nascitur, frequens in syluis præcipue inter Castaneas: foliis ab radice multis, longo pediculo, ac prædùro, crassoque constantibus, latioribus Platano, frequentibus scissuris, in profundum actis, segmentis circumquaque serratis, & quasi hispidis extremis: caules media hyeme assurgunt ab eodem globo radicum tres, aut quatuor, simplices, dodrantales, lęues, ac striati, quasi Filicis, in quibus pauca folia, ac paucioribus diuisuris: ex eorum sinu ramuli exeunt florem sustinentes, magnitudine Rosę syluestris, colore herbaceo, durum, qui numquam defloresci: in medio fructus continetur, qui tribus, aut quatuor siliquis constat, crassis, ac breuibus quasi Ciceris, in quibus semina rotunda continẽtur. Milio crassiora, quæ messibus perfecta sunt: radices ex quodam globo inæquali multę, ac tenues, & nigræ descendunt. Alterum genus in Alpibus Pistoriensibus nascitur: foliis minoribus, magis humi sparsis, lentis, segmentis ad Laurum accedentibus, minus serratis, nigrioribus: flores fert candidos inferne perpurpurascentes, breuiori caule: in cæteris simile vulgari. Dioscorides de Elleboro nigro inquit Melampodion appellari à Melampode pastore caprarum, qui eo furentes in se prætidas primus purgasse & sanasse fertur. Folia ei viridia, Platano similia, sed minora, Sphondylij foliis proxima, subaspera, nigriora, pluribus diuisuris incisa: caulis asper: flores candidi, purpurascentes, racematim cohęrentes: semen Cnici, quod in Anticyra Sesamoides vocant, quo deiectiones moliuntur: radicibus cohæret nigris, tenuibus à capitulo Cepę simili confibratis, quarum est vsus: oritur in collibus asperis, & sitientibus locis. optimum in Anticyra: eligi debet corpulentum & plenum, in quo tenuis sit medulla, acri gustu & feruens: purgat ventrem, detrahens bilem & pituitas, dracma vna, aut obolis tribus per se, vel cum Scamonia & salibus. Consitum proxime radices vitium vinum purgandi facultate donat celeriter effodi radicem oportet; quoniam habitu caput tẽtat: ideo fossuri Allium præsumunt & vinum: emedullatur albi veratri modo. sed hæc descriptio aliqua ex parte neutris supra dictarum conuenit; neque enim flos racemosus inest; neque semen Cnico simile; neque

caput

caput radicis Cæpam imitatur aliqua ex parte. Existimo autem mēdam aliquam subesse, in quibusdam nigro Elleboro tributis, quæ potius albo conueniunt: nam flos racemosus, & caput Cæpæ simile, quod & tunicis inuolutum est in albo reperitur. Quod autem de fructu scribit Cnico simile, forte pro Cnico Græce Leucon legendum, idest album, vt significet fructum nigri Ellebori esse albo similem, quem Sesamaceum Theophrastus rectius. In albo quoque Elleboro apud Dioscoridem est aliquid, quod ex nigro mutuatum fuisse videtur, scilicet caulis palmi altitudine, cum potius cubitalis, & altior in albo sit; & quod tempestiuum est messibus colligere, in nigro quidem cōsentaneum est rationi; eo enim tempore caulis exarescere incipit, quæ est oportunitas colligendi radices & in cæteris omnibus: at eo tempore album vix florere incipit: ideo rectius Theophrastus albi, colligendi tempus in autumno dixit. sed & apud Theophrastum varia vtriusque Ellebori traditur historia, ob variā relationem. Alij enim Elleborum album & nigrū similia esse aiunt, præter quam quòd radices colore inter se differant: esse namque alterius candidam, alterius nigram. Alij folium nigri Laureum; candidi Porraceum reddunt: radices autē similes colore excepto. Qui igitur similia esse dicunt, hāc aiunt formam esse: caulem Antherico similem valde breuem: folium late scissum, simile Ferulæ, ingenti longitudine, statim ab radice exiens & humi stratum: radicem large multiplicem, quæ scilicet prætenues constant, atque vtiles sint; nigrum equos, Boues, suesque, necare affirmant, & idcirco eum cauere: candido pecudes nimirum vesci, atque hinc primo vim deprehensam, cum illo pecudes purgarentur: tempestiua collectio in autumno: in vere intempestiua; Niger vbique nascitur, at candidus locis paucissimis exit: optimus nascitur in Oeta monte, & eius parte vna tantummodo, vbi plurimus est eius prouentus: amat loca algentia, miscetur in potione, vt vomitio bene succedat, Ellebori næ semen; hęc herbula quędam est. alibi scribit Ellebori caulem esse Ferulę proximum: radices imas & firmiores succidi oportere; supernam enim in caput extuberantem inutilem esse, & canibus dandam cum purgandum est. In Anticym Fructu eius purgantur, quem Sesamaceum fert, sed quod vtrique à quibusdam tribuitur folium late scissum, Ferulæ simile, & vt Dioscorides inquit Sphondilio, conuenit nigro tantum. Plinius quoque in vtriusque descriptione ambigit: nam inquit prima eius genera duo sunt, candidum & nigrum; hoc radicibus tantum intelligi tradunt plerique. alij folia nigri Platani similia, sed minora, nigrioraque, & pluribus diuisuris scissa. Albi Betæ incipientis, hæc quoque nigriora, & Canalium dorso rubescentia. Hucusque Dioscoridem secutus est: sed postea alios sequitur qui similia tradunt inquiens. vtraque caule palmi ferulaceo, bulborum tunicis conuoluto, radice fibrata Cęparum modo:

do: quæ profecto conditiones albo insunt, excepta breuitate palmi. Addit in Italia Veratrum vocari, ab aliis Melampodion: vnum eius genus à Melampode diuinatoriæ artis celebri, aut ab altero eiusdem nominis Pastore inuentum, quem tradunt Capras animaduertentem pastu illo purgari, datoque lacte earum sanasse prætidas furentes. Hoc genus Galenus Elleborum album esse testatur quod & ex Theophrasto colligere licet asserente, pecudes albo vesci, indeque iura purgandi deprehensam fuisse. cum tamen appellatio Melampodij nigro tribuatur tum à Dioscoride tum à Theophrasto. Huius occasione conticio Ellebori fructum, quo in Anticyra ad purgationes vtebantur Sesamoides vocantes, ex albo potius fuisse quam è nigro. nigrum enim caueri ab animalibus tradit Theophrastus. nam interficit equos, Boues, & sues, cuiusmodi noxa non inest in candido, cum id innoxie depascatur à pecude. è conuerso tamen radicibus cõtingit: albi enim radices strangulationis periculum afferunt, nigri nequaquam. Et quod scribit Plinius candidum Elleborum quondam terribile fuisse, postea tum promiscuum, vt plerique studiorum gratia ad prouidenda acrius, quę commentabantur, sæpius sumptitauerint, de fructu intelligẽdũ puto. Carneadem enim inquit responsurũ Zenonis libris: Drusum quoque Romanum constat hoc medicamento liberatum comitiali morbo in Anticyra insula: ibi enim tutissime sumitur; quoniam Sesamoides admiscent. sed vt ad nigrum Elleborum reuertamur. Illud legittimum censeo, quod in montibus oritur: foliorum segmentis ad Laurum accedentibus, vt Theophrastus est author: flore candido superne, inferne purpureo, vt Dioscorides innuit, flores tradens candidos purpurascentes. At vulgare Elleborum nigrum meritò adulterinum dici potest, finitimum tamen non solum specie, sed & viribus: ob id non abre fuerit Consiliginem intelligi apud Plinium, cuius radix suum & pecorum omnium remedium præsens est, pulmonum vitio vel traiecta tantum in auricula: bibi debet ex aqua, haberique in ore assidue sub lingua; nam similem facultatem Elleboro nigro tribuit pecorum & iumentorum pituitas sanare, surculo per aurem traiecto, & postero die eadem hora exempto. Hodie rustici remedium id nouerunt Ellebori vulgaris radiculam in hunc vsum vsurpantes, vulgò Radichiellam vocant.

CAP. XXIX.

ENNEAPHYLLON à Plinio vocatur ob nouenarium foliorum numerum, quidam pro Elleboro nigro accipiunt, sed valde ab eo recedit quamuis in eodem genere sit. Foliata est non ab radice, vt Elleborum nigrum, sed in caule tantum. Caulis est crassus, fere baculi crassitudine, breuis, in quo frequentia sunt folia, figura Cannabis, in no-

uem partes vtplurimum diuisa, veluti digitos, robusta ea sunt, & leuia; in cacumine comam latam fundit, in quo flores Ellebori nigri, sed minus patuli, colore herbaceo extremis labris purpurascentibus: fructus similis: radix subest oblonga, & nigra, tenuioribus villis fibrata: oritur in eisdem locis, in quibus Elleborum vulgare. Plinius inquit Enneaphyllon longa folia nouena habet, causticę naturę: imponitur lana circundata ne vrat latus: continuo enim pustulas excitat, lumborum dolo ribus, & coxendicibus vtilissimum.

CAP. XXX.

ELLEBORINA in collibus nascitur frequentissima in agro Fęsulano: multis ab eadem radicem foliolis, quatuor digitorum altitudine, rotundis, circumquaque scissis, figura Anemonę, aut Geranij, læuibus: florem fert in medio folio luteum paulo post brumam: siliquas tres aut quatuor Elleboro tenuiores, in quibus semina Milij instar: radices subsunt candidæ, breues, multę, aceruatæ, similes minori Chelidonio: arescunt folia, perfecto semine, nondum exacto vere. Theophrastus Elleborinam tradit herbulam quamdam, cuius semē cum Elleboro miscetur in potione, vt vomitio bene succedat. Dioscorides Epipactim vocari tradit ab aliis Elleborinam, paruam herbam: exiguis foliis, quę iocinoris vitiis vtilis & contra venena pota. eadem Plinius habet, in Asia & Græcia nasci.

CAP. XXXI.

STAPHISAGRIA semē est peregrinum apud nos, valde scabrum, nigrum, angulosumque, magnitudine Cicerculę, quod comman ducatum pituitam valentem extrahit, & capiti oblitum ex oleo pediculos interficit; vnde vulgò herba pedicularis vocatur. hoc fato planta prouenit cubito altior; caule recto, hirsuto: ramis quoque rectis folia fert vitis modo scissa, hirsuta, pinguia: flores circa summos ramulos cærulei coloris, figura floris Capuccij sed decurtata cauda: siliquas ternas vel quaternas Ciceris crassitudine, hirsutas, in quibus semina farcta continentur: annua est planta. Dioscorides inquit Staphisagria folia habet Vitis sylueſtris scissa: cauliculos rectos, molles; florem Glasto similem: folliculos virides, similes Ciceri, & in his semen triangulum, asperum, ex nigro ruffescens, intus, album, gustu feruens. vbi flos Glasto similis non de figura herbę accipiendus videtur, sed de colore, quem Glastum inficit. Plinius Astaphisagriam vocat, & Staphim, quam vuam Taminiam aliqui vocant falso: cauliculis nigris, rectis: foliis Labruscę:

fert

fert folliculos verius quàm acinos virides, similes Ciceri; in his nucleum triangulum: maturescit cum vindemia, nigrescitque: non nisi in opacis oritur.

CAP. XXXII.

NAPELLI duo genera nascuntur in Alpibus inter venena atrocissima quorum vnum multis constat radiculis, Ellebori nigri modo fibrosis: Alterum vero easdem habet, rectis modo contestas, cauitate in medio relicta, quod & atrocius est: vtraque caulem rectum ferunt, cubito altiorem, aliquando bicubitalem, lęuem, striatum: folia reticulato Napello rotunda insunt, & incisa instar Anemonę, multo latiora: flores circa summos ramulos cærulei, figura Staphisagriæ, tenuiores: alteri folia Platani, minora candidis maculis: flores pallidi: figura similes alteri; vtrumque paruas siliquas fert, ternas, vel quaternas, in quibus semina Elleboro similia continentur. vtuntur radicibus ad lupos enecandos & mures, earum farina carnibus admixta, aut aliis cibis, præsertim generis reticulati. putatur esse apud Auicennam Napellus venenum perniciosum, in summo calidum & siccum, cui inquit resistit mus, qui in eius radice moratur eam vescens. Quamuis autem nullæ tradantur nothę; tamen ex nomine, quod hucusque retinuit & ex effectu asserere possumus venenum id esse, quod scribit Auicenna similiter apud Dioscoridem putandum est inter Aconiti genera recenseri, quod Lycoctonum vocatur foliis venatoribus in vsu ad lupos interficiendos, & alia animalia: idcirco etiam Dioscorides indescriptam reliquit. Tria enim Lycoctoni genera esse tradit, vnum, quo vtũtur venatores, alia duo in suum vsum vertere Medici: describit autem solum tertium, quod Pōticum nominatur, de quo mox agemus.

CAP. XXXIII.

DVAE in montibus nascuntur frequentes in syluis, quas vulgō Dentarias vocant, distãt inter se magnitudine; nam maior folia fert ab radice diuisa in septẽ, vt plurimum partes, Ellebori nigri modo, mollia, angulosa Cicorij modo, inferius subcandida: caulem simplicem, cubitalem, aut paulo breuiorem, in cuius cacumine vnicum folium, similiter diuisum sustinet, è cuius sinu ramulus attollitur, in quo flores candidi, vt Leucoij & siliquę simplices, quod in hoc genere paucis contingit: radicem digiti crassitudine summa tellure oblique tendentem, frequentibus geniculis pulchre dearticulatã, colore candido, splendentem Alabastri modo, quasi dentes, vnde nomen assumpsit, quę tamẽ vetustate nigrescit, sobolem à lateribus candidam ferens: hæc tantum in

altissimis nascitur. Minor ad decliuiora etiam loca descendit; minoribus multo foliis, & in pauciores partes diuisis, in caule pluribus per interualla dispositis: radices simili figura tenues fert, nigricantes; flosculos purpureos: siliquas exiles: peculiare huic; nam in foliorum alis singulis sobolem gignit, quæ sunt radiculæ ex duobus aut tribus geniculis constantes, nigrę veluti parua Mora, quæ in terram decidentes germinãt: idcirco raro in hac reperiuntur flores, & siliquæ, cum sobole apta nata sit facilius, quam semine propagari. Altera etiam est huic similis, breuior, non ferens soboles supradictas. Lycoctonum Ponticum Dioscorides vocat inter Aconiti genera, inquit enim: plurimum in Italia nascitur montibus Iustinis: foliis effigie Platani, crebriore diuisura, multo longioribus, ac nigrioribus: caulem fert Filicis pediculo similem, nudum, cubitalem, aut maiorem: fructum in siliquis aliquantum longis: radices veluti Squillæ marinæ Cirri, nigrę, quibus vtuntur ad luporum venationes: nam crudis carnibus insertę & deuoratæ lupos enecant. Hæc descriptio longe magis quadrat Dentariæ vulgò appellatæ, quàm Napello: quamuis & illi folia sint Platani, at minora, non longiora, vt Dioscorides tradit. præterea radices Napelli quam similitudinem habeant cum Squilla marina non video: Squilla enim oblongam figuram habet, ac recuruam, squamis quibusdam intersectam: cui Dentariæ radices maxime assimilantur. Sed quis merito dubitaret; quia caulis nudus, quem Dioscorides Lycoctono tribuit, neque Dentariæ, neque Napello conuenit; folia enim vtręque ferunt non solum ab radice, sed & in caule. at hæc conditio Dentarię quidem quadrare posset, Napelo autem nequaquam: nam Dentaria vnicum folium in cacumine gerit, veluti Filicis pediculus, vt Dioscorides inquit: non enim caulis simpliciter nudus dicitur, sed veluti Filicis pediculus nudus, folium sustinens. Theophrastus Aconitum vocat, quod inquit in Creta nasci, & Zacyntho, sed plurimum optimumque in Heraclea Ponti: habet folium Cicoraceum: radicem similem figura & colore Squillæ (at hic vulgati codices non καρίδι legunt, idest Squillę similem, vt Dioscorides habet, sed καρύα, idest Nuci, qui error manifestus est) aiunt vim illam mortiferam in hac esse: folium autem & fructum nihil nocere: fructus autem est herbę non surculosæ: breuis ea herba est, nihilque superflui habet, sed instar Tritici, non tamen in spica fructum fert. nascitur vbique, & non in Aconis solum, vnde appellationem sortita est. is autem Vicus est Periandynorum: amat maxime loca petrosa: nec pecus ea pascitur, nec animal vllum componi quadam ratione affirmant, vt efficaciam habeat, nec nosse vnumquemque: idcirco medicos compositionis eius ignaros, & ad vsum putrefaciendi, & ad alia quæcumque, nullam impressionem facere, siue in vino, siue in melicrato propinetur. componi autem ita ferunt, vt cer-

tis

tis occidere tẽporibus possit videlicet bimestri, trimestri, semestri, anno cõpleto, nonnullam etiã biennio: at pessime illos de vita discedere volunt, qui plurimum temporis resistere possint: paulatim enim tabescat corpus, & languore pereat diuturno, est necesse: facillime illos, qui confestim obeunt, remedium nusquam esse compertum, sed falso dici quoddam aliud resistens illi nasci: non enim herba sed melle & mero & quibusdam huiusmodi seruari aliquos potuisse: atque id raro factum, summaque difficultate. Aconitum inutile iis, qui præparare ignorant, nec licitum possidere, sed capitalem pęnam institutam, temporis differentiã pro collectus ratione sequi autumant, mortes collectuum temporibus compares euenire. ex hac Theophrasti historia satis comprobari potest Aconitum Ponticum, quo & scatet Italiæ Apenninus Dentariam esse: foliorum enim segmenta Cicoracea sunt; simplex caulis, nullis ramis, vt Tritici, quod si quis experimento efficaciam forte non inuenerit, non mirabitur, si ea, quæ ex Theophrasto scripsimus, perlegerit.

CAP. XXXIIII.

VVLPARIA in Alpibus appellatur herba foliis alterius Napelli, non reticulati, paulo minoribus; cauliculis dodrantalibus, quorum cacuminibus flos insidet, Ranunculi modo aureus, latior, quo decidente capitulum gerit, ex multis siliquis breuibus farctum: radices fert fibrosas, vt Ranunculus, quibus vulpes necari tradunt. Altera folio constat rotundo, integro, tantum serrato; floribus minoribus; siliquis vt supradicta capitulum formãtibus: oritur in humectis Alpium.

CAP. XXXV.

QVAEDAM in Alpibus Liguriæ nascitur: foliis tenuissimè incisis, vt Floris Capuccij: floribus pallidis: radicibus binis, aut ternis, subrotundis, testiculorum modo: appellant Antoram, quamuis apud Hermolaum Syluaticum alia ostendatur sub eo nomine. Celebrant hanc aduersus venena Napelli, cum tamen videatur illi esse congener, & in eisdem locis nascatur. Putatur esse Zedoaria Auicennę, de qua inquit: sunt portiones similes Aristolochiæ, minores tamen & eiusdem virtutis: Et melior est illa, quæ cum Napello crescit, & eius vicinitas debilitat plantam Napelli: Efficacior est Doronico; nam resistit Napello, & est antidotum omnium venenorum. Alibi Algieduar & Zeduar vocat idem significans. Diximus in India Geiduar vocari radiculam, translucidam, Glandi similem, ad venena celebratam. At nostra nigra est exterius, interius candida, mollis, pinguis, & lenta, etiam cum

diutius asseruata fuerit, non sine quadam perspicuitate: sapor cum aliqua dulcedine, vt Doronici, sed linguam mordet: cum scissa est, nigredinem assumit. Videtur idem Auicenna hanc eamdem intellexisse, cum de Napello loquitur, inquiens appellari Napellum Moysi, quæ herba est nascens cum Napello, cum aliæ herbæ apud illum non crescant, aut non frutificent: & est maius antidotum ad Napellum: Sed cum addit eodē nomine intelligi animal, quod moratur in radice Napelli sicut mus, antidotum omni veneno, & viperę: murem Napelli alias vocat, qui eo nutritur: forte hæc radix ob figurę similitudinem muris nomine donata est. Alia verò est Zedoaria vulgaris, quæ Zurumbet ab Arabibus dicitur, vt alibi explicatur.

CAP. XXXVI.

PŒONIA in Alpibus nascitur: stolones ab eadem radice plures ineunte vere mittit, rubentes, crassos, qui in folia explicantur, ramosa, ramis tripartito assidue diuisis: foliorum segmenta oblonga sunt figura, & magnitudine Nucis Iuglandis: caulis simplex, rectus, semicubitalis, in cacumine vnicus flos, grandis, amplitudine Rosę rubens, quo decidente siliquas fert tres, aut quatuor, ex vno callo indiuersa tendentes, crassitudine Amygdalæ, recuruas: quæ in autumno dehiscentes semina ostendunt initio quidem rubra veluti Punici grana, postea autem nigra, subrotunda, crassitudine viciæ: radix crassa est, & ramosa, candida pulpa constans, graueolens: Pœonia mas vocatur. Altera fæmina foliis tantum distans & radicibus; folia enim numerosius diuisa sunt; ideo segmenta minora, inferius candicantia, & subhirsuta: radix diuisa, in orbiculos, alios quidem exacte rotundos, alios oblongos, figura Glandis, aut Asphodeli. Dioscorides vtrumque genus describit his verbis: caulis duorum dodrantum longitudine adolescit, comitantibus aliis, quāpluribus: folia masculæ Iuglandi similia, fęminæ diuisa, vt Smirnij; in cacumine caulis siliquas fert Amygdalis similes, quibus dehiscentibus grana reperiuntur rubra, exigua, multa, Punicis similia; aliis in medio nigris, purpurascentibus quinque aut sex. radix Mari digiti crassitudine, palmi longitudine, gustu astringens, alba: fæminę adiunctas habet veluti Glandes septem aut octo, vt Asphodelus. nascitur in altissimis montibus & prępruptis; Apud Theophrastum Theodorus Castam vertit inquiens, alij Dulcisidam vocant, noctu effodiendam præcipiunt: nam si interdiu & à Pico Martio quispiam visus sit, fructum quidem legens, oculis periclitabitur: radicem autem secans procidet in sedem. Plinius inquit vetustissima inuentu Pœonia est, nomenq; authoris retinet: nascitur opacis montibus; caule inter folia digitorum

qua-

quatuor, ferente in cacumine veluti Græcas Nuces, quatuor aut quinque: inest iis semen copiosum, rubrum, nigrumque: hæc medetur & Phaunorum in quiete ludibriis.

CAP. XXXVII.

DICTAMVM album vulgò appellatur in mõtibus nascens: pluribus ab eadem radice caulibus, cubitalibus, rectis, ramis quoque rectis: in quibus folia insunt diuisa, figura Fraxini; vnde quidam Fraxinellum vocant, odore medicato: Flores circa summos ramos sunt subrubentes, ampliores, Leucoio, odore Cinnamomi; siliquæ quaternæ, aut quinæ, latæ, ac breues, in quibus semina splendida, nigerrimi coloris, subrotunda continentur. radices ab eodem callo plures, sarmentosæ sparguntur, candidæ, amarę, quibus vtuntur ad lumbricos ventris Enecandos, ad venena & pestem efficaci admodum remedio.

CAP. XXXVIII.

AQVILEGIA vulgò appellatur herba, in syluis nascens, quæ & seritur in hortis ob floris pulcritudinem: folia fert ramosa Pœonia fæmina, sed rotundiora, candidiora, ac magis diuisa, effigie Chelidonij maioris: caules plures rectos, ramosos, læues, duorum dodrantum longitudine, in quibus pauca folia, ac minus diuisa, cacuminibus florem gerit speciosum, in multa foliola conuoluta digestum, caudiculis à tergo singulis, reflexis, vt singula imitentur columbas inuicem exosculantes; ideo quidam Columbinam vocant: color aliis inest cęruleus, aliis candidus; & in vtroq; genere alius simplicior est in partes quinque grandiores digestus; alius numerosis constat foliolis: decidente flore, siliquæ nascuntur quinque, oblongę & inuicem conuolutę, in quibus semina splendida, ac nigra vt Dictami albi continentur, tenuiora, in angulum acutum desinentia, sapore grato. radix subest breuis, & crassa. Theophrastus, vt puto, hanc Iasionem vocat, vt ex floris descriptione colligere licet: inquit enim inter florum differentias nonnulli etiam folio vno emergunt, descriptionem tantum plurium ostendentes, vt flos Iasione: in hoc enim haud quaquã folium vnumquodq; discernitur, nec conceptaculo pars infirma eget, sed postrema in angulos exeunt; hæc tantum habentur de Iasiona apud Theophrastum. Sed Plinius duobus in locis de Iasione agens, videtur diuersam intelligere: vno enim in loco Theophrastum sequutus inquit: Iasione vnum folium habet, sed ita implicatum, vt plura videantur: alibi inter olera inquit: & Iasione olus syluestre habetur, in terra repens, cum lacte multo: florem fert candidum,

dum, Concilium vocant, cuius commendatio ad ſtimulandos coitus: cruda ex aceto in cibo ſumpta, mulieribus lactis vbertatem præſtat: ſalutaris eſt phtiſim ſentientibus: infantium capiti illita nutrit capillum, tenacioremque eius cutem efficit. Hermolaus teſtatur apud Plinium vtroque loco pro Iaſione Laſſinam antea legi deprauate: forte autem in altera mentione non deprauate legebatur: ſignificari enim videtur genus conuoluuli, quod inter olera recipitur: vel in genere Rapunculi conſtitui poſſit; nã & hęc lacte ſcatet, & inter olera recipitur.

Finis Libri Quintidecimi.

AN-

ANDREAE CAESALPINI ARETINI

DE SVFFRVTICIBVS ET HERBIS. LIBER SEXTVSDECIMVS.

CAP. PRIMVM.

NVM tantum relinquitur plantarum genus, quod nullum ſemen molitur; idcirco neque verum caulem, neque florem gerit, ſed aut iis omnino caret; aut quædam cauli ac ſemini proportione reſpondentia, vt Equiſeti genera; quædam ex his radice tantum conſtare videntur, vt Tubera; quędam ſolo folio, vt Lenticula paluſtris; fungi pediculo & folio conſtant; Alga radice & folio. Quę radice conſtant pediculo & folio, ad perfectiores accedunt magis; ferunt enim in folio quid, quod vicem ſeminis gerit, vt Filix, & quæ illi affinia ſunt, de quibus primo dicendum eſt.

CAP. II.

FILIX copioſa naſcitur in montanis, & tenui ſolo, vt totos colles impleat: bicubitali altitudine, & ampliore: ſingulari pediculo attollitur, craſſo, duro, læui, ſtriato, cubitali, cuius cacumem finditur in ramos magnos, qui in alios minores finduntur, foliolis vtrinque oblongis, & anguſtis, frequentibus, ſerratiſque: in aduerſa parte furfuracea quædam lanugo eſt, copioſior in tenellis, nuper erumpentibus è terra; nam procedente tempore decidit, renaſcique compertum eſt ex ea lanugine: nam proiectis filicibus vbi antea non fuerint, oritur copioſe. A'Græcis Pteris vocatur, quia imitatur Auium pennas: Dioſcorides inquit: folia ſunt ſine caule, & ſine flore, & ſine fructu, ex vno cubitali pediculo inciſa, & alarum modo expanſa, odore ſubgraui: radicem habet in ſumma tellure nigram, oblongam, cui appendices multæ ſunt guſtu ſubauſtero: naſcitur in mõtoſis, petroſiſq; locis. Theophraſtus de Filice inquit: folia multifida, & quaſi ſerrata inſunt: hanc ſimo ſupericcto interire affirmant, interim & pecore incumbente. radix tantum vtilis eſt, ſapore ex dulci auſtero: Vermem latum expellit: ſemen non habet, neque ſuccum: præcidi tempeſtiue in autumno ferunt.

FILIX

CAP. III.

FILIX Fæmina in vmbrosis nascitur: multis ab eodem cespite foliis, simplici pediculo constantibus, statim à terra folioso, ferme cubitali: foliolis simili modo incisis, longioribus, instar prægrandis auium pennę. Dioscorides Theliphterin vocat idest fęminam Filicem: folia inquit fert Filicis, non singulari pediculo, vt illa, sed plures habentia appendices, ac productiones: radices longas, in obliquum tendentes, plures, ex nigro flauescentes, quasdam rubras. Theophrastus inquit: differt fęmina Filix à mascula, quòd folium vnico artu porrectum hęc habet, & radicem crassam, & longam & nigram; vtilis hæc contra interraneorum animalia lata melle subacta: & contra tenuia in vino dulci cum farina hordeacea data: si mulieribus grauidis detur, abortum facere; si cæteris, steriles in totum reddere aiunt. Plinius Filicis inquit duo genera, nec florem habent, nec semen: Phterin Græci vocant; alij Blechon: cuius ex vna radice quamplures exeunt Filices, bina etiam cubita excedentes longitudine, non graues odore: hanc marem existimãt. Alterum genus Theliphterin Græci vocant, alij Nymphæam Phterim: est autem non singularis, atque fruticosa, breuior, molliorque, ac densior; foliis ad radicem canaliculata, vtriusque radice sues pinguescunt. folia vtriusque lateribus pinnata; vnde nomen Græci imposuere. radices vtrique longę, in obliquum nigræ, præcipue cum inaruère; siccari autem eas sole oportet. nascuntur vbique, sed maxime frigido solo: effodi debent Vergiliis occidentibus: vsus radicis in trimatu tantum, neque ante, neque postea. pellunt interaneorum animalia: ex his Tineas cum melle, cætera ex vino dulci triduo potæ. vtraque stomacho inutilissima: aluum soluit primo bilem trahens, mox aquam. neutra danda fęminis; quoniam grauidis abortum, cæteris sterilitatem facit. Fæmina earum tetris vlceribus inspergitur: iumentorum quoque ceruicibus: folia Cimicem necant, serpentem non recipiunt: ideo substerni vtile in locis suspectis: vstę etiam fugant nidore. Filix biennio moritur, si frondem agere non patiaris: id efficacissime contingit germinantis ramis baculo decussis: succus enim ex ipsa defluens necat radices. aiunt & circa Solstitium auulsas non renasci, nec Harundine sectas, aut exaratas vomeri Harundine imposita, similiter & Harundinem exarari Filice imposita vomeri præcipiunt.

CAP. IIII.

FILIX paluſtris prouenit in paluſtribus Piſanis, non limoſis, ſed arenoſis, fruticoſa; pluribus ſcilicet ab eodem ceſpite foliis, fere bicubitali altitudine, ramis ad latera prælongis, ac firmis, foliolis non ſerratis, lęuibus; at denſa lanugine, ſubnigra obſitis, antequam explicentur: explicantur autem prius inferiora, quam ſuprema: ideo ſupremæ ramulorum partes fructus videntur non folia: totum folium videtur eſſe Abietis ramus, ſed foliolis latioribus.

CAP. V.

FILICIS quoddam genus paruum in montibus reperitur, locis vmbroſis, ſæpe in vetuſtis caudicibus, aliiſque muſcoſis locis: foliis ab eadem radice multis, ſimilibus Filici fæminę, anguſtioribus, duorum dodrantum longitudine: duorum generum vnum foliolis nequaquam ſerratis, vt Polypodium: alterum iiſdem tenuiſſime denticulatis, hirſutioribus, in parte aduerſa ferrugineis veluti furfuribus. Dioſcorides Dryopterim vocat quaſi Roboris Filicem. in muſcoſis inquit partibus vetuſtarum Quercuum naſcitur, Filici ſimilis, ſed multo minoribus inciſuris: radices habet inuicem implexas, hirſutas, acerbi guſtus ad dulcedinem vergentis. Plinius inquit Dryopteris Filici ſimilis in arboribus naſcitur, tenui foliorum ſubdulcium inciſura; radice hirſuta: vis ei cauſtica eſt; ideo Pſilothrũ eſt radix tuſa: illinitur enim vſque dum ſudores euocet: iterumque & tertio, ita ne ſudor abluatur.

CAP. VI.

POLYPODIVM in collibus placidioribus naſcitur, locis muſcoſis iuxta caudices vetuſtos Roboris, aut in petris, & parietibus: radicibus ſub muſco ſerpentibus, digiti parui craſſitudine, acetabulis quibuſdam per interualla, imitatione Polypi animalis, quæ veſtigia ſunt foliorum, poſtquam abſceſſerint: hę exterius nigræ, & villoſę ſunt; interius ſubuirides, guſtu ſubdulci, ac nauſeoſo: folia ex ſingulis acetabulis ſingula exeunt, dodrantis longitudine, ſimilia paruæ Filici, ſectionibus rarioribus, non ſerratis: in aduerſa parte puncta quædam ſunt lanuginoſa, nigricantia. Dioſcorides inquit: in petris muſcoſis naſcitur, & ſub truncis ſylueſtribus Roboris, dodrantali altitudine; folio Filicis, ſubhirſuto, inciſo, non tamen adeo tenuiter: Radice hirſuta, ſimili Polyporum Cirris, digiti parui craſſitudine, intus coloris herbacei,

sapore ex acerbo subdulci. vim habet purgandi: decocta in Iure pulli, aut Betę, aut Maluę: arida quoque in mulsa datur: trahit pituitam ac bilem. Mesues atram bilem trahere testatur, & crassam pituitam, sed imbecilliter; adiuuari seminibus calidis, odoratisque vt Dauci, Anisi: mensuram iustam esse à drachmis duabus ad sex. Apud Theophrastum Theodorus Fidiculam vertit: radix inquit hirsuta, & acetabulis cauernosa, ceu Polyporum Cirri: purgare inferius apta est: vbi quis eam contigerit Polypum innasci affirmant: habet autem folium simile Filici magnæ: nascitur in petris; post imbres semper erumpit: semen autem non fert. Plinius inquit: detrahit bilem Polypodium, quam nostri Filiculam vocant; similis enim est Filici: radix in vsu pilosa, coloris intus herbacei, crassitudine digiti minimi, acetabulis cauernosa, ceu Polyporum Cirri, subdulcis, & in petris nascens, aut sub arboribus vetustis. exprimitur succus aqua madefacta, & ipsa concisa, inspergitur oleri & Betę & Maluę, vel salsamento, vel cum pulticula coquitur ad aluum lenitet soluendam, vel in febri. detrahit bilem & pituitam: stomachum offendit, aridę farina indita naribus polypum consumit: florem & semen non fert.

CAP. VII.

LINGVA Ceruina, & Scolopendria vulgò appellatur, folium in longitudine productum. Figura lienis, longius Polypodio, integrum, nullis incisuris, lęte virens, in aduersa parte nigram lanuginem habens veluti in vermiculos digestam multa autem ab eodem cespite exeunt ex radicibus nigris, fibrosis: oritur in vmbrosis lapidibus, & iuxta vetera sepulchra. celebris ad lienem extenuandum decocta in aceto, vel aqua distillata in potu. Theophrastus Scolopendrion vocat, quam Theodorus Linguam Ceruinam vertit: ei comparantur folia Hemionij, quæ Mula à Theodoro vocatur. videtur Scolopendrij nomen inditum ob vermiculorum figuram, qui à tergo foliorum sunt. Sed alia apud Dioscoridem Scolopendrium intelligitur, quod scilicet Asplenum vocatur. Galenus tamen Scolopendrium diuersum ab Aspleno facit, hanc intelligens, quam laudat ad lienem, vt Asplenum. Dioscorides Phyllitim vocat, cui inquit: folia sunt Lapatho similia, longiora, viridioraque, sena aut septena, recta, quæ anterius læuia sunt, à tergo autem veluti vermiculos habet adnexos, paruos: oritur in vmbrosis & viridatiis, gustu acerbo, neque caulem, neque fructum, neque florem fert.

CAP. VIII.

HEMIONITIS Romę nascitur in vetustis ædificiis, vmbrosis, & humectis similis Linguę Ceruinę; breuiore folio, & inferna parte latiore, excauatoque adnexum pediculi, in angulum acutum fastigiato, figura sagittæ. Dioscorides inquit Hemionitis quidam Splenion vocant: folio Dracuntij lunato: radicibus multis, tenuibus: neque caulem, neque fructum, neque florem fert: nascitur in petrosis, gustu subastringens: hęc cum aceto pota lienem absumit. Plinius Hemionion vocat, & Teucrion, quam Teucer inuenit spargentem Iuncos tenues: folia cutua: asperis locis nascentem: austero sapore; numquam florentem; neque semen gignit: medetur lienibus: constatque sic inuentam: cum exta super eam proiecta essent, fertur adhęsisse lieni, eumque exhinanisse, ob id à quibusdam Splenion vocatur: Narrant sues, qui radicem eius edunt, sine Splene inueniri. Aliam mox subiungit Teucrion: ramis Hyssopi, de qua nos alibi egimus. Apud Theophrastum Hemionios vocatur. Theodorus autem Mulam vertit: inquit eius folium sterilitatem mulieribus facere, vt tradunt, si aliquid vngulæ, ac seminis Muli animalis misceatur: constat hęc folio Linguę Ceruinę: radice numerosa, & tenui: Montanas planities, & saxosas amat: Mulas hac herba plurimum delectari affirmant: vsus eius ad lienes.

CAP. IX.

CETRACH vulgò appellatur in petris, & parietibus vetustis, herbula folio digitali, raris vtrinque diuisuris, non coniugatim, sed alternatim digestis: color superne virens, inferne rubigo quædã inest, furfurosa, initio argentea, postea flauescens. Dioscorides Asplenum vocat, alij inquit Scolopendrium appellant: folia habet Scolopendræ animali similia, multa ab radice vna: gignitur in parietibus, & petris opacis, qua cauernulæ sunt; sine caule; sine flore; ac sine semine: incisa autem sunt instar Polypodij, inferne subflaua, & hirsuta, superne viridia. Galenus Asplenum diuersum facit à Scolopendrio, vt superius notauimus in Lingua Ceruina. Plinius Asplenon, inquit, sunt qui Hemionion vocant: foliis trientalibus, multis: radice limosa, cauernosa, sicut Filicis, candida, hirsuta; nec caulem, nec florem, nec semen habet: nascitur in petris, parietibus opacis, humidis: laudatissima in Creta: Victruuius testatur pecora huius pastu sine liene inueniri; sed perturbata videtur apud Plinium descriptio; cum radici tradat, quæ partim loco, partim foliis cõueniunt: non enim radix cauernosa traditur à Dio-

ſcoride, ſed in cauernulis ſaxorum naſci: neque ſimilitudo Filicis candor, & hirſuties radici Aſpleni conuenit, cum ſit valde tenuis, & fibroſa, inter difficultates ſaxeas vix extirpabilis: ſed foliis potius hæc conueniunt, aut igitur Plinius aliam intellexit, vt eam, quam Polypodio ſimilem diximus inter paruas Filices, aut deprauatus hic locus eſt.

CAP. X.

QVODDAM genus Cetrach naſcitur in Ilua, locis æditis, & ſaxoſis: folio dodrantali, ramoſo, ac magis hirſuto, in cæteris per omnia ſimile. apud Dioſcoridem Lonchitis aſpera vocatur: folia inquit fert Scolopendrio ſimilia, aſperiora, & maiora ac magis diuiſa: vulneribus prodeſt ab inflammatione defendens: liquat & lienem ex aceto pota.

CAP. XI.

POLYTRICVM vulgò appellatur, in parietibus humidis naſcens: folio anguſtiore, quã Cetrach, pediculo valde tenui, nigro, ſplendente, in quo foliola rotunda, magnitudine Lentis, coniugatim digeſta ſunt, punctis à tergo lanugineis. Dioſcorides Trichomanes vocat: quidam inquit & Adianton appellant: oritur in eiſdem locis, vbi Adiantum ſimilis Filici, admodum parua: tenuibus foliis ex vtraque parte inuerſus digeſtis, inuicem oppoſitis; figura Lenticulę in virgulis tenuibus, ſplendentibus, ſubnigris, acerbis: Theophraſtus Trichomanes inquit (Theodorus Filiculam vertit) ad diſtillationes vrinæ vnicè facit, vt quidam exiſtimant: caulem Adianto nigro ſimilem gerit: folia admodum parua, denſa, aduerſa inter ſe condita: radicem minimam: amat loca opaca.

CAP. XII.

CAPILLVS VENERIS vulgò appellatur herba naſcens in puteorum & fontium parietibus, aliiſque ſpecubus, aqua frigida irrigatis: pediculi ſunt tenuiſſimi capillorum inſtar, nigricantes, ac ſplendidi, ramoſi, palmi longitudine, folia ſuſtinentes ex viridi flaueſcentia, ſubrotunda, & inciſa, Apij modo, punctis quibuſdam à tergo: odor ineſt veluti Fungi. Meſues recentem inter purgantia eſſe teſtatur: nam ducit bilem & pituitam craſſam, quamuis ſiccatus faciat ad alui fluxum conſtringendum: expurgat quæ in pulmone, & quæ in renibus continentur: calculum frangit. Dioſcorides Adianton vocat, & Polytricum:

lytricum : inquit folia fert Coriandro ſimilia, diuiſa in extremo, quæ è cauliculis enaſcuntur, nigris, valde tenuibus, dodrantalibus, ſplendidis. Folia Filicis videntur, valde parua; ſine caule; ſine flore; ſine ſemine : radice inutili : naſcitur in vmbroſis, & paluſtribus, & in parietibus humectis, & iuxta fontes. Theophraſtus Adiantum appellatum ſcribit; quia in aqua numquam madeſcit: Theodorus aliquando Adiantum, aliquando Capillum Veneris vocat : perpetuo viret : eius genera duo candidum, & nigrum, ambo ad defluuium capillum vtilia oleo trita : naſcuntur maxime locis humidis. Plinius Adiantum nigrum idem cum Trichomane intelligere videtur : album autem id, quod maius eſt : quale deſcribitur à Dioſcoride : inquit enim : Adianto miraculum : æſtate viret: bruma non marceſcit : aquas reſpuit perfuſum : merſum ſicco ſimile eſt; tanta diſſociatio deprehenditur; vnde & nomen à Græcis; alioqui enim frutici Topiario; quidam Collitrichon vocant; alij Polytrichon, vtrumque eſt ab effectu : tingit enim capillum, & ad hoc decoquitur in vino cum ſemine Apij, adiecto oleo copioſe, vt criſpum denſumque faciat : defluere autem prohibet : duo genera eius, candidius, & nigrum, breuiuſque. id quod maius eſt Polytrichon : aliud Trichomanes vocant : vtrique ramuli nigro colore nitent : foliis Filicis, ex quibus inferiora aſpera, ac fuſca ſunt: omnia autem contrariis pediculis denſa inter ſe ex aduerſo : radix nulla : vmbroſas petras parietumque aſpergines, ac fontium maxime ſpecus ſequitur, & ſaxa manantia, quod miremur cum aquas non ſentiat. calculos è corpore mire pellit; frangitque vtique nigrum : qua de cauſa potius, quàm quòd in ſaxis naſceretur, & à noſtris ſaxifragum appellatum, crediderim : bibitur è vino quantum terni decerpſere digiti, & quæ ſequuntur. Sed quamuis Plinius Adiantum nigrum Trichomanes appellari tradat, aliud tamen eſt. vtrumque apud Theophraſtum.

CAP. XIII.

ADIANTVM nigrum in ædificiis antiquis, opaciſque naſcitur : foliolis ramoſis vt Capilli Veneris, breuioribus multo, ac tenuius diuiſis, craſſioribus, nigrioribuſque, quibus lanugo tenuis eſt à tergo nigricans : alicubi pro Capillo Veneris vtuntur. Hanc puto ſumendam apud Medicos recentiores, cum Adiantum recipiunt diuerſum à Capillo Veneris. aliud genus Adianti nigri in frutetis naſcitur, locis aſperis, maius ſupradicto, dodrantali ſcilicet longitudine, ſectum in multos ac pretenues ramulos, pediculo nigro, ſplendido, craſſiore quàm Capilli Veneris : foliolis ſciſſis, minutiſque, vt prędictam, nigra, ac tenui lanugine in parte aduerſa : officinę Adiantum vocant, eadem in

mon-

montibus reperitur: paucioribus ramis. Quæ scribantur de Adiantho nigro à Theophrasto & Plinio superius explicatum est.

CAP. XIIII.

IN montibus Liguriæ duæ reperiuntur pediculis in tres partes assiduè fixis. ac singulis sectionibus in terna folia desinentibus, vt in nostra Imperatoria. Alteri folia digiti longitudine pollicis latitudine insunt in gracilitatem fastigiata: alteri latiora ac breuiora figura Hederæ, in ambitu frequentibus, quasi aculeis exornata, odore ingrato, sapore fatuo, & subastringente. Apud Dioscoridem Epimedium in hunc modum describitur. Caulis est non magnus, Hederæ foliis, denis, duodenisue, nunquam sementescens, aut florescens: Radicibus nigri, tenuibus, graui odore, gustu fatuo: nascitur in humidis: folia ex oleo cohibent virginum mammas: Radix abortum facit: folia drachmis quinque in quinque dies in vino pota post purgationes conceptum impediunt. Plinius eadem tradit.

CAP. XV.

EQVISETI genera, quam vulgò Asprellam vocant. peculiarē constitutionem sortita sūt: nam tum caules, tum folia internodiis cōstant inuicem commissis, vt vnum in alterum inseratur tubarum modo: caules ferunt simplices, rectos, & concauos: foliis veluti pilis in orbem dispositis circa articulos, asperis: pleraque sine fructu sunt: quæ fructum ferunt, in cacumine capitulis oblongis, congestum habent, granis nigris, asperis, & farctis constantem, sine vllo flore: radix tenuis nigra, & lignosa tota planta gustu acerbo constat. differunt magnitudine & paruitate, & colore: nam caulis color, aliis viridis, aliis niger, aliis candidus. Quædam igitur longissimo caule constat in sæpibus scandens frutices, colore nigro, parte inferiori: foliis breuibus, & paucis, aliquando nullis: capitulo in cacumine oblongo: alia breuiora ac magis foliosa, in aruis frequentia, colore viridi, & sterilia: inter hæc quædam ab imo ramosa sunt; quędam simplicia. Tertium quoddam genus est in humectis nascens: caule candido, tenellæ Harundinis modo, cęteris crassiore, frequentibus geniculis, ac numerosis foliis: hæc floret tantum, at fructum non fert: flos veluti Amentum est è terra primo vere erumpens, antequam caules exeant, forma spicata, colore candicante, tenellus, esui aptus more Asparagi Menzuculum vocant, & Asparagum palustrem puto apud Galenum, vt dictum est in Asparago, eius autem planta Polygonus fæmina est apud Dioscoridem.

dem. Quas autem primo loco descripti. Dioscorides Hippurim vocat, quasi caudam Equinam: neqũ tamen speciem quamdam à nostris diuersam, quam primo loco describit, inquiens: in riguis, & scrobibus nascitur: cauliculi eius inanes, geniculati, in se farcti rubescentes, leniter scabri: folia circa eos iuncea, crebra, exilia: attolluntur in sublime, arborum caudices scandentes, & obuoluti pendent, comis multis, nigris vt Equorum cauda: radix lignosa, & dura: herba astringentis saporis. Alterum genus inquit caule recto constat, cubitali, aut maiori, inani; comis per interualla breuioribus, candidioribus, molliorib̃usque. insinuat autem ea, quæ apud nos in aruis & sæpibus nascuntur. Quod autem tertio loco descripsi, Polygonum fęminam vocat, cuius descriptio in hunc modum habet: Vnico caule fruticat, Harundini tenerę simili, densis geniculis, in se farctis, tubarum modo: articulos in orbem cingunt apices, foliolis Piceæ similes: radix nullius vsus: oritur in riguis. Plinius de Equiseto inquit: Hippunis dicta à Græcis in pratis nascens, vituperata à nobis: est autem pilus terræ Equinę, setę similis: lienem cursorum extinguit: decocta in fictili nouo ad tertias quantum vas capiat, & per triduum heminis pota. Gręcorum varia circa hanc opinio. Alij Pini foliis similem, nigricantem, eo nomine appellant: alij iuxta arbores nasci, & scandentem eas, dependere comis lunceis, multis, nigris, vt est Equorum cauda, geniculatis ramis: folia habere pauca, tenuia, exigua: semen rotundum, simile Coriandro: radice lignosa: nasci in arbustis maxime. Ex quibus manifestum est ipsum describere primum genus apud Dioscoridem, cui aliqua ex parte apud nos respondet, quod primo loco descripsi. subiungit præterea: faciunt & aliam Hippurim, breuioribus, & molliorib̃us comis candidioribusque: per quam vtilem ischiadicis, & vulneribus propter sanguinem sistendum: quæ ex Dioscoride in secunda Hippuri assumpta sunt. alibi Equiselim vocat inquiens: inuisa & Equiselis est à similitudine Equinæ setæ. Alibi inter Genera Polygoni, quam Dioscorides fęminam vocat. Plinius tertium genus inquit: Orcon vocatur in montibus nascẽs Harundini tenerę simile: vno caule, densis geniculis, & in se farctis: foliis autem Piceæ: radicis superuacuę, inibi quartum Polygoni genus addit, intelligens primum Dioscoridis Equisetũ, quod sylucstre appelletur: pene arboris modo frutex: radice lignosa; stirpe Cedri, rubicundo: ramis Sparthi, binum palmorum, nigris geniculorum ternis, quaternisue articulis: huic quoque spissandi nãtura, sapor Mali Cotonei.

SIMILIS

CAP. XVI.

SIMILIS Equiseto oritur in fluminibus, fere stagnantibus: capillaribus foliis, numerosissimis. Plinius ex Castore pota Mogeton appellari tradit: tenui folio veluti Equinis setis, Thyrso longo & leui, in aquosis nascentem: radice sanabat strumas, & duritias sed alia est Potamogeton apud Dioscoridem.

CAP. XVII.

LINGVA Serpentina, & à quibusdam recentioribus Ophioglossa vocatur, ab aliis Lucciola; quia noctu lucet; oritur in pratis, pręcipue montibus inter filices: exit mense Aprili ex radice, Ellebori modo, fibrosa, vnicum folium, figura paruæ Betæ carnosum, nulla discurrente vena; leue, erectum, è cuius sinu pediculus attollitur, simillimus linguæ serpentis, bifurcatus, non tamen sectus, sed cohærentibus particulis: in quibus vestigia sunt seminis, at semen nullum conspicuum continetur: folium id celeriter disperit aduentante scilicet æstate: ideo reliquo tempore non visitur: viuit tamen radicibus, quibus & copiose propagatur: laudant ad vlcera maligna, & ramices puerorum exterius illita: oleum efficiunt ex eius infusione, quod glutinat vulnera, & rupta.

CAP. XVIII.

LVNARIA minor cognominata, seu racemosa: Ophioglossæ affinis est; vnico enim exit folio incipiente ęstate, quod cito disperit: oritur in saxis, locis alpestribus, ac frigidissimis, pediculo dodrantali ab radicibus fibrosis: folium angustum digiti longitudine, sectum vtrinque, in septena fere foliola, subrotunda, cordis effigie: putatur totidem habere folia, quot luna dies habet; vnde Lunaria dicta est: Quod nequaquam mirum videri debet si incipiente Luna incipiat eius exortus: augetur enim indies foliorum numerus particulatim explicato folio, vt etiam in Filice contingit. ex sinu pediculis attollitur diuisus in multos ramos, racemi modo, colore herbaceo, in quibus vestigia tantum sunt seminis: Frigido ac sicco temperamento constat, subastringens, efficax ad vulnera glutinanda, ad supprimendos menses, & albos mulierum fluores: Chimici hanc in arcanis habent promittentes eius succo argentum viuum coagulari.

CAP. XIX.

LICHEN apud nos, vulgò Fegatella vocatur, quasi Epatica: folia sunt quasi Lactucæ, in extremo fimbriata, quæ hærent petris, humectis, & locis vmbrosis, villis quibusdam à tergo positis: obrepunt autem aliis ex se inuicem orientibus, vt totos aliquando parietes conuestiant extremis labris solutis à lapide, sub quibus veluti caulículi exeunt, capillares, quibus tamquam flosculi insident, stellati, colore herbaceo: similis nascitur in solo vmbroso, sed parua & inutilis. laudatur à recentioribus ad Epatis calidam intemperiem: nam refrigerat & siccat, ac tollit obstructiones ob partium tenuitatem: sanat Icteritiam: decocto eius assumpto, aut aqua distillata: purgat leuiter humores adustos, & crassos, si in magna copia assumatur, vt pondere librarum duarum eius decoctionis: quo remedio iterato per multos dies sanatos multos vidi ex maligna scabie, & vlceribus exedentibus: oportet autem singulis diebus nouam decoctionem parare, præcipue autem cum sero lactis. Dioscorides de hac inquit Lichen, qui in petris nascitur, quidam Bryon vocant, muscus est adhęrens petris madidis: illitus sanguinis profluuia sistit: inflammationes arcet: curat impetigines, quas Græci Lichenas vocant, & morbum regium cum melle: emendat & oris ac linguæ fluxiones. Galenus, est, inquit veluti Muschus quidam, sed recte ex plantarum genere censeri potest sic nominatus; quia Lichenas id est impetigines curat; extergentem, & modice refrigerantem facultatem habet, vtramque vero resiccantem: abstergentem quidem atque exsiccantem à petra obtinet, refrigerantem vero ab humore aqueo: nascitur enim in humidis, & grauiter olentibus saxis. Sed incertum est an hi plantam intellexerint quam prædiximus: Bryon enim apud Dioscoridem capillis potius constat, quam foliis: vt patet in Muscho marino, & eo, qui in arboribus nascitur. Profecto apud Theophrastum Bryon Marinum folio Lactucę constat, æque ac nostra hepatica. Plinius Lichenis nomine vtrumque significari ostendit, cum inquit: Lichen herba Lichenis remediis omnibus præfertur, inde nomen inuento: nascitur in saxosis: folio vno ad radicem lato: caule vno, paruo: longis foliis dependentibus, hęc delet & stigmata, teritur cum melle est aliud genus Lichenis, petris tantum adhęrens, vt Muscus, qui & ipse illinitur: hic & sanguinem sistit vulneribus, ac reliquas vtilitates recenset, quas Dioscorides tradit. Alibi de hoc secundo loquens inquit: in syluestribus & satiuis prunis est limus arborum, quem Græci Lichena appellant, ragadiis & condilomatis mire vtilis. Significare autem videtur Plinius per primum genus Lichenis nostram hepaticam; lato enim folio vno constat, radici

adnexo; vnde cauliculus exit sustinens foliola oblonga, veluti flosculum; per alterum vero genus indicat villosam substantiam, & virentem, non solum in petris, sed & caudicibus arborum vetustis inhærentem, diuersam ab in canis villis, qui ex ramis quarumdam arborum pendent, quod Dioscorides simpliciter Bryon vocat.

CAP. XX.

PVLMONARIAM vocant quoddam genus Lichenis in caudicibus vetustis Quercuum, albidius, & siccius, horridiusque prædicto, maculosum, odore Fungi; punctis quibusdam veluti bullis signatum: color à tergo flauescit: laudant ad pulmonis vitia, ad tussim siccam, & spirandi difficultatem puluere eius cum saccaro assumpto, aut vino, in quo per noctem macerata fuerit. Veterinarij puluere vtuntur cum sole ad pecorum tussim, & asthma.

CAP. XXI.

MVSCVS vocatur omnis villosa substantia, sordi potius similis, quam plantæ, aut caudicibus annosis hęrens, præcipue vmbrosis, aut saxis madidis: aut in aquis palustribus, aut Mari: Bryon à Græcis vocatur: cuius varia genera etiam diuersis nominibus donata sunt; nam quidam Lichen vocatur, de quo egimus: quoddam Splachon: Quoddam Bryon Thalassion: lenticula quoque palustris inter muscos recensetur, de quibus singulis dicemus. Quoddam in parietibus, & tegulis nascitur: denso ac villoso cespite instar Monticuli; vnde eriguntur, aureo colore capilli, setis porcinis similes, at breues, sustinentes in cacumine tenue capitulum, oblongum: putant apud Apuleium Polytrichum appellari: nascitur id, inquit, in parietibus, & vuidis locis, habetque ramusculos quasi seta porcina. Sed incertum est vtrum intelligat Dioscoridis Polytrichon idest Capillum Veneris: nam & Mesues eius ramulos comparat setis porcinis. Vires huic tribuunt easdem, quæ Adiantho conueniunt.

CAP. XXII.

EX Musci genere est, quæ pro Spica Celtica quōdam vendebatur, in montibus nascens vmbrosis, iuxta caudices, numerosis ramulis serpentibus, circa quos frequentia sunt foliola, & cacumi-

bus

bus capitula Equiseti. Extat in hoc genere differentia magnitudinis & paruitatis. Quoddam folia Cupressi omnino imitatur, sed compressa hæc sunt non rotunda, similiter ramosa, & inuicem particulis insidentibus: capitulis caret: constat sapore astringente.

CAP. XXIII.

ILLVD genus Musci, quod priuatim Splachnon vocant, ex vetustis quibusdam arboribus pendet, absque radice: veluti pediculi sunt ramosi, sine foliis longissimi instar Iubę, colore candido, aut cinereo: præcipue ex Robore antiqua, aut Abiete, qui & odorati sunt: vtuntur vnguentarij ad pulueres odoratos, & suffimenta cōponenda; Vsneam vocant. Dioscorides Bryon & Splachnon, oriri inquit in Cedro, Populo alba, & Quercu: optimum tamen Cedrinum proximum Populneum, in quo genere candidum, & odoratius pręstat, nigricans improbantur. Plinius inquit Sphagnos, alij Bryon vocant: sunt hoc nomine cani arborum villi, quales in Quercu maxime videmus, sed odore præstantes, maxime in Cyrenaica prouincia: secundum locum obtinet Cyprius, tertium Phœniceus: fertur & in Aegypto nasci, & in Gallia: laus prima candidissimis, atque altissimis: secunda rutilis: nulla nigris: & in Insulis petrisque nati improbantur, omnesque quibus palmarum, atque non suus odor inest. Alibi idem Plinius vuam Populi Albę inquit Bryon appellari, est autem eius fructus, vt suo loco patet.

CAP. XXIIII.

MVSCVS Marinus lanugo est capillosa, in scopulis maris reperta modò lapillis, modò testis, modò aliis fruticibus marinis inhęrens, præcipue Corallo, quam Corallinam vocant: mollis quidem quamdiu sub aqua est, extractus autem & siccatus riget ob sal suginem: quidam erectus; quidam humi sparsus: color varius, nunc albus, nunc rubens, aut flauescens, aut cinereus, aliquando niger, quidam & herbaceus, mollior. vtūtur Medici puluere Corallinæ drachmæ pondere in vino ad lumbricos enecandos, pellendosque: habet enim maris amaritudinem cum astrictione. Dioscorides Bryon Thalassion vocat: nascitur, inquit in lapidibus & testis iuxta mare; capillaceum, gracile, sine caule, sufficienter astringens. Theophrastus inter genera Phycus recenset; appellat autem Trichophyllon (Theodorus Algam Crinito folio cognominat) est inquit Fęniculo simile, non herbaceum, neque pallidum, neque caulem habet, sed quasi rectum in se ipso: nascitur id in testis & lapidibus, non vt alterum genus in terra: vtraque tamen pro-

pe terram nascuntur: & Trichophyllon terræ proprius est; sæpe autem quasi alluitur tantum à Mari. Plinius Theophrastum sequutus inter Phycus genera inquit; capillaceo folio simile Fęniculo; in saxis nascitur, superius in vadis, haud procul littore.

CAP. XXV.

ALGA in vadis limosis nascitur profundioribusque: expellitur autem ad lictus cum fluxu: radices fert digiti crassitudine, geniculatas, nigras, humi repentes, ramosas: quæ in multas veluti spicas desinunt, pilis scilicet candidis, singulos geniculos circumuestientibus, similitudine spicæ Nardi: è spicarum cacuminibus exeunt folia, in longitudinem producta, similia Thyphę palustris, graciliora, mollioraque, initio virentia: dein cum exsiccantur, albescunt: vtuntur iis pro tomento interiectis vasis vitreis, ne frangantur: sunt qui & culcitras implent, quod hydropicis confert, & podagricis. Videtur Dioscorides Gnaphalion appellasse, cuius foliis albis, mollibusque aliqui pro tomento vtũtur: bibuntur efficaciter folia in vino austero ad dissenteriam. eadem Galenus & Plinius. Ex hoc genere est grande quoddam folium, æquale, ac planum, simile prælongis cartarum schædis, quod ex Medera aduehitur cum saccaro: vtuntur enim eius foliis pro veste, ac tomento, ne panes sacchari atterantur. Minimum etiam quoddam genus reperitur angustissimis foliis, huius cauliculum vidi spicosum, Gramini similem, dodrantalem, cui lanosa substantia inferne erat agglutinata, qualis Adarce fertur apud Dioscoridẽ. Theophrastus Phycos inter frutices marinos, Theodorus Algã vertit, multas inquit species habet: vnum lati folium, extensum, colore herbaceo, quod Prason, idest, Porrum vocant quidam, alij Cingulum: radicem habet exterius pilosam, sursum autem spectantibus, squamulis admodum longam, & crassam, similem Cæpis Getyis: oritur non in lapidibus vt Trychophyllon, sed in terra, propè littus tamen, at in profundiore vado: in extero autem Mari circa Herculeas Columnas admirabili magnitudine crescit, vt referunt, & maiori latitudine quàm palmi: fertur hoc cum fluxu in Mare internum, tantaque inibi quibusdam in locis multitudine aggregatur, vt supra vmbilicum excedat: vocant autem ipsum Porrum: ferunt annuum esse: nasci vere desinente; uigere ęstate: autumno tabescere: hyeme autem interire & decidere. His Theophrastus ostendit, & nostratem Algam, cuius radices Cæpis Getyis comparantur: spicæ enim, quas diximus, huiusmodi Cępas referunt, quas vulgò Maligias vocamus. & grande illud genus, quod aduehitur ad nos cum saccaro ex Ocæano Atlantico: latissimis enim eius foliis saccari panes conuestiunt. De Trichophyllo, quod inter Phy-

cus

cus genera recenſetur, diximus in Muſco Marino. Quartum præterea genus Pelagium inquit, eſſe, quod ſpongiarij in alto expiſcantur: in Creta autem naſcitur, propè littus in petris plurimum, & pulcherrimum, & quo inficiunt non ſolum vittas, ſed etiam Lanas, veſteſque colore, quamdiu recens infectio ſit, pulchriori quam purpuræ: gignitur autem & in parte ſpectante Aquilonem copioſius, & pulchrum, vt ſpongię & alia huiuſmodi. Hoc genus apud nos nequaquam viſum adhuc eſt. Aliam plantam in eiſdem locis naſci tradit ſimilem Gramini; nam folium huiuſmodi fert, & radicem geniculatam, longam, oblique tendentem, vt Gramen: caulem autem emittit Harundineum, modo Graminis, ſed hæc multo minor eſt quàm Phycos: Hęc quoque reperitur in noſtro Mari. Alibi Cyperum Phleum, Phycos, Butomum, folia ſimilia habere ſcribit. Dioſcorides Phycos Thalaſſion vocat inquiens; vnum latum eſt, alterum oblongum, & purpuraſcens, quoddam autem album: Quod autem in Creta naſcitur prope terram, valde floridum eſt, & incorruptum. omnia refrigerandi vim habent, podagris, & inflammationibus vtilia ſi applicentur humecta adhuc, antequam ſiccentur. Id quod rubrum eſt, Nicander ictibus venenatis mederi tradit, quod aliqui putarunt id eſſe, quo mulieres vtuntur, cum earum fucus radicula ſit. de ruffa Alga Plinius inquit: Scorpionum ictibus vtilem eſſe. Videtur Dioſcorides indicaſſe Phycus nomine ſolas Algas, quas diſtinxit & folij latitudine, & colore: nam vere lato folio conſtat ea, quam Theophraſtus circa Herculis Columnas naſci tradidit: Quę vero apud nos naſcitur, anguſtum potius, & oblongum habet, & cum exaruerit, candidum: quale tertium genus deſcribitur: rubens autem non viſa eſt apud nos. Plinius Algam ruffam, Scorpionum ictibus vtilem eſſe tradit: de Phyco autem modo Theophraſtum ſequitur inquiens: quod Græce vocant Phycos, non habet alia lingua nomen; quoniam Alga herbarum magis intelligitur, hic autem eſt frutex: folia lata, colore viridi gignit, quod quidem Praſon vocant, alij Zoſtera: hæc verba primum genus indicant, quod à nobis Alga dicitur, quamuis hoc nomen non ipſum fruticem ſignificet ſed folia tantum. Alterum genus inquit capillaceo folio, ſimile fæniculo in ſaxis naſcitur, ſuperius in vadis, haud procul littore: Tricho phyllon eſt ipſius Theophraſti, & Bryon Dioſcoridis: verno vtrumque & interit autumno: circa Cretam Inſulam nato in petris; purpuras quoque inficiunt: laudatiſſimo à parte Aquilonis, aut cum ſpongiis: Tertium eſt Gramini ſimile: radice geniculata; & caule qualiter Calami. Alibi Dioſcoridem ſequutus inquit. Phycos Thalaſſion, id eſt fucus marinus Lactucæ ſimilis, qui conchyliis ſubſternitur, & quæ ſequuntur. Quibus verbis indicat Phycos apud Dioſcoridem, non Algam eſſe, ſed quod Bryon apud Theophraſtum, appellatur, vt mox patebit. Aliud

præ-

præterea est Phycos apud Galenum inter metallica, vt puto Cerussa elaborata, qua mulieres ad faciem dealbandam vtuntur: nam seruata Cerussę frigiditate inquit, tenuitatem assumpsit, vt per eam in profundum, altumque corporum quibus admouetur, vis eius penetrare valeat. similem Cerussę Fucum conficiunt ex radicula Ari, quam Gersam vocant, vt monuimus in Aro, quam indicare videtur Dioscorides in Phyco.

CAP. XXVI.

BRYON Theophrasti in eisdem locis nascitur, vbi Muscus marinus: foliis virentibus, crispis, Lactucę similibus, minoribus, multis ex eodem cespite sine radice & sine caule, sed aliis inuicem insidentibus foliis, vt in Lichene. Theophrastus inquit aliud à Phyco est Bryon (quidam codices legunt Botryon) folio coloris herbacei amplo, nec Lactucis dissimile, rugosiore tamen & velut contracto; caule caret, sed ab vno initio plura folia huiusmodi exeunt, & rursus ab alio: nascitur super lapides, fictiliaque prope terram. Plinius Theophrastum sequitur inquiens: Bryon marina herba sine dubitatione Lactucæ foliis similis, rugosa, veluti contracta, sine caule, ab ima radice exeuntibus foliis, nascitur in scopulis maximè, testisque terra comprehensis: pręcipua ei siccandi & spissandi vis, & collectiones omnes, inflammationesque cohibendi præcipue podagrę, & quicquid refrigerare opus sit. Quas vires fere ad Verbum Dioscorides suo Bryo marino tradidit: iterum de eodẽ cum fucis inquit. Aliud genus fruticum Bryon vocatur: folio Lactucę, rugosiore tantum: iam hoc in terra nascens. alibi eamdem videtur intelligere sub nomine Fuci marini: inquit enim Phycos Thalassion, idest fucus marinus Lactucæ similis, qui conchiliis substernitur, non podagræ modò, sed omnibus articulorum morbis impositus, priusquam exaresiat. Tria autem genera eius: latum & alterum longius, quadantenus rubens, tertium crispis foliis; quo in Creta vestes tinguntur: omnia eiusdem vsus, & quæ sequuntur. desumpta autem hæc sunt ex Dioscoridis Phyco, vt secundum Plinij sententiam Dioscoridis Phycos non Alga sit, sed hoc genus, quod Bryon est apud Theophrastum.

CAP. XXVII.

SPICA Nardi, quę inter Aromata affertur ad nos ex Oriente, ex Algarum genere uidetur esse: sunt enim radicis cuiusdam nigræ germina; densis capillis sursum spectantibus, farcta aristarum more, instar nostræ Algę, breuiora, colore ruffo, sapore amaro & astringente, odore ualido aromatico. Dioscorides Nardum uocat: unum Indicum

ap-

appellari tradit: alterum Syriacum: non quod in Syria gignatur, sed in montibus Indiæ, quorum pars una Syriam spectat, altera Indiam. Syriacum probari quod recentius & læuius est, comosum, ruffum, odore uehementer iucundo, Cyperumque imitãte, breui spica, sapore amaro, maximeque siccante os, custodit suaueolentiam pertinaciter. Indici unum Gangetide cognominatur à fluuio Indię, qui montem præterfluit Ganges nomine; iuxta quem nascitur: uiribus languidum, ut quod proueniat aquosis locis, proinde in maiorem altitudinem adolescit, & plures ab eadem radice spicas habet, comosas, & implexas, odore ingrato: Quod autem locis magis æditis nascitur, odoratius est, spica Mutila, Cyperum olente, in totum iisdem qualitatibus præditum, ut Syriacum. Vocatur & quoddam Samphariticum à loco, ualde mutilum, magnis spicis, candidius, caulem aliquando medium habens, redolentem hircum, quod damnatur in totum. Venditur, & madefactum, quod cognoscitur & candore spicarum & squalore; & quia lanugine caret; adulteratur Stibio cum aqua, uel vino palmeo infuso, ponderis gratia & spissitatis. Lutum, quod hæserit, radici decutitur, seruaturque cribratum ad manuum lotiones. Theophrastus inter odorata recenset, quibus ad unguenta utuntur; ex India comportari. Plinius inquit frutex est graui, & crassa radice, sed breui, ac nigra, fragilique, quamuis pingui, situm redolente, ut Cypeti, aspero sapore, folio paruo; densoque. cacumina in aristas se spargunt; ideo gemina dote Nardi spicas & folia celebrant. Alterum eius genus apud Gangen nascens damnatur in totum, Oenitidis nomine: uirus redolens. adulteratur & PseudoNardo herba, quæ ubique nascitur; crassiore, & latiore folio, & colore languido in candidum uergente: item sua radice permixta, ponderis causa, & Gummi, spumaque argenti, aut Stibio, Cyperiue cortice: syncerum læuitate deprehenditur, & colore ruffo, odorisque suauitate & gustu maxime siccante os, sapore iucundo. pretium Spicæ in libras nonaginta: folia diuisere Annonam, ab amplitudine Hadrosphęrum uocatur; maioribus foliis, denarij triginta: quod minore folio est Mesosphęrum appellatur, emitur denariis sexaginta: laudatissimum Microsphęrum, è minimis folium: pretiumque eius denarij septuaginta quinque. odoris gratia omnibus, maior recentioribus. Nardo color, qui inueteraueritnigriori melior. Nos Pseudonardum herbam diximus spicam nostram Italicam esse, sed Nardi folium, unde unguentum foliatum fiebat apud Dioscoridem, alia res est sui generis, ut patet in Malabathro: nam ipsius Nardi uenere tantum in usu spicæ, quę radicis partes sunt: inter quas uisuntur quædam à spicis Algæ nostræ nulla ex parte differentes, quale Gangeticum ponitur à Dioscoride.

CAP. XXVIII.

ROSA Marina inter Muſcos marinos: foliis Lactucę conſtat, ut Bryon Theophraſti; ſed rotundam figuram amplæ Roſę preſeſert, multiplici foliorum plexu circunducto, quę minutis & crebris foraminibus peruia ſunt, inſtar retis, ex communi quodam pediculo exorta, hæc in aere ſicceſcens, in totum lapideſcit, colore flauo. Rondelletius Eſcharam ſuſpicatur apud Atheneum: prodeſt aduerſus vlcera maligna; uehementer ſiccat, & ſuperuacuam carnem abſumit.

CAP. XXIX.

BVRSA Marina pila eſt rotunda, intus concaua, ex muſcoſa ſubſtantia conſtans, ſcilicet capillari, colore uiridi, relicto oſtiolo rotundo, qua lapidibus adhęret, nigro quodam peciolo pendens: cum extrahitur ex aqua ob uelleris mollitiem conſidet, ſiccata autem ſalſugo quędam tenuis & alba effloreſcit mordaci guſtu. Hanc inter genera Alcyomi reponendam puto, ut mox patebit.

CAP. XXX.

SPVMA Maris globus eſt valde leuis, ueluti ex ampullis conſtans ad ſpumæ ſimilitudinem, modò candidus, modò rubens, aliquando flaueſcens: adhæret ſaxis, ſpongiarum more: conſtituitur ex numeroſis foliolis membranaceis, ſibi inuicem inſidentibus, inferne concauis, ſuperne conuexis, nunc figura uermiculorum, nunc unguis, qui in oculo adnaſci ſolet, nunc alia figura: obducitur quibuſdam cruſta exterius, interius autem ſpongioſa conſtant ſubſtantia, quod genus denſius & durius eſt cinerei coloris. quoddam eſt ex foliis conſtans auriculæ figura, pluribus lineis, circumductis, colore cinereo, mollibus, ſpecie Fungi, guſtu mordaci. Dioſcorides Alcyonium uocat eiuſque genera quinque enumerat: primum denſum, & guſtu acerbo, ſpongioſa facie, tetri odoris, ponderoſum, & piſcem olens, quod plurimum in littoribus inuenitur. Hoc genus illi aſſigno, quod cruſta exterius obducitur; nam ciuerei coloris eſt, & grauius cęteris, olidumque de ſecundo inquit Phterygio oculi ſimile eſt, figura aut ſpongię multis inanitalibus leue, redolens Algam. hoc diximus foliola habere, ſimilia ungulæ oculi; eſt enim membranula candida, colore unguis, ſpecie paruæ pennæ, aut folioli Filicis à lateribus ſciſſa. Tertium inquit ſpecie uermiculorum, colore magis purpureo, quod & Mileſium à quibuſdam uocatur.

Hoc

Hoc apud nos non solum purpureum, sed & candidum, ac flauescens reperitur. Quartum velleribus sordidis simile multũ, inane, & lęue: hoc puto quam Bursam marinam vocamus. Quintum effigie Fungi, sine odore, intus asperum, & quadantenus pumicosum, foris lęue, acre, quod plurimum in Propontide nascitur iuxta Lesbicum insulam, vbi patrio nomine vocant Halosachnem, idest Maris spumam: hoc Auricularum figura ostendimus: nam eorum Fungorum figuram pręsefert, qui vetustis caudicibus innascũtur lignosi: sed hoc tenue est, mẽbranosum, molle, inferne asperum, superne læue: ad hoc genus reducendam censeo Rosam marinam. Plinius Halcyonium inquit appellatum, fit in mari ex nidis, vt aliqui existimant, Halcyonium, & Cęicum: alij è sordibus spumarum crassescentibus: alij è limo, vel quadam maris lanugine. Quatuor genera: Cinereum, spissum, odoris asperi: alterum molle, lenius, odore fere Algę; Tertium candidioris vermiculi: quartum pumicosius, spongiæque putri simile, penè purpureum, quod optimum, id & Milesium vocatur: quo candidius autem, hoc minus probabile est. in quibus parum distat à Dioscoride. Quamuis autem hæc à Dioscoride libro quinto inter inanimata corpora recenseantur, vt etiam spongiæ: vim tamen habent vegetandi, vt ex constitutione, & ortu patet. Aliud autem est apud eumdem Adarce, quamuis similis Alcyonio, molli figura: est enim concreta salsilago, iuxta calamos & festucas agglutinata, locis palustribus ex maris admistione cum aquis dulcibus: colore candido, similis concretioni, quæ in spongiis reperitur: corpus omnino inanimatum, inordinata compage. nec putandum Alcyonium eo modo fieri, vt Plinius tradit, aut, è nidis auium, aut sordibus spumarum, aut limo aut maris lanugine: sed potius Alcyonium dici; quia Alcyones iis vtantur ad suos nidos conficiendos: vt nos vidimus ex pilis spicarum Algę ea figura, quam Plinius describit, cum inquit: faciunt Halcyones nidos septem ante brumam diebus, & totidem sequentibus pariunt: nidi earum admirationem habent pilæ figura, paulum eminenti, ore per quàm angusto, grandium spongiarum similitudine, ferro intercidi non queunt, franguntur que ictu valido, vt spuma arida maris: nec vnde confingantur inuenitur: putant ex spinis aculeatis; piscibus enim viuunt. ipse autem multos huiusmodi nidos, reiectos in littus vidi: figura in rotunditate oblonga, adnexa radiculis Algę paruo hostiolo in cacumine, vt ingredi oua tantum possint non ipsa auis: ex eadem lanugine constant pilę quædam in littore repertæ, sed nulla intus cauitate: agglomerantur enim festucis pili vndis reiecti, aliquando in tantam amplitudinem, vt vtraque manu complecti vix possint: Pilam marinam vocant, cuius fit mentio apud Galenum inter medicamenta ad capillos conseruandos, & apud Myrepsum ad lumbricos enecandos: vn-

guento excipitur Pila marina, quæ reperitur in mari rotunda, vt lana congesta.

CAP. XXXI.

CORALLIVM frutex est in mari; arborea figura, lapidibus hærens, cubito breuior; multis ramis, tortuosis, sine foliis, sine fructu, ac sine radice, sed villosa substantia obsitus, instar Musci: colore viridi, aut cinereo, intus rubeo, qualis est color carnis, aut intensioris rubedinis, qualis Cocci; tradunt succosam esse plantam, succo lacteo; renasci, vbi lac contigerit: exemptum ex aqua, siccatumque durescit in lapidem: hodie copiosum retibus expiscatur prope Sardiniam & Corsicam, quod apud Genuenses purgatur expoliturque: rami eius integri ad tutelam infantium gestantur: formantur & globuli ad Monilia puellarum. Dioscorides de Corallio inter lapides agit: alij inquit Lithodendron vocant: videtur frutex marinus: durari autem, cum ex profundo mari exemptus fuerit, veluti à circumfuso aere infectus, aut concretus. plurimum reperitur ad Syracusas in promontorio vocato Pacchinno: laudatissimum rubens, colore florido, aut Sandicis saturatę, item friabile, & tota concretione æquabile: amplius odore Musci, & Algę simili; ad hæc valde ramosum, & forma fruticis Cinnamomi. Quod autem Lapidis forma scabiosum, hians, & cauernosum est, vitiosum existimatur: astringit & moderate refrigerat. Plinius Corallio forma inquit fruticis: color viridis; baccę eius candidæ sub aqua, & molles: exemptæ confestim durantur, & rubescunt, quasi Corna satiua specie, atque magnitudine: aiunt tactu protinus lapidescere, si viuat: Itaq; occupari, euellique retibus, aut acri ferramento præcidi. hac de causa Curalium vocitatum interpretantur: probatissimum quam maxime rubens, & quam ramosissimum: nec scabrosum, aut lapideum, vel rursus inane, aut concauum: authoritas baccarum eius non minus in Indorum viris quoque præciosa est, quam fæminis nostris vniones Indici: Auruspices eorum, vatesq; in primis religiosum id gestamen à moliẽdis periculis arbitrantur, itaque & decore & religione gaudent: sed putauit Plinius baccarum formam, artificio paratam, sponte nasci. Alibi Gorgoniam gemmam Corallium interpretatur nominis causa, quod in duritiam lapidis mutatur. hinc forte Insula Gorgona dicta est in Mari Tirrheno; nam & inibi hodie Corallium inuenitur.

CAP. XXXII.

CORALLIVM nigrum traditur à Dioscoride, quod Antipathes vocatur, specie differens à Corallio, colore nigro, arboreum & ipsum figura, ramosius, easdem vires habet. Plinius Antipathis

meminit

meminit inter Gemmas, nigra est, non transfucens. Alibi Isidis Proclamon vocat circa Insulas Troglodyticas, fruticem in alto Corallio similem, sine foliis, qui præcisus durescit, mutato colore in nigrum, & frangitur, cum decidit. gigni & in rubro mari Corallium inquit, sed nigrius. Apud nos visitur aliquando Corallium extra rubens intus nigrum.

CAP. XXXIII.

CORALLIVM album visitur hodie in officinis, breuibus, ac nodosis ramulis, nitore, & candore Eboris: foramina autem quædam insunt, non solum in singulis nodis, sed & iuxta nodos, duritię lapidea, sed incertus adhuc est eius ortus. apud Auicennam mentio fit albi Corallij: tria enim esse inquit. Album, rubeum, & nigrum; à quo recentiores medici Corallium album medicamentis receperunt, dicentes, frigidioris naturæ esse, quam rubeum; optimum tamen esse rubeum; deinde album: vltimo nigrum. sed mirum non reperiri albi mentionem apud Græcos, aut Latinos: Ideo suspicor Ebur fossile intelligi apud Theophrastum, quod vt Plinius refert, candido & nigro colore inuenitur.

CAP. XXXIIII.

ALII sunt frutices in nostro mari Coralliis similes, quas Corallinas vocant, ligno intus durissimo, ac nigro, specie Ebeni, sed ob tenuitatem inutili operibus; crusta his obducitur verius, quam cortex, friabilis, pumicosa, aliis candida, aliis rubens adhæret lapidibus testacea quadam substantia dilatata. Qui ex his cortice rubro integitur, tortuosis ramulis constat, durissimisque propè radicem nigris, hi in tenuem gracilitatem desinunt, perlucidam, ablato cortice. Qui cortice albo integuntur duo sunt, vnus ramulis constat erectis, Iunci modo, flexilibus, numerosisque, ab eodem veluti caudice prodeuntibus, cubitali altitudine, qui veluti punctis quibusdam signati sunt, vt Abietis ramuli. Abietem marinam puto apud Theophrastum. Alter ramos fert ad latera tendentes, crusta candida, veluti denticulatos, quibus sæpe adhæret lapidosa substantia, ex maris salsugine concreta, ac testacea, quædam animalia, Quercus marina apud Theophrastum, folium his nullum, neque Muscus, sed loco eorum crusta videtur data. Quartum genus humi serpit, sarmentosum ex lapidibus pendens, vndique muscosa lanugine obsitum, nigricante, aut cinerea, extremis capillis in tenuia veluti granula desinentibus. Vitis marina apud Theophrastum. Theophrastus non absimiles his arbusculas in mari nasci tradit, vt quam appellat Quercum;

Abietem Vitem, Ficum, Palmam. Quercus inquit & Abies prope terram quidem sunt: Ambæ nascuntur vero super lapides, atque testas: carent radicibus, sed modò patellarum adhærent: folium ambabus velut carnosum, oblongius, crassum, & Abieti crassius, frequens; nec leguminum siliquis absimile, cõcauum intus, nec quicquam intra se continens, Quercui tenue ac potius Tamaricis: color ambobus accedens ad purpuram: forma tota Abietis erecta: Quercus flexuosior atque in latitudinem magis ampliata: ambæ vel multi caules fiunt, sed simplicior Abies: rami Abieti longi recti, solutique: Quercui breuiores, contortiores, spissioresque: magnitudo tota ambabus cubitalis, parumue altior, verũ maior, vt simpliciter dicam Abieti. Quercus vel ad lanas inficiendas vtilis mulieribus: ramis pendent adnexa pleraque animalium testigerorum, subter alia quædam cauli ipsi adhærent: sed per folia Theophrastus intelligere videtur crustaceam substantiam, aliquando inanem, siliquarum modò, aliquando denticulatam, vt folia Tamaricis. Vitis inquit utroque nascitur loco; nam & terræ proxima, & pelagica est. Ficus folio caret, nec magnitudine præstat, color cortici puniceus. eadem refert Plinius.

CAP. XXXV.

LENTICVLA palustris foliolum est rotundum, & crassum, Lenticulæ figura, aquis stagnantibus innatans, adeo frequens, ut lacus uirentem pratum æmuletur: è singulis foliolis inferne uillus quidam descendit, quo uice radicis utuntur. Alterum genus foliolis oblongis constat, multis ab eodem exortu, stellæ modo pediculis capillaribus. Dioscorides inquit Lens palustris reperitur in aquis stagnantibus: muscus est, Lenti similis, cui facultas refrigerandi inest, commoda inflammationibus. Erysipelatis, & podagris, tum per se illita, tum cũ polenta: glutinat, & procidentia puerorum intẽranea.

CAP. XXXVI.

QVAEDAM aquis tepidioribus innatat, vt Pisis in Auxeri fluuio, quem hodie Oserin vocãt: est autem hic fluuius quasi stagnans, ac recipit aquas thermales ex monte Sancti Iuliani; fluitat herba vna cum aqua incedens, sed multis in locis interim quiescit, & tamquam exercitus castrametatur idoneum locum ad quietem nacta. Folia sunt rotunda, vnguis magnitudine, superne punctis minutissimis impressa, lęte virentia: hæc coniugatim in ramulis digesta sunt, qui Cruciformi figura spectantur vt in Abiete: villi per totos ramulos deorsum spectant, qui radicum vicem gerunt: sapore aqueo constat; Hanc censeo

Stra-

Stratiotem Aquaticum esse apud Dioscoridem. Dicta autem est Stratiotes idest militaris, non solum quia vulnera sanat, sed & quia folia ordinato, quodam agmine natantia migrant, vt exercitus. inquit igitur Dioscorides: Stratiotes, qui in aquis nascitur, sic appellatus est; quia aquis innatat, & sine radice viuit: folium habet Semperuiuo simile, maius tamen: æui & facultas inest refrigerandi: sanguinem è naribus fluentem sistit potu: vulnera ab inflammatione defendit: tumores & Erysipelata sanat illitum cum aceto. Plinius inquit celebratur à Græcis Stratiotes: est ea in Aegypto tantum & inundatione Nili nascitur: Aizoo similis, ni maiota haberet folia refrigerat mire, & vulnera sanat: ex his colligere licet herbam quam prędixi Aegyptio Stratiote esse tantum exilius, quia folia minora potius insunt, quam Semperuiuo scilicet magno.

CAP. XXXVII.

FVNGORVM natura inter plantas maxime peculiaris est, non solum figura, sed & substantia, & ortu: neque enim radice constat, neque caule, neque foliis, neque fructu: sed incomposita quædam materies videtur naturæ addiscentis Plantas constituere: modo globus, radici similis intra terram latitans, vt tubera: modo ad similitudinem oui supra terram emergens vt Pezicæ, nunc veluti pileo superposito vt suilli, Boleti & plurimi fungorum nunc veluti in paruos digitos finditur eorum substantia, aut figura Auriculæ spectatur, aut linguæ, aut spongiæ, aut panni laceri. substantia plurimorum carnosa, vt tota fructus videatur, cum fructu careant & in cibis gratissima, cum tamen plerumque venenum contineant: Quorundam dura, ac lignosa, vt qui in caudicibus arborum nascuntur. Ocissime autem omnes fungi erumpunt vt in prouerbio sit apud nos de his, quę repente adueniunt, nam in horam fungus emergit. breuissima quoque eorum vita, fugacior quandoque quam fructus ęstiui, nam exceptis iis, qui lignosi sunt, cęteri aut putrescunt, vt omnes qui pileum gerunt, aut in puluerem volatilem tabescunt vt Pezicę.

CAP. XXXVIII.

TVBER vocatur neutro genere vulgò Tartufo, in montibus nascitur Mali modo, rotundum, inęqualiter tuberosum, aspera superficie, solida intus pulpa, non fungosa vt cæteris, ideo minus putrescit, & diuturnius seruari potest: odor inest suauis, & sapor gratissimus. optima habentur ex Nursinis montibus, Hinc enim & Romam feruntur & Florentiam, in cibis nobilium. color his exterius nigricans: ali

bi

bi nascuntur albidiora, quę minus probantur; hęsitantur cum sale & pipere cruda, & sub cineribus cocta, aut in patinis ex oleo: vim veneris augent, quamuis sapor insit Aqueus, vt ceteris fungis, flatuosam enim substantiam gignunt semini gignendo vtilem: Græci Hydnon vocant. Theophrastus inquit Hydnon nonnulli; Aschium vocant, sub terra latitat, vt radix tantum videatur, cum forma radicis non sit; Alibi inquit pænitus radice caret Tuber, fungus & Crantum. Dioscorides inquit. Tuber radix est globosa sine foliis, sine caule; color subfuluus; foditur vere, cruda & cocta esitur. Galenus Tubera radicibus, aut bulbis adnumeranda esse censet: nullam inquit qualitatem habent insignem, proinde qui ipsis vtuntur, vtuntur ad condimenta excipienda, quem admodum & aliis quæ vocant insipida, & innoxia, & ad gustum aquosa, quibus omnibus est commune, vt alimentum quod ab ipsis in corpus distribuitur, nullam insignem habeat facultatem, sed subfrigidum quidem sit, crassitie vero quale idipsum est, quod sumptum fuerit: crassius quidem est, quod ex Tuberibus habetur. Plinius maximum è miraculis est inquit aliquid nasci, aut viuere sine vlla radice: tubera vocantur: hæc vndique terra circundata, nullisque fibris nixa, aut saltem capillamentis, nec vtique extuberante loco, in quo gignuntur, aut rimam agente, neque ipsa terræ cohęrent: cortice etiam includuntur, vt plane nec terram esse possimus dicere, neque aliud quam terræ callum. siccis hæc fere, & sabulosis locis, frutetosisque nascuntur: excedunt sępe magnitudinem Mali Cotonei etiam librali pondere. Duo eorum genera: Harenosa dentibus inimica, & altera syncera: distinguuntur & colore ruffo, nigroque, & intus candido. Laudatissima, quę Aphricę crescunt. An ne vitium id terrę? neque enim aliud intelligi potest, Malum ne id ea protinus magnitudine globetur, qua futurum est, & viuat ne an non, haud facile intelligi. putrescendi enim ratio communis est his cum ligno. Lartio Licinio Prętorio viro iura reddenti in Hispania Cartagine paucis his annis accidisse testatur, mordenti Tuber, vt deprehensus intus denarius primos dētes inflecteret, quo manifestum esse terræ naturam in se globari. Quod certum est ex iis, quæ nascuntur & seri non possunt: simile est quod in Cyrenaica prouincia vocant Misy pręcipuum suauitate odore, ac sapore sed carnosius, & quod in Thracia Ceraunium. De Tuberibus hæc traduntur peculiariter, cum fuerint imbres autumnales ac tonitrua crebra, tunc nasci, & maxime, è tonitribus, nec vltra annum durare: tenerrima autem verno esse. Quibusdam locis acceptantur riguis & seruntur, sicut Mitylenis: negant nasci nisi ex vndatione fluminum inuecto semine ab Tiaris. est autem is locus, in quo plurima nascuntur, Asiæ nobilissima circa Lampsacum & Alope conesum, Græciæ vero circa Elim. Hæc Plinius.

CAP. XXXIX.

PEZICAE in fungorum genere à Plinio recenſentur, vt inquit, ſic à Græcis dicti, qui ſine radice, aut pediculo naſcuntur: A noſtris hodie Puzæ vocantur, ab aliis Veſciæ: oriuntur in pratis ſupra terram extuberantes, figura oui, aut veſiculæ, colore candido, pulpa molliſſima, laxa, minimi ponderis, odorata. eſitantur elixæ cum ſuo Iure adiecto Calamento: prouocant vrinam; ſeneſcentes tãſeunt in puluiſculum nigrum, qui diſrupta cute euolat in auram. Quoddam genus earum Piſis naſcitur in frutetis & ſyluis, ſolidiore pulpa, magnitudine aliquando Mali Cotonei, aliquando Humani capitis: hoc non ſolum elixum veſcitur, ſed etiam oleo frixum in taleolas diſſectum, gratiſſimum eſt, ac ſine periculo. hoc puto apud Theophraſtum Cranium vocari, quod cum Tuberibus & fungis recenſetur omnino, ſine radice.

CAP. XL.

QVI Pileum gerunt, proprie Fungi vocantur pediculo conſtant vt plurimum ſingulari, aliquando binis: Quoddam genus numeroſos ex vno exortu eoſdem fert, vt quę Familiolę vocantur: pediculi caro magis fibroſa eſt: pilei mollior ac laxior: in parte eius concaua, qua terram ſpectat, aliud genus carnis ineſt, ex mollibus fibris conſtans. quaſi lanugo: videtur proportionem gerere cum lanugine, quę foliis filicis ſubnaſcitur, ac cæterarum eius generis. Theophraſtus inquit fungorum pediculus æqualitatem quandam peculiarem ſortitus eſt; radice caret. Plinius Fungorum inquit lentior natura, & numeroſa genera, ſed origo non niſi ex pituita arborum: tutiſſimi qui rubent callo, minus diluto rubore, quam Boleti: mox candidi veluti apice flaminis inſignibus pediculis: Tertium genus ſuilli venenis accommadatiſſimũ: Noxij erunt fungi, qui in coquendo duriores fiunt: innocentiores, qui nitro addito coquentur, ſi vtique percoquantur: tutiores fient cum carne cocti, aut cum pediculo Piri: proſunt & Pira cõfeſtim ſumpta: debellant eos: & aceti natura contraria iis: imbribus proueniunt omnia hęc. Dioſcorides Fungorum inquit differentia duplex: aut enim manduntur, aut perniciales ſunt. multis de cauſis venenoſi gignuntur, vbi videlicet clauus ferreus, in quo ſit rubigo. aut pãni marcor affuerit, aut ſi iuxta ſerpentis cauernam, arboreſue, quæ priuatim pariunt noxios, fungos, erumpant. continent, qui tales ſunt, neſcio quod ſtrigmentum, concretamque pituitam, terraque eruti quam celerrime computreſcunt, atqu marcore vitiantur. Sed qui veneno imbuti non ſunt, ſuauem in iuribus

gratiam

gratiam habent, largius tamen sumpti nocent, & ægrius concocti strangulant, aut choleram morbum citant. remedio est meri potio, aut lixiuium cum acida Muria, aut feruefactæ Satureiæ aut Origani iusculum. debellantur etiam Gallinacei fimi potu ex aceto, aut eiusdem delinctu cum melle multo. Corpus alunt, sed ægre dissoluuntur. cum magna ex parte integri ipsi cum recrementis alui deiiciantur. Galenus Fungorum naturam admodum frigidam & humidam esse testatur, vt pæne accedant ad vim deleteriam: sunt & inter eos, qui interficiant potissimum, qui ex natura mixtam habent qualitatem putredinosam. omnium fungorum Boleti minimum sunt noxij; secundi post hos sunt Amanitæ: reliquos vero tutius est omnino ne attingere quidem; multi enim ex ipsorum esu interierunt. Equidem noui quēdam, cui post Boletorum non satis elixorum, qui innocentissimi esse putantur, vsum largiorem os ventriculi pressum, ac grauatum, coarctatumque fuit difficilemque habuit respirationem & in animi deliquium incidit, sudoremque frigidum sudauit, ac demum seruari ægre sumptis iis, quæ humores crassos incidunt, potuit: cuius generis est Oxymel ipsum, per se, & cum Hyssopo & Origano ipsis medio criter incoctis: is enim tum hæc sumpsit, tum nitri spumam insuper inspersam: post quæ fungos, quos commederat, euomuit, qui iam quodamodo in succum pituitosum, frigidumque admodum, ac crassum, erant mutati.

CAP. XLI.

Boleti cum primum erumpunt è terra, ouis similes sunt, membrana exterius candida, qua disrupta veluti oui luteum interius apparet: hoc cum explicatur, fungi figuram assumit, pileo lato, crasso pediculo, ac breui, luteo; placent ex oleo frixi, & in patinis: oriuntur in syluis. simillimi iis nascuntur venenosi diluto rubore, & in parte concaua magis striati. Plinius Boletos inter ea, quæ temere manduntur, ponit, quamuis optimus ex iis cibus sit: sed in menso exemplo in crimen adductus, veneno Tiberio Claudio principi per hanc occasionem dato à coniunge Agrippina; quorumdam ex his facile noscuntur venena diluto rubore, rancido aspectu, liuido intus colore, rimosa stria, pallido per ambitum labro, non sunt hæc in quibusdam, siccique, & Nitri similes, veluti guttas in uertice albas ex tunica sua gerunt: voluam enim terra ob hoc prius gignit; ipsum postea in volua ceu in ouo est luteum, nec tunicæ minor gratia in cibo infantis Boleti. rumpitur hæc primo nascente, mox crescente in pediculo, corpus absumitur, raroque vmquam geminis ex vno pede. origo prima causaque è limo & acescente succo madentis terræ, aut radicis ferme glandiferę, initioque spuma lentior,

tior, dein corpus membranæ ſimile, mox partus: ortus occaſuſque omnis intra dies ſeptem eſt. Claudius ſtomacho vtiles putat. Galenus inquit è fungis Boleti, ſi belle in aqua elixi fuerint, prope accedunt ad cibos inſipidos, non tamen ſic ſolis ipſis vulgò vtuntur, ſed apparant varie & condiunt, vt alia omnia, quæ nulla inſigni qualitate ſunt prædita. Alimentum autem ex ipſis eſt pituitoſum & frigidum videlicet, prauique eſt ſucci, ſiquis ipſis largius vtatur: omnium igitur fungorum ij minimum ſunt noxij. Hæc Galenus.

CAP. XLII.

SVILLI, qui vulgò Porcini appellantur, in montibus naſcuntur, præcipue inter Scopas & Filices: Boletis craſſiores, denſioreſque, colore ſupernè ſubfuluo, inferne cinereo, interius candido: elixantur ij, vt ius abiiciatur; dein in ſartagine farina obducti aſſantur ex oleo multo; ſic enim innocentiores euadunt. aſſeruantur quoque muria conditi, aut exſiccati in furno, aut fumo. Qui inter eos venenoſi ſunt, Malefici vulgò appellantur: vix dignoſcuntur, niſi aperiantur; nam caro eorum protinus liueſcit: color quoque ſubuiridis in parte concaua ſpectatur, aut palleſcens. Plinius Suillos inquit venenis eſſe accommodatiſſimos; nam familias interimere, & tota conuiuia; voluptas tanta ancipitis cibi: quidam diſcreuere arborum generibus Fico, Ferula, & ferentibus gummi; nos item Fago aut Robore, aut Cupreſſo: omnium color liuidus: his aberit veneni argumentum, quo ſimilior fuerit arborum Fici. ſiccantur pendentes iunco transfixi, quales è Bithynia veniunt: ij fluxionibus alui, quas Rheumatiſmos vocant medentur, excreſcentibus in ſede carnibus: minuunt enim eas, & tempore abſumunt: item lentigines & mulierum vitia in facie leuant. lauãtur etiam vt plumbum in oculorum medicamenta, ſordibus vlceribus, & capitis eruptionibus, canum morſibus ex aqua illinuntur.

CAP. XLIII.

PRVNVLI vulgò appellantur minimi inter fungos, odoratiſſimique, qui & innocentiſſimi ſunt: naſcuntur vere inter Rubos & Carduos, cinerei coloris, capitulo verius, quam pileo, pollicis craſſitudine: candida intus pulpa, ac ſolida: comeduntur elixi cum ſuo iuſculo adiecto Calamento, recipiuntur tantum in menſis nobilium.

CAP. XLIIII.

QVIDAM Neapoli nascuntur in lapide quodam fungoso, leui instar ligni quem lapidem Lyncis vocant: ex hoc fungi toto anno enascuntur, si irrigetur aqua, etiam domi asseruatus, crescitque in dies continua fertilitate, pediculis in lapidem induratis: pollent hi fungi ad calculum & vrinam impellendam: lapis ipse contritus in farinam calculum frangit potu: recipitur à Nicholao Alexandrino in Antidotum Lithontripton: meminit eius Euax inquiens Lincurium, idest lapis lyncis, fit ex vrina lyncis, idest lupiceruarij appellati in montibus coagulata: hic seruatus in domo gignit optimos fungos quolibet anno: pollet contra dolorem stomachi, icterum, & fluxum ventris. Dioscorides Lyncurium idem cum Electro voluit esse. Electrum autem putari ait lachrymam Populi nigræ coagulatam in lapidem: ex vtraque autem Populo alba scilicet & nigra fungos vtiles, & innoxios toto anno restibiles haberi, si earum cortices concisi in minutias segetibus stercoratis inspergantur, sed forte verius ex Populo montana, quam Plinius Libicam vocat propter fungos laudatissimam.

CAP. XLV.

PRATEOLI in pratis nascuntur, paulo maiores Prunulis; latiore pileo, inferne subrufo, aut nigricante: comeduntur parati in patinis, inter cibos viles, nec sine periculo: iis similes iuxta stercora nascuntur, longiore, ac graciliore pediculo noxij, & sine vlla saporis, odorisque gratia. Grandiores adhuc crassioresque sub Populo nascuntur, qui Turini vocantur, color superne subrubens, pediculo candido, sed hi in cibis minime probantur.

CAP. XLVI.

FAMILIOLAE vocantur, quibus numerosi ab eodem exortu pediculi nascuntur, prelongi, capitula sustinentes, Prunulis similia, molliora: nascuntur iuxta frutices: parantur in cibis, vt prateoli inter cibos rusticales.

CAP. XLVII.

QVIDAM in pratis nascuntur candidi, longissimo pediculo, veluti vmbellam sustinente, initio contractam ad pediculum, qua anulus quidam est: hæc postea in latitudinem multam explicatur,

tur, tenui pulpa: assumuntur hi quoque in cibis rusticorum, vt Prateoli: vocant quidam Scarogias, alij Cannellas:

CAP. XLVIII.

FVNGVS Marinus minimus inter Fungos lapillis innascitur intra aquam, densis pediculis capillaribus, prælongis, candidis: quibus insident pileoli candicantes: sapor inest salsus & mordens. videretur Androsaces esse apud Dioscoridem, si eius pileoli semen continerent: inquit enim, nascitur in marittimis Syriæ, herba est alba, tenuibus festucis, amara, sine foliis: folliculum in capite gerens, qui semen cõtinet: ea drachmis duabus in vino pota copiosam hydropicis vrinam ciet, idem præstat eius decoctum, & fructus: podagris vtiliter illinitur. Galenus humidam & acrem herbam esse tradit. Plinius eadem ferme habet, quæ Dioscorides: Albam enim esse herbam tradit, amaram, sine foliis, folliculos in cirris habentem, & in his semen: an putatum est, seminis gratia datum huiusmodi folliculum? quod & de cæteris Fungis diximus, si non semen, saltem aliquid vice seminis inesse.

CAP. XLIX.

GALLINACEI à quibusdam vocantur subcrocei coloris, figura auriculæ, pediculo scilicet sensim in latitudinem dilatato ad modum flabelli, inferne striato: oriuntur in collibus iuxta arbores; assumuntur ruri inter cibos innoxie.

CAP. L.

QVIDAM pannis laceris similes, aut spongiis, molles, colore igneo: ideo ignem sylueſtrem vocant: inutiles cibis: oriuntur pręcipue ad radices Oleę: valent ad vlcera putrida, & exedentia, si eorum puluis exsiccatus inspergatur.

CAP. LI.

LINGVAE appellantur in caudicibus præcipue castaneatum, figura lata, crassæ, sanguinei coloris, tum intus, tum extra: optimi hi atque innocentissimi existimantur: forte apud Plinium intelliguntur, cum inquit: tutissimi, qui rubent callo, minus diluto rubore, quàm Boleti: parantur vt Suilli.

CAP. LII.

DIGITELLI, seu Maninæ vulgò appellantur in paruos veluti digitos fissi, candicantes: nascuntur in caudicibus; comeduntur elixi: Huius generis; quoddam reperitur in Castaneis, spectabili magnitudine, vt vnus sufficiat: Hermolaus laciniam vocari tradit. Hos Plinius, vt puto, intellexit, secundo loco tutos, cum inquit: mox candidi veluti apice flaminis, insignibus pediculis. Galenus Amanitas vocat secundo loco inter innoxios.

CAP. LIII.

IGNIARII sunt, quibus ignem excipiunt attritu silicis, vulgò Esca vocatur. Fungi sunt in caudicibus nascentes, crassi, & lati, figura vnguis Equini: lignosa constant substantia, fungosa tamen, ac valde læui: vt autem promptius ignem ex silice scintillantem excipiant, in coquunt in aceto: dein siccatos malleo dilatant instar corij laxi: optimi habentur è Cerro. Quidam ex his apti ad cutim extergendam parte scilicet aspera, quæ infra est: ideo in Tostrinis pro strigili vtuntur.

CAP. LIIII.

AGARICVM Fungus est candidus ex Oriente inuectus, figura rotunda, substantia intus farinacea, fibris quibusdam discurrentibus, sapore amaro: inuenitur apud nos in caudicibus Laricum, in montibus Tridentinis. Dioscorides variam tradit historiam: inquit enim, radix fertur Laserpitio similis, sed facie summa solutior, ac tota raro contextu. duo eius genera. fæmina, quæ præfertur, rectis intus venarum discursibus constat: mas rotundus est, & vndique compactior: vtrique gustus initio dulcis, mox ex distributione in amaritudinem transit. gignitur in Sarmatię regione, quæ Agaria vocatur: sunt qui radicem esse plantæ affirment, alij vt fungos nasci in arborum caudicibus, quadam putredine. gignitur & in Galatia Asiæ & Cilicia, in Cedris sed friabile, & infirmum. Plinius inquit Galliarum Glandiferæ maxime arbores Agaricum ferunt; est autem Fungus candidus, odoratus, antidotis efficax, in summis arboribus nascēs, nocte relucens, signum hoc, eius, quod in tenebris decerpitur, alibi inquit: Agaricum, vt fungus nascitur in arboribus circa Bosphorum, colore candido: datur obolis quatuor contritum cum binis cyathis aceti mulsi: id quod in Galatia nascitur infirmius habetur. pręterea mas spissior amariorque, hic & capitis dolores

facit:

facit: fæmina solutior in initio gustus dulcis, mox in amaritudinẽ transit. Quod autem Plinius Galliarum Glandiferas arbores Agaricum ferre tradit experimento hodie scitur, non Glandiferas, sed Larices id ferre. Mesues inter medicamenta purgantia magnifacit Agaricum: eligi oportere fæminam; nam masculus malus est, præcipue qui longus existit, & niger, & grauis, & habens in confractis suis sicut fila neruorum, durus & densus. fæmina autem laudatur: id album est, læue, velociter friabile, porosum, & valde rarum. in primo gustu dulce, dein amarum, & astringens: Melior pars totius corporis eius est superior: nam quę prope caudicem est, mala est, vestigium putredinis ligni habens: fugiendum quoque, quod corrosum est: calidum est in primo ordine, siccum in secundo: purgat vtramque bilem, & pituitam, humoresque crassos, ac viscosos, & putridos: ideo confert ad multa, vt videre est apud eumdem & Dioscoridem, & Galenum: pondus eius contriti iustum est à drachma vna vsque ad duas: infusi autem à drachmis duabus ad quinque.

FINIS.

CAP. IX. QVARTI LIBRI.

CNEORON Hispani milites Micciam vocant, quia eius rami sicati ignem conseruant; ideo ex his funiculos parant ad tormenta bellica igne exoneranda; appellant autem hos funiculos Miccias. frutex est in marittimis circa Plumbinum, multos spargens ramos, valde obsequiosos; foliolis breuissimis totos surculos conuestientibus modo Cupressi, crassis, superne candicantibus, inferne uiridibus; floret in autumno, & per totam hyemem; flosculi sunt thymeleæ, inter folia, exiliores, & in medio lutei; fructus quoque similis, tenuior, nigro semine; radix ramosa, & obsequiosa, sed gustum non mordet; eadem in insulis oritur, odorata, & candidior. Theophrastus Cneoron appellat. eius duo genera, candidum, cui folium cutis modo, quadantenus oleagineum; nigrum cui folium carnosum Tamarici similius candidum humi se spargit magis & odoratum est, nigrum sine odore, radix vtrique alta prægrandis, rami copiosi, crassi, surculosi, ad vinciendum apti pro Iunco. Venere in coronamenta folio. post ęquinoctium Autumni germinant, & diutius florent. Plinius Casiam à Latinis appellari testatur.

⁂

INDEX SECVNDVM PAGINAS

BREVIS QVIDEM, VTILISSIMVS TAMEN EORVM OMNIVM,

Quæ in hoc Opere visa sunt, vt adnotarentur, & quòd grauiora sint, & quod ad faciliorem conferant inquisitionem.

A.

B.

C.

Capreoli

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

Pruri-

Q.

R.

S.

T.

FINIS.

ERRATORVM GRAVIORVM CORRECTIO,

in qua primus numerus paginas, alter verò lineas significat, quemadmodum priores erratum; posteriores verò dictiones in se ipsis correctionem habent.

4. 12.	hoc	hos
4. 20.	aut paruæ	& paucæ
8. 18.	vnde	inde
10. 15.	sed	sed etiam
11. 20.	Vipera (cius	vinipera
19. 34.	natura sic sic-	natura siccius
20. 7.	fructibus	fruticibus
21. 25.	Rubi vascula, vt plurimum	Rubi. Vascula vt plurimum
22. 39.	germinatione quædam	germinatione: Quædam
24. 5.	Mogeum	Muscum
24. 36.	vt	&
27. 6.	sorbitæ	sortitæ
27. 24.	vt (aut	&
29. 20.	conceptacula	conceptacula: aut
31. 8.	Castaneæ Echinatus, Calyx	Castaneæ echinatus calyx
33. 15.	Naliphlios	Haliphlios
36. 9.	corbos	corbes
36. 30.	Quercum	Quorum
40. 26.	Samora,	Samara
41. 3.	Phyliram	Philyram
41. 18.	Philydæ	Philyræ
41. 30.	Phyllirea	Phillyrea
44. 21.	iure	in iure
44. 37.	Gossipij	candore Gossipij
46. 35.	sucar	succus
48. 33.	Illi	Idæi
51. 1.	sessilem	sessili
51. 3.	etiam; num	etiam num
51. 37.	cunnas	cunas
53. 28.	longè	longi
55. 19.	neque fructu	neque fractu
56. 36.	cæsum	cæsura
57. 24.	fistulosa	fistulosam
60. 36.	Pyrocanthæ	Pyracanthe
61. 7.	χέται	χέται
63. 14.	de Zaro	de Taro
63. 14.	Caracamum	Cancamum
63. 32.	figuris	figura
65. 21.	Portulacæ	Potulacæ
65. 30.	Bediasimos	Pediasimos
66. 7.	lusa	tusa
67. 10.	laurono	taurino
67. 13.	παλαβόδις	παλαβώδις
67. 14.	ασπαλαβιόδις	ασπαλαβώδις
69. 10.	similis, gustu olida	similis gustu, olida
69. 13.	Bremodes	Bromodes
74. 20.	Phyllira	Phillyra
74. 21.	putridum	putidum
76. 11.	Viturnum	Viburnum
78. 31.	afferuntur, aut	afferuntur autem
79. 30.	candicans	caudicis
80. 20.	frequenti &	frequentia
82. 31.	agnoscentibus	agnascentibus
83. 32.	circundare	circundari
88 39.	Pumpetæ	Pompeiæ
89. 22.	surcula	surculo
89. 25.	in tres	intus
92. 3.	quæ	que
92. 9.	Artem	Actem
92. 16.	visa sesamacca	visu sesamacea
92. 23.	,&	ex
94. 31.	tradunt	tundunt
96. 23.	sericis	serius
96. 34.	vtilissimum nõ multo	vtilissimam non multum
96. 34.	in Camparica	in Campania
96. 40.	vini	vim
96. 41.	prædurat	perdurat
97. 13.	Synosbaton	Cynosbaton
97. 16.	setem	sentem
97. 17.	Sinosbaton	Cynosbaton
97. 21.	medij secus	mediis eius
97. 30.	cuius	cuius
97. 32.	latiore	latiores
97. 35.	folium	foliam
98. 10.	in Mali	vt Mali
98. 15.	grauioribus	grandioribus
98. 23.	maxima	maximo
98. 26.	appellant	appellãt Humiru
99. 4.	subcandidis	subcandidi (bũ
90. 7.	aluis	alius
99. 12.	languescẽtem	languescente
99. 14.	febricum	febrium
99. 20.	acutissimi, quæ	acutissimique
200. 24.	Aronam	Aroniam
100. 26.	Tricaceum	Tricoccum
101. 18.	leuem corticem aut	læuem, corticem autem

Errata	Corrige
101.35. Cernalis	Cerualis
102.17. vinaria	vinacea
103. 4. Infrutices	Suffrutices
109.15. seuidtim	secundum
110.17. nitor	inter
112.19. cineream,qui	cinerea, quæ
115.11. vincis	iuncis
112. 9. ex eoquè	excoqui
128.31. Vites	Vitex
130. 8. Fædam	Tædam
130. 19. Cerabrum	Cembrum
131.33. Cerabrum	Cembrum
136.29. baccas	bacca
141.27. extuberante.	extuberante Ma-
144. 6. acetosa	aceroſa (lo
144.38. Pynaster	Pyraster
149. 6. inferna	infernè
150. 12. in odore	inodoræ
151. 2. interna	inferna
153. 1. Deest totum I X.caput,quod incipit Cneoron: & ponitur in pagina 621.	
154. 2. Conuoluuli cui	Conuoluulum, cuius
155.35. Dneidæ	Druidæ
160. 6. Aetruria	Aetruriæ
161.12. Apocynem	Apocinon
166.24. tantam	tantum
168.20. Cratæogonê	Cratæogonon
172.21. cortices	corticis
172.21. hoc (ra	hos
172.36. aliis rotũdio	alia rotundiora
173.15. glutinans	glutinandis
174.28. auertit	vertit
177.24. alteram	alterum
179.22. mollitam	molitum
179.26. deglutitum	deglubitum
180. 6. deglutitum	deglubitum
182. 3. Sycilia	Siciliam
182.24. Labarzet	Tabarzet
183.28. vt	tùm
186. 7. alis	aliis
186. 9. à	&
187.35. temeritate	teneritate
189.21. vtilia	vitilia
189.23. teneribus	generibus
191.26. Antipodis	Antiſpodiis
100.12. in terra	interna
100.28. altissimam	amplissimam
202.15. propè	probè

Errata	Corrige
204.11. pediculo	periculo
204.18. salubetis	sabuletis
204.30. abinnatu	à bimatu
205.26. causa	eam
207.14. lænte	lęte
208.28. alis	aliis
209.21. est	in
210. 5. radicantibus	candicantibus
210.14. Manum	Malum
213.17. candidos	calidos
214. 8. corallis	corollis
214.16. numerosis	numerosi
217.33. maris	muris
218.32. in Scito	inscito
218.35. Heside	Neside
221.24. carnea	cornea
232. 3. siliqua	si lingua
236.22. è lauiculo	clauiculo
239.16. lolia	lobia
244.26. aliis	alis
248.28. ;ramis tenuioribus; filiquis	ramis: tenuioribus filiquis
251.16. implexum	implexu
252.10. vt Lychnide	vt in Lychnide
255.38. stran ias	strangurias
256.23. Echy	Echij
257.27. Niseago	Viscago
260. 1. vt instar	instar
264.31. maturescit	marcescit
268.24. sicuras	cicures
269. 5. vt	&
275.23. internodiis	in internodiis
277. 5. Narthesia	Narthecia
281.15. Erithmo	Crithmo
281.18. scissiorem	scissione
282.31. exeunt	exuunt
284.20. diuisum	diuisura
285.15. Caui	Carui
285.30. Cuminum	Cumino
288.20. bina	bima
293. 7. domesticum	domestici
296.12. caulia folias	caulis folia
297.14. Erithmum	Crithmum
299.11. & quod	quod &
300. 4. calidius	candidius
301.19. Μονόφυλλον	non Μονόφυλλον
305. 9. de	ad
308. 5. Apicæ	Aphricæ
308.13. madunt	mandunt
309.16. farcta	fracta

	Errata	Corrige
311. 21.	quo	quod
313. 7.	circumfarctis	circumfractis
315. 9.	rami	in ramis
319. 13.	pensis	densis
322. 23.	huius	huic
324. 27.	branchiis	brachiis
324. 28.	obstrangulata	obstrangulat
324. 30.	Oraphalocar	Omphalocarpon
332. 20.	vt (pon	&
335. 29.	internis	infernis
338. 25.	Hyponici	Hyperici
339. 15.	triduos	triduo
342. 25.	Dittariæ	Dentariæ
345. 5.	tamen	famem
348. 38.	alia	alias
349. 25.	defedatione, elephanticas	defedationes elephanticas
352. 20.	caudis	caulis
354. 17.	protraditur	protrahitur
354. 17.	soluta	solita
356. 35.	vt	&
357. 3.	Sesseli (lis	Sessili (lis
358. 14.	Raphani simi	Raphani . Simi-
359. 20.	Aethyopiam	Aethyopum
366. 28.	rotundo	rotando
367. 2.	nascente	nascenti
376. 34.	Leptaphyllon	Leptophyllon
380. 16.	folio	Polio
389. 7.	hæreant	læuant
392. 32.	amulatum	amuletum
393. 14.	vt	&
394. 20	læui	læuis
395. 25.	quædam	quæ dum
399. 5.	regione	à regione
399. 13.	Ascolaniam	Ascaloniam
401. 24.	debeatur	deleatur
401. 25.	mundi	mandi
409. 28.	Ophoscoro-	Ophioscorodon
414. 19.	Lilium (don	Lirium
421. 33.	Adoriam	Adriam
422. 19.	intus cum	in fuscum
423. 18.	Venena	Veneria
425. 17.	carosum	cariosum
425. 22.	feritur	scitur
426. 17.	rubre	rubra
430. 12.	vnctæ	iunctæ
430. 32.	mutant	nutant
437. 31.	exorta	exortus
449. 16.	Aethyopica	Aethypico
450. 30.	Sanguina	Sagmina
450. 34.	veneratur	verritur
458. 15.	æstate	ætate
461. 15.	Thymo	è Thymo
465. 14.	sylueſtra	sylueſtre
478. 13.	eandem	eadem
485. 13.	maturescit	marcescit
487. 18.	cauli	caulis
488. 29.	eodem	eadem
490. 35.	Farfaram	Farfara in
493. 32.	Cranthemon	Eranthemon
495. 20.	institutum	instillatum
500. 23.	subito	cubito
502. 24.	intricatum	imbricatum
511. 31.	huic	hic
514. 12.	calycem	Calybem
515. 2.	spingitur	stringitur
516. 6.	deorsum	dorsum
520. 7.	refertam	repertam
524. 11.	singula	singulis
531. 30.	caules	caule
536. 32.	Cyamus	Cyanus
538. 36.	anduſtiora	anguſtiora
540 26.	exhibente	exhibendæ
543. 7.	Chemaris	Clematis
551. 1.	lanariam	Canariam
554. 24.	fragræ	Fagre
568. 7.	explicantur	explicatus
570. 10.	Aegypti	Aegyptij
578. 4.	neutrum	acutum
578. 21.	qui (riis	que
578. 26.	Vermicula-	Vermicularia
579. 9.	minor	minori
580. 5.	detractu	detracta
581. 35.	habitu	halitu
582. 32.	Anticym	Anticyra
583. 16.	tum	tam
584. 23.	valentem	valenter
585. 6.	rectis	retis
585. 21.	foliis	solis
589. 14.	Pæonia	vt Pæonia
592. 13.	Phterim	Pterin
595. 3.	adnexum	ad nexum
598. 4.	fixis	fissis
600. 25.	pediculis	pediculus
602. 12.	sole	sale
603. 18.	palmarum	plantarum
609. 5.	Lesbicum	Besbicum
609. 11.	Halcyonium	Halcyonum
612. 2.	sunt: Ambæ	sunt ambæ
613. 6.	æui	cui

Fr. Dionysius Conflacciarius facultatem imprimendi concedit. Die 27. Septembris. MDLXXXI.

FLORENTIAE,
Excudebat Georgius Marescottus.
MDLXXXIII.